DOCUMENTI

PER

LA STORIA DEL FRIULI

dal 1317 al 1325

raccolti

DALL'AB. GIUSEPPE BIANCHI

Professore del Ginnasio Comunale di Udine

DOCUMENTI

PER

LA STORIA DEL FRIULI

DAL 1317 AL 1325

RACCOLTI

DALL' AB. GIUSEPPE BIANCHI

Prefetto del Ginnasio Comunale di Udine

UDINE
DALLA NUOVA TIPOGRAFIA
di Onofrio Turchetto
1844

Al Lettore

I Documenti dall' anno 1317 all' anno 1332 che ora si pubblicano debbono considerarsi non soltanto una controprova degli argomenti contro il soggiorno di Dante in Friuli, ma eziandio il fondamento della Storia friulana di quel periodo di tempo, e l' addentellato per la pubblicazione di tutti i Documenti del tempo precedente e susseguente. Ho posto ogni cura per non ommetterne alcuno, nè mi sono contentato dei Diplomatarj esistenti presso i Raccoglitori delle patrie cose: ma ho rovistato gli archivi, ho cercato i protocolli originali, ho insomma ripurgato e completato il Diplomatario di quel periodo, per quanto possono zelo e pazienza. Tuttavia qualche Atto importante potrebb' essere sfuggito alle mie indagini. Chi per avventura me ne sapesse additare qualcuno, e mi desse facoltà di trascriverlo, sicchè potessi darlo in Appendice ai due volumi, obbligherebbe la mia riconoscenza, e bene meriterebbe della Storia patria.

Bianchi

Spiegazione delle Sigle indicanti il luogo in cui trovar si possono gli Originali da cui si son tratte le Copie inserte nella presente Collezione.

B. V. U.	Biblioteca Vescovile di Udine.
A. C. U.	Archivio Capitolare di Udine.
A. C. C.	Archivio Capitolare di Cividale.
A. V. P.	Archivio Vescovile di Portogruaro.
A. D. U.	Archivio Demaniale di Udine.
A. N. U.	Archivio Notarile di Udine.
A. M. U.	Archivio Municipale di Udine.
B. S. D.	Biblioteca Fontaniniana di S. Daniele.
A. T.	Archivio de' Conti Torriani.
C. C. F.	Collezione del Co. Cintio Cav. Frangipane.
C. M. R.	Collezione del Co. Pietro di Montereale.
C. F.	Collezione Del Nob. Sig.r Carlo Fabrizio.
C. P. G.	Collezione Portis-Guerra.
C. P.	Collezione del Prof.r Ab. Jacopo Pirona.
R.	Il Raccoglitore.
o.	Originale.
c.	Copia.

Ogni altra indicazione verrà data a suo luogo.

N.° 1.

1300

Saggio di lingua Friulana sul principio del Secolo XIV.°

Anonimo

In ce timp, e in ce pericul nô sin, tu lu pus vedi: in lu qual, benchè assai voltis jo ti ebe avisat di chiossis inusitadis, nugledimeut chest, lu qual al presint ti scriv, è si fatt, che mai denant dririo non fo uldit, ni cognossut.

Benchè jo ebe vidut a miò timp chiossis assai; nugledimeut chel el qual jo ti scrif non compari in cheste etat une al plui l' è vignut.

Benchè denant dririo jò ti ebe avvisat dal fat miò, nugledimeut chel el qual jò soii par scriviti vuè, è chiosse la qual tu cognoscerès grandmenti pertignì al to honòr. A. N. U. o.

N.° 2.

1302 5 *Aprile Roma.*
Elezione di Pagano della Torre a Vescovo di Padova.

Dai M. S. del Fontanini.

Venerabili Fratri Pagano Episcopo Paduano.

Onerosa pastoralis officii cura nos admonet, ut inter innumera, que nostris jugiter incumbunt humeris exequenda negotia, circa statum Ecclesiarum vacantium sol-

licite considerationis intuitum dirigentes, ad earum provisionem vigilantibus studiis intendamus. Scimus enim, et facti declarant inditia, quod Ecclesiarum prolixa vacatio eis dampnosa quamplurimum redditur, gravia pericula generat, et varias jacturas inculcat: ideoque digna sollicitudine ducimus, ac opem libenter, et operam non immerito impartimur, ut eisdem Ecclesiis cum vacationis nubila subeunt, et Pastorum gubernatione privantur, subductis obstaculis, et impedimentis quibuslibet pulsis procul, celeris provisionis et utilis, votiva celebritas illucescat.

Nuper siquidem venerabilem fratrem nostrum Ottobonum, olim Paduanum Episcopum, Patriarcham Aquilegensem de Paduana Ecclesia, cujus preerat regimini, ad Aquilegensem Ecclesiam tunc pastoris solatio destitutam, auctoritate Apostolica duxerimus transferendum. Gerentes itaque circa prefatam Paduanam Ecclesiam, utpote fidelem et devotam Sedis Apostolice filiam, spiritualis dilectionis affectum, ad celerem provisionem ipsius, ne diutine vocationis prematur incommodis, dispendiis pregravetur, sollicitis studiis intendentes: considerantes etiam laudabilia testimonia, que tibi de literarum scientia, nobilitate generis, honestate morum, et aliis multiplicis probitatis meritis perhibentur; et propterea sperantes indubie, quod predicta Paduana Ecclesia tuo provido ducta regimine. ac salubri gubernatione directa, temporalibus commodis affluet, ac spiritualibus, Domino favente, proficiet incrementis, te, tunc Decanum Aquilegensis Ecclesie, prefate Paduane Ecclesie de Fratrum nostrorum consilio et Apostolice potestatis plenitudine providimus, te preficientes eidem in Episcopum et pastorem, curam et

administrationem ipsius tibi per venerabilem Fratrem nostrum Johannem Tusculanum Episcopum munus Consecrationis impendi, firma concepta fiducia, quod eadem Paduana Ecclesia per tue circumspectionis industriam, Deo auctore, a noxiis perservabitur et adversis, ac in prosperis salubria suscipiet incrementa. Reverenter igitur, ac devotè supportes impositum a Domino tibi onus, manumque viriliter mittens ad fortia, curam et administrationem ejusdem Paduane Ecclesie prudenter exequi studeas, et gregis tibi commissi custodiam prosequi diligenter, solerter et constanter, oppositurus te murum pro domo Domini ascendentibus ex adverso, ut laudabili de ipsa in die districti examinis reddita ratione, regnum Patris eterni ab origine mundi paratum electis accipias; in dilecta Domini tabernacula letabundus introeas, et eundem gregem ad uberioris meriti fructum, et retributionis majoris cumulum introducas.

Datum Laterani v. idus Aprilis Pontificatus Bonifacii VIII. anno VIII. C. P. c.

N.° 3.

1307 23 *Aprile Padova.*
Laurea conferita dal Vicario Vescovile, coll' intervento, fra gli altri, de' due Professori Mondino da Cividale, e Pace.

Gabriele da Cremona Canc. Patr.

In majori Ecclesia Paduana. Presentibus Reverendis viris Dominis Tadeo de Cesena, et Lichanore de Padua

Decretorum Doctoribus, Magistro Jacobo de Padua Preposito collegii Artistarum, nec non magistris Petro de Abbano, et Mondino de Civitate Austrie doctoribus Physice; Pace et Odoardo doctoribus Loyce: Vinaroto, Amidano et aliis pluribus Grammatice doctoribus, et D. Gullielmo Archipresbitero Plebis S. Marie de Sarmaza, Magistro Bartholomeo q.^{m} Federici a Lectis de Verona notario, Zambonò de Titulo notario, et aliorum civium et Scolarium ad hoc specialiter congregatorum multitudine copiosa.

Quia dignum et rationabile fore dignoscitur, et studiorum labor meretur ut hiis, qui a suis quasi cunabulis vitam suam disciplinis dedere scholasticis, quos quidem scientie predotavit nobilitas, virtutum premia debita tribuantur, ac post palmam laboris emeriti, Doctoratus dignitate, et honore magisterii decorentur, ut sic pura et optata remuneratione gaudentes, bene agendi exemplum posteris tribuant et sequelam. Idcirco Reverendus vir D. Guffredus de Laude, Canonicus Vicentinus, Vicarius generalis Venerabilis in Christo Patris D. Pagani Dei gratia Episcopi Paduani, hac consideratione permotus, providum virum D. Magistrum Aymericum filium q.^{m} D. Symonis de Polonia, quem prudens vir magister Mondinus de Civitate Austrie physicus, Doctor medicine, actu Regens in Studio Paduano, una cum aliis Artium doctoribus, pro dicto D. Vicario presentavit in medicinalibus examinatum ad doctoratus officium assumendum, de ipsius vita, moribus, scientia et virtute, precedente scrutinio predictorum Doctorum Artium, Collegio ad hoc more solito convocato, ad examinatio-

neui privatam in medicinalibus primo, et deinde ad publicam, ubi predictorum magistrorum Artium, ac Scholarium studentium in Padua multitudo convenerat; de ipsorum Doctorum ac magistrorum artium consilio, sicut debuit, juxta consuetudinem et morem studii Paduani admisit. Et quia in utraque examinatione, tam in legendo, quam iu respondendo in scientia medicine dignus et sufficiens ad honorem magisterii est inventus, ac Doctorum et magistrorum Artium Consilio, Dei nomine invocato, ipsum magistrum Aymericum sufficientem et dignum ad Doctoratus officium in scientia medicine reputans et declarans, eidem tamquam benemerito, auctoritate qua fungitur in hac parte legendi, seu regendi et docendi de cetero ordinarie et extraordinarie in Padua, et ubique locorum, tam ultra mare, quam citra mare, in scientia medicine licentiam plenam concessit, et liberam facultatem. In cujus rei testimonium etc. C. F. o.

N.° 4.

1308 22 *Maggio Padova.*
Benedizione della prima pietra nella fondazione della Chiesa di S. Giovanni.

Gabriele da Cremona Canc. Patr.

Die XXII. Maii in Padua; in Contrata Putei Gattarum. Presentibus discretis viris Dominis Fratre Johanne de Osenago Monacho Monasterii S. Dyonisii mediolanensis, infrascripti D. Episcopi Vicario, Rizzardo Capitis Vac-

ce; Bartolomeo de Pergamo, Gerardo de Tervisio Canonicis Padue, Antonio de la Grada Archiprestitero Plebis S. Angeli de Barcho, Presbiteris Juliano Cremonensi et Symone de Venetiis, Capellanis infrascripti D. Episcopi, Materno de Oppreno, Nasimbene de Sarnaza Clericis, ac multis aliis tam Clericis, quam laycis.

Cum Frater Gualterus in dicta Contrata Putei Gattarum ad honorem Beati Johannis Baptiste Ecclesiam, seu locum construere et edificari facere intenderet et proposuisset, ac super primi lapidis impositione venerabilem in Christo patrem D. Paganum Dei et Apostolica gratia Episcopum Paduanum requisisset, dictus D. Episcopus illuc pro primo lapide imponendo specialiter accessit, et lapidem ipsum more solito imposuit, ante cujus impositionem predictus frater Gualterius eidem D. Episcopo promisit, et dixit se semper velle, et intendere, ac sibi placere dictam Ecclesiam sic construendam Episcopatui Paduano, et ipsi D. Episcopo esse suppositam etc. Promittens dictus Frater Gualterus se nomine dicte Ecclesie, sive loci pro censu eidem D. Episcopo, et Episcopatui Paduano predicto annuatim unam libram cere daturum ac soluturum. C. F. o.

N.° 5.

1308 24 *Luglio Padova.*

Pagano ad istanza de' Professori e Scolari permette che resti sospesa l' esecuzione dello Statuto da lui dato a quell' Università.

Gabriele da Cremona Can. P.

Anno M.CCC.VIII. die XXIV. Julii. Super majori sala Episcopatus Paduani. Presentibus discretis viris dominis

Magistro Manino Aquilegensi Canonico, Balione de Buzacharinis Priore S. Spiritus de Padua, Ordinario et Petrobello de Mediolano domicellis infrascripti D. Episcopi, et multis aliis.

Cum discretus vir magister Marcus Capuanus de Padua, procurator et syndicus quorundam Scholarium numero LXXXI artis medicine, studentium in studio Paduano, ut patet publico Instrumento scripto manu Jacobi notarii q.^m magistri Isahac physici de Padua, cum dictorum Scholarium multitudine copiosa coram venerabili in Christo Patre D. Pagano, Dei et Apostolica gratia Episcopo Paduano constitutus infrascriptas literas legisset, ac nomine et vice dictorum scholarium, et procuratorio nomine ipsorum, eidem D. Episcopo humiliter supplicasset, ut mandatum et sententiam in prefatis literis comprehensam revocare placeret, idem D. Episcopus petiit sibi in scriptis dari quod petebat dictus procurator, dicens super hoc ipsum velle deliberare, ac prefatas literas, sententiam et mandatum ab hodierna die, ad octo dies proximos venturos suspendit. Tenor autem dictarum literarum talis est.

Paganus, Dei et Apostolica gratia Episcopus Paduanus, universis et singulis Professoribus et Magistris, nec non Scholaribus legentibus et studentibus, in Artibus in studio Paduano salutem, et in viam dirigi obedientie salutaris.

Per alias precedentes nostras literas, sicut ad notitiam vestram firmiter pervenisse jam credimus, pro utilitate e pace studii Paduani, ad quod intendimus et tenemur, mandavimus solempniter, providimus, et decrevi-

mus quod quicumque Magister undecumque adveniens, etiam si alibi fuerit honore Magisterii decoratus, si in grammaticalibus, seu loycalibus, aut medicinalibus legere ordinarie voluerit in studio Paduano, Preposito Collegii Artistarum, qui est, aut pro tempore fuerit, obedire debeat in licitis et honestis, ac jurare statuta dicti Collegii, per nos post examinationem multiplicem approbata et confirmata, et fideliter observare. Inhibentes sub excommunicationis pena districte, solempni monitione premissa, cuilibet tam rectori, quam doctori, seu quocumque nomine censeatur presenti et futuro, ne contra hujusmodi nostram provisionem, et mandatum aliter ordinare, disponere, seu ordinarie legere quoquo modo presumat. Sed quia, prout noviter ad aures nostras fide dignorum relatione pervenit, quidam tam professores, sive magistri, quam scholares, et alii, contra predictam nostram provisionem canonicam, et salutare mandatum, legere ordinarie, disponere aliter pro suo libito voluntatis ausu temerario presumpserunt, ex quo potuissemus processisse, ac procedere merito contra tales: volentes tamen adhuc benignius agere cum eisdem, monemus solempniter semel, secundo, et tertio peremptorie per hec scripta, vos omnes, et singulos, tam professores et magistros, quam scholares legentes et studentes in Artibus in studio Paduano, ut contra antedictam nostram provisionem, ordinationem et mandatum nec legere, nec quicquam in contrarium disponere presumatis; sed ea fideliter observetis. Alioquin, nisi infra sex dierum spacium, quorum duos pro primo, et alios duos pro secundo, et reliquos pro tertio termino peremptorie vobis tenore

presentium assignamus, a contradictione predicti nostri mandati: et quidquid per vos fuerit in contrarium attemptatum duximus revocandum, et vos, et quemlibet vestrum inobedientem, et provisionis, et mandati nostri hujusmodi contemptorem, ex nunc, prout ex tunc in hiis scriptis excommunicationis sententiam promulgamus, quam vos volumus ipso contrario facto incurrere, vosque faciemus excommunicatos publice nunciari. Ad alia nihilominus, prout ad bonum, et pacificum statum Studii Paduani spectare viderimus, ac vestra contumacia, et contemptus exegerit, processuri. In cujus rei testimonium et fidem pleniorem presentes literas sigilli nostri fecimus impressione muniri.

Datum Padue die xxii. Octubris quarte Indictionis C. F. o.

N.° 6.

1308 12 *Ottobre Ferrara.*

Il Legato Pontificio incarica Pagano d' intimar l' interdetto alle due Città di Venezia e di Chioggia, e di denunciar la scomunica a Delfino Delfini, Vitale Michieli, Giovanni Soranzo, Andrea Quirini e loro seguaci, per aver tentato di toglier Ferrara alla dominazione del Pontefice.

Gabriele da Cremona C. P.

Reverendo in Christo Patri D. Pagano Episcopo Paduano, Arnaldus Abbas Monasterii Gutellensis, Lemo-

vicensis Diocesis, et Onufrius de Trebis Decanus Ecclesie Meldensis, D. Pape Capellanus, Apostolice Sedis Nuncii salutem, et sinceram in Domino caritatem.

Cum nos auctoritate Apostolica nobis in hac parte commissa, monuerimus omnes et singulos cujuscumque dignitatis, status ac conditionis existerent, etiam si civitas, aut universitas foret, quod D. Frescho, qui tunc civitatem, communitatem et districtum Ferrarie occupatam tenebat, non daret auxilium, consilium, aut favorem, nec nos impedirent publice, aut occulte, quominus civitas et comitatus, territorium et districtus sopradicta ad Romanam Ecclesiam, et nos libere devenirent; alioquin in ipsos fautores, et defensores, et sequaces ipsius, et in omnes dantes eisdem auxilium, consilium et favorem, cujuscumque conditionis et dignitatis existerent, et in omnes, et singulos impedientes publice, aut occulte, quocumque colore quesito, quominus civitas Ferrarie cum toto suo comitatu et districtu ad Romanam Ecclesiam, et nos deveniret, excommunicationis civitates et comitatus Ecclesiastico supponeremus interdicto, ac in rectores, et potestates ipsarum civitatum, quocumque nomine censeautur, et consiliarios ipsorum excommunicationis sententias tulerimus in scriptis, ac ipsos privaverimus omnibus beneficiis Ecclesiasticis, et bonis, rebus, et possessionibus, que in Civitate Ferrarie, et districtu, et alibi ubicumque a Romana, et quibuscumque tenerent Ecclesiis, et Dux, et Commune Venetiarum per Ambaxatores suos, videlicet Delfinum de Delfinis, Vitalem de Ca Michelis, Johannem Sourantium, et Andream Quirinum cum multitudine stipendiatorum et navigii, publice et notorie impedierint

et impediant nos in recuperatione Civitatis et districtus ipsius, et domino Frescho contra Romanam Ecclesiam et nos dederint, et dent auxilium, consilium et favorem; et addentes mala malis, castrum Todaldi, et pontem hactenus detinent occupata, et in civitate prefata ignem exponentes, domos plures, Ecclesias et navigium dicte Civitatis combuxerunt, in animarum suarum periculum, et Romane Ecclesie non modicam injuriam et jacturam: propter quod non est dubium, ipsos et quemlibet eorum sententias incurrisse prefatas; Paternitati vestre tenore presentium committimus, vobisque sub pena suspensionis ab ingressu Ecclesie, et si eam sustinueritis per unum diem Excommunicationis sententiam, quas propter more periculum in vos, si inobedientes fueritis, proferimus in his scriptis, precipiendo mandamus quatenus convocato Clero et populo civitatis vestre, Civitates Venetiarum et Clugie denuncietis in Interdictum hujusmodi incidisse, et nihilominus prefatos Delfinum de Delfinis, Vitalem de Ca Michele, Johannem Saurancium, et Andream Quirinum, et omnes alios, qui eisdem dederunt, seu dant consilium, auxilium, aut favorem publice vel occulte, candelis extinctis, et campanis pulsatis, publice excommunicatos; nec non alias sententias nostras, de quibus super fit mentio, eorum demeritis incurrisse; facientes de denuntiationibus hujusmodi fieri publica Instrumenta, que nobis studeatis literis intimare. In quorum omnium testimonium presentes literas, quas registrari fecimus, vobis sigillo mei Onufrii duximus transmittendas. De quarum presentatione latori earum dabimus plenam fidem.

Datum Ferrarie die xii. Octubris Pontificatus D. Clementis Pape v. anno tertio. C. F. o.

N.° 7.

1309 3. *Novembre Milano.*

Quietanza di denaro pagato dal Vescovo e Clero della Diocesi di Como pel mantenimento di venti cavalieri, mandati in sussidio del Pontefice contro i Veneziani.

Gabriele da Cremona C. P.

Die tertio Novembris. Medyolani. In domo Dominorum Zannuli et Zomfredi de la Turre, fratrum D. Episcopi infrascripti. Presentibus fratre Petro Ordinis Humiliatorum Camerario, Ricio de Boronibus de Parma domicello, et Mantico dicto Rubeo coco, omnibus familiaribus D. Episcopi infrascripti.

Religiosus vir D. Frater Johannes de Osenago, Prior monasterii S. Johannis de Viridaria, Vicarius venerabilis in Christo Patris D. Pagani Dei et Apostolica gratia Episcopi Paduani, confessus fuit, et manifestus se nomine dicti Episcopi habuisse, et recepisse a D. Francino Quaresema mercatore Mediolanensi, dante et solvente, vice et nomine venerabilis in Christo patris D.... Episcopi et totius Cleri Civitatis et Diocesis Cumane exempti et non exempti, centum et quadraginta quatuor florenos boni auri, et justi ponderis pro contributione facta per D. Cardinalem Apostolice Sedis Legatum,

ratione expensarum factarum per dictum D. Episcopum Paduanum, tenendo viginti equites armatos duobus mensibus in subsidium Ferrarie contra Venetos. Promittens etc. C. F. o.

N.° 8.

1310 4 *Marzo Bologna.*

Pagano si giustifica innanzi ai Nuncj Pontificj, se non può intieramente eseguire le varie commissioni dategli dai medesimi.

Gabriele da Cremona C. P.

Venerabili in Christo patri D... Dei gratia Episcopo Taurinensi, et Reverendo viro D. Johanni de Sancto Claro, Canonico Londoniensi D. Pape Capellano, Paganus eadem gratia Episcopus Paduanus etc.

Vestras recepimus literas quarundam Apostolicarum literarum nobis communiter directarum tenorem habentes insertum, quibus nos super tribus articulis per vos requiri cognovimus, et primo quidem quod Taurinum statim personaliter veniremus: secundo quod ad idem iter Mediolanensem Archiepiscopum requirere deberemus: tertio quod quasdam Apostolicas literas, que Mediolanensi Capitaneo diriguntur, presentare deberemus eidem. Super primo vero, per nos ipsos cum pluribusque peritis habita deliberatione solempni, cum sit notorium Mediolanensem Archiepiscopum de custodia, et omni captivitate, aut guardia Mediolanensis Capitonei liberatum, non videmus ad quid

nostrum deinceps officium se extendat. Et si diceretur, secundum formam literarum, restitutionem, aut relaxationem plenam et liberam non fuisse, aut quod extra Mediolanum coactus fuerit exulare, nobis constat, quod nulla coactione, pactione, promissione, aut juramento ad hoc fuit astrictus; sed sponte, sic sibi credens forsitan expedire, Madiolanum exivit, se Paduam transferendo: nec scivimus ex literarum nobis communiter directarum tenore comprehendere quod pacificandi, componendi, aut adhuc inquirendi communiter, aut divisim potestatem aliquam habeamus, et, cum viri reverentia loquimur, dato quod aliquid nostro officio expediendum incumberet ex potestate predicta, non putamus Civitatem Taurini locum ydoneum ad predicta, quod nec equaliter se habet ad nos, nec est Mediolani vicinus. Dicimus autem et protestamur his scriptis, quod si quid per has, aut alias communes literas per nos imminet expediendum, parati sumus ad id conconvenire vobiscum in loco nobis communiter congruo, et ad hoc apto, id declarari, et locum talem assignari petentes. Ad secundum vero respondimus, quod licet non videamus ad quid, tamen secundum vestrum beneplacitum, Archiepiscopum requiremus. Literas vero Apostolicas per nos, aut alium ipsi Capitaneo presentabimus sine mora. Has vero literas responsivas nuncio vestro tradidimus, nostro sigillo signatas, de quarum traditione, et ipsarum forma per publicum Notarium, publicum confici rogavimus Instrumentum.

Data Bononie quarto Martii, VIII. Indictione. C. F. o.

N.° 9.

1310 26 *Settembre Padova.*

Artico** di Castello è prosciolto dalla Scomunica, **in cui** era incorso per non aver pagato la **somma promessa**, onde aver ad imprestito un libro di **Decretali.

Gabriele da Cremona C. P.

Die Sabati xxvi. Septembris. Super sala Episcopatus Paduani. Presentibus venerabili viro D. Gulielmo Aquilegensis Ecclesie Decano, D. Stephanello de Cha Nani de Venetiis, Lantello filio q.m D. Ugerii de Concoricio Mediolanensi.

Religiosus et providus vir D. Fr. Johannes Prior Monasterii S. Johannis de Viridaria Paduanus, Vicarius Reverendi in Christo Patris D. Pagani Dei et Apostolica gratia Episcopi Paduani, Franciscum Notarium de Utino, procuratorem et nuncium specialem D. Artuici de Castello, Plebani de Circhiniz ad infrascripta specialiter constitutum, prout patet publico instrumento, confecto manu Gabrielis de Utino notarii, a me notario infrascripto viso et lecto, procuratorio nomine ipsius D. Artuici, et in ejus persona ab excommunicationis sententia, lata semel, aut pluries in ipsum D. Artuicum per eundem D. Vicarium, aut alium ejus Collegam occasione cujusdam summe pecunie, quam idem D. Artuicus discreto viro D. Conrado de Concoricio Archidiacono Vicentino dare debebat, propter quemdam librum Decretalium per ipsum D. Conradum eidem D. Artuico accomodatum, prestita

dicto D. Vicario fide legitime de dicta pecunie solutione ab ipso Francisco per Instrumentum publicum confectum manu Michaelis D. Bachini notarii, visum a me infrascripto notario, absolvit. Et prestito per D. Franciscum Procuratorem nomine dicti Artuici sacramento de parendo mandatis Ecclesie, ipsius D. Episcopi et ejus Vicarii, eum, nomine quo supra, restituit Ecclesiasticis Sacramentis. C. F. o.

N.° 10.

1310 18 *Ottobre Padova.*

Pagano, come Giudice del S. Uffizio, ordina a Belcaro Dottor di legge di non dovere senza sua licenza assentarsi da Padova.

Gabriele da Cremona Not.°

Die Dominico xviii. Octubris. Super superiori sala Episcopatus Paduani. Presentibus Aynrico filio q.m Pitoje de la Turre Mediolanensi, Mafiolo filio Nichole de Salinis Mediolanensi, familiaribus D. Episcopi infrascripti, et Paganino filio q.m Jacobini de Montesilice.

Reverendus in Christo pater D. Paganus Dei et Apostolica gratia Episcopus Paduanus, auctoritate ordinaria inquisitionis heretice pravitatis judex ordinarius, considerans presentiam D. Belchari Doctoris legum sibi esse utilem, et necessariam pro executione officii supradicti, eidem injunxit, et precepit sub pena obedientie, et Papalium et Imperialium constitutionum, quod de Civitate

Padue, et ejus districtu aliqua ratione, et causa absque ejus licentia speciali, se nullatenus debeat absentare: et quod omni die in ejus presentia personaliter debeat comparere, douec idem D. Episcopus eidem aliud duxerit injungendum. C. F. o.

N.° 11.

1311 11 *Settembre Firenze.*

Procura di Guido della Torre per essere prosciolto dalla Scomunica.

Gabriele da Cremona C. P.

Die undecimo Septembris. In domibus Hospitalis S. Johannis Jerosolimitani. Presentibus discretis viris D. presbitero Simone, qui fuit de Venetiis, Capellano D. Episcopi infrascripti, Uberto de Fara de Mediolano, et Mathiolo de Fara ejus filio, testibus vocatis et rogatis.

Nobilis vir D. Guido de la Turre civis Mediolani, pro se, et Francisco, et Simone filiis suis, et eorum quolibet fecit, constituit, et ordinavit venerabilem patrem D. Paganum Dei gratia Episcopum Paduanum, presentem, et mandatum suscipientem sponte suum et cujuslibet eorum certum nuncium, missum, et procuratorem, et ad quid de jure melius esse potest, ad comparendum coram D. Summo Pontifice, et quocumque alio super infrascriptis potestatem habente, aut habituro, et recognoscendum humiliter et devote errorem suum commissum in captione, seu detentione venerabilis patris D. Gastoni Archiepiscopi Mediolanensis, et ad petendum instanter, humiliter et devote ipsi D. Guidoni, et cuilibet predictorum filiorum suorum, utpote

de excessu predicto penitentibus et contritis, misericorditer beneficium absolutionis impendendi in forma Ecclesie consueta: et ad jurandum in nomine dicti D. Guidonis, et cujuslibet ex filiis suis, de stando et parendo mandatis Ecclesie, ut in talibus fieri consuevit, et debet: et ad substituendum unum aut plures procuratores, et revocandum eosdem, si opus fuerit, et ad omnia dicenda, recognoscenda, confitenda, juranda, promittenda, et facienda, per que possit dicte absolutionis beneficium melius obtineri, et que ipse D. Guido, aut ejus filii possent facere si adessent, etiamsi mandatum exigant speciale: dans, et concedens eidem D. Episcopo procuratori plenam, generalem, et liberam administrationem in predictis: et promittens mihi notario infrascripto, ut publice persone, recipienti nomine Romane Ecclesie, et cujuslibet universitatis, collegii, persone cui interest, aut interesse posset, sese perpetuo gratum et firmum habiturum, et se facturum, et curaturum quod dicti ejus filii ratum, et gratum habebunt quidquid per dictum D. Episcopum procuratorem, substitutum, aut substitutos ab eo, gestum fuerit in predictis, et circa predicta, sub ypoteca et obligatione omnium bonorum suorum. A. C. U. o.

N.° 12.

1314 10 *Gennajo Padova.*

Protesta del Decano di Aquileja nel Consiglio di Padova.

Gabriele da Cremona C. P.

Die decimo mensis Januarii. Padue, super sala palatii Communis, ubi fiunt majora consilia Civitatis predicte.

Presentibus reverendo Patre D. Pagano Dei gratia Episcopo Paduano, ac venerabilibus viris Dominis fratre Johanne Abbate Monasterii S. Stephani de Carraria Paduane Diocesis, et Paulo de Lazariis de Bononia rectore Ecclesie S. Laurentii Bononiensis Diocesis, ipsius D. Episcopi Vicariis, Magistro Johanne Aquilegensi filio Magistri Egidii Medici de Cremona, et Ricio de Boronibus de Parma q.^{m} D. Rolandi Boronis.

Constitutus coram nobilibus viris dominis Nicolucio de Calbulis Potestate, Belcharo de Bochone Ancianorum judice, Ancianis et Consilio predicte civitatis Padue ibidem ad sonum campane more solito congregato, venerabilis vir D. Guilielmus Decanus Ecclesie Aquilegensis, procurator et nuncius specialis magnifici viri D. Henrici illustris Goricie et Tirolis comitis, pro pace tractanda, juranda et contrahenda inter ipsum D. Comitem ex una parte, et homines et Commune Civitatis Padue ex altera, ab ipso D. Comite specialiter destinatus, dixit et protestatus fuit per hec verba: Domini Potestas, Anciani, et Cousiliares civitatis Padue qui estis hic, ego libenter vellem habere potestatem, et auctoritatem a domino meo domino Comite paciscendi ejus nomine cum Commune Tervisii, quemadmodum habeo vobiscum, et cum communi Padue; sed ipsam potestatem non habeo, nec mandatum mihi traditum extenditur ad illud. Quare protestor, et dico quod nec facio, nec possum, nec volo aliquam inire pacem cum dicto Commune Tervisii. Sed ipsam facio vobiscum, et cum Communi Paduano, sicut possum ex vigore mandati mihi a Domino meo concessi. Promitto tamen juxta posse apud ipsum D. Comitem favo-

rabiliter interponere preces meas, quod cum Commune Tervisii similiter pacem vellit: et rogo quemlibet Notarium hic presentialiter existentem, ut de protestatione hujusmodi mihi conficiat publicum Instrumentum. C. F. o.

N.° 13.

1314 13 *Febrajo Padova*
Prigioni pel Clero in Padova.

Gabriele da Cremona C. P.

Die XIII. mensis Februarii. Super Episcopali palatio Paduano. Reverendus in Christo Pater D. Paganus Dei et Apostolica gratia Episcopus Paduanus, convocato Capitulo Ecclesie Paduane, videlicet dominis Symone dicto Beracio Mezabato, Aicardo et Aicardino Capitis vace, et Georgio de Janua Canonicis Paduanis, ac aliis Clericis beneficiatis Civitatis predicte, nec non Primicerio cum universitate Capellanorum de Padua, in eorum presentia per venerabilem virum D. Fratrem Johannem Abbatem Monasterii S. Stephani de Carraria, Paduane Diocesis Vicarium suum, legi et publicari fecit cedulam infrascripti tenoris.

In nomine Domini amen. Ad hec ut reverendus pater D. Paganus miseratione divina Episcopus Paduanus, quietem et pacificum statum absque scandalo, seu turbatione quacumque cum Clero suo, cum populo et Communi Paduano habere possit, placuit sibi eligere et precario recipere publicum Carcerem sub palatio Communis

predicti apud scalas dicti palatii, et ipsum ibi habere. In quo quidem carcere Clerici, et omnes sue jurisdictioni subjecti, graviter delinquentes, quibus pro eorum excessibus si layci forent ultimi suplicii pena deberetur, auctoritate ipsius d. Episcopi ponantur ibidem custodiendi tribus serraturis mediantibus, bonis et grossis, sicut visum fuerit expedire. Quarum una stet penes d. Episcopum predictum, aut suum Vicarium, et altera penes d. Potestatem: tertia vero penes duos Antianos: ac pascendi et alimentandi, quamdiu vixerint, juxta suorum exigentiam delictorum: cum ipse d. Episcopus carceres bene debitos, commodos et ordinatos pro hujusmodi facinorose delinquentibus in sua episcopali Curia non habeat, nec commode ipsos facere possit, ubi absque fuge periculo securi esse possint: et ut Clerici ipsi avertentes se taliter puniri, includi et tractari, ab excessibus de cetero, quod absit, committendis, aut commissis abstineantur, et se corrigant et emmendent. C. F. o.

N.° 14.

1314 15 *Aprile Padova.*
Sussidj prestati dal Clero alla Città di Padova

Gabriele da Cremona C. P.

Die xv Aprilis. Padue super sala Episcopalis Palatii. Presentibus religioso viro d. Fratre Rolando Priore Monasterii S. Salvatoris de Venetiis, Fratre Fasollo monaco Monasterii S. Sophie Paduane, magistro Bartholomeo

de Verona notario q.m Federici a Lectis, Materno de Oppreno Canonico Plebis de Buvulenta, Paduane Diocesis, Nascimbene de Sarmaza mansionario majoris Ecclesie Paduane, et aliis multis.

Cum per reverendum patrem d. Paganum Dei gratia Episcopum Paduanum, et suum Clerum intrinsecum et extrinsecum, ipsi Clero, et inter ipsum Clerum imposita fuerit et percepta per infrascriptos Collectores quandam Collectam librarum duorum millium denariorum venetorum parvulorum, exhibendarum et assignandarum Communi Padue in subsidium grandium expensarum, quas ipsum Commune propter presentem guerram pro patria, et personali libertate tuenda et defendenda sustinere oportet: providis viris dominis Mezabato Canonico Paduano, et presbitero Johanne Capellano Ecclesie S. Tomei Paduani Collectoribus super hoc specialiter deputatis: prefatus d. Episcopus ex certa scientia fuit confessus, et contentus, recognovit quod predicti domini Collectores predictam quantitatem pecunie librarum duorum millium venetorum parvulorum de beneplacito et consensu suo et dicti Cleri, dicto Communi Padue assignarunt, dederunt, et integraliter persolverunt in expensis ipsius Communis, ut premittitur convertendam. Unde predictus d. Episcopus pro se et dicto Clero suo, domino presbitero Johanne presenti, et pro se et dicto d. Mezabato recipienti, solempni stipulatione fecit liberam et perpetuam finem, remissionem et absolutionem cum pacto non petendi ulterius de predicta pecunie quantitate, ipsos Collectores a predictis liberans et absolvens, ipsamque solutionem, assignationem, dationem

et exhibitionem pecunie ex certa scientia approbans, ratificans et confirmans. Et promisit hec omnia et singula perpetuo habere et tenere firma et rata; et ipsos super predictis non inquietare ratione aliqua, aut causa. C. F. o.

N.° 15.

1314 19 *Agosto Padova.*

Protesta de' Veneziani nelle differenze tra essi e il Pontefice presentata a Pagano della Torre Vescovo di Padova.

Gabriele da Cremona C. P.

In Christi nomine amen. Anno Domini millesimo trecentesimo quartodecimo. Indictione duodecima, die XIX mensis Augusti. Super Episcopali palatio Paduano. Presentibus discretis viris d. Presbitero Bonazonta Capellano Ecclesie Pontis Molendinorum de Padua, Materno de Oppreno Canonico Plebis de Buvulenta Paduane Diocesis, et aliis.

Ad presentiam Reverendi patris D. Pagani Dei gratia Episcopi Paduani accedens discretus vir Baxanus notarius Ducatus Venetiarum scriba, sindicus et procurator illustris Domini Ducis, Communis et hominum Venetiarum, prout de procurationis Instrumento scripto per Marcum Siboto notarium et Scribam Ducatus predicti, evidenter apparet, procuratorio nomine ipsorum, eidem D. Episcopo quamdam protestationem in scriptis porrexit et dedit, cujus tenor talis est.

Coram vobis venerabili et reverendo patre D. Pagano De la Turre, Dei gratia Episcopo Paduano, executore per Sedem Apostolicam deputato in observatione pactorum inter Ecclesiam Romanam, Commune et homines Ferrarie, ac Dominum Ducem, Commune et homines Venetiarum, comparens ego Baxanus notarius, Ducatus Venetiarum scriba, procurator et sindicus D. Ducis, Communis et hominum Venetiarum, de qua procuratione et sindacatu constat vobis publico Instrumento facto sub anno Domini M. CCC. XIV. Indictione XII. die XVII. intrante mense Augusti, sub signo et nomine Marci Siboto notarii et Scribe Ducatus Venetiarum inde confecto, denuntio, declaro, exprimo, et protestor procuratorio et sindacario nomine, quod ipsi Domini Dux, Consilium, Commune et homines Venetiarum, pacta omnia inter Ecclesiam Romanam, Commune et homines Ferrarie, ac eosdem Dominum Ducem, Commune et homines Venetiarum concessa, innovata, facta et firmata cum modificationibus, additionibus et declarationibus in illis adjunctis, semper servaverunt complete et integre verbo et facto, et capitula omnia ipsorum pactorum, sicut ipsa pacta continent et Capitula ipsorum, et servare sunt parati, et servare absolute intendunt verbo et facto. Et omnia vestra mandata, precepta, et processus facta super hoc a vobis, sive reverendo viro domino... Abbate S. Justine Paduano, seu reverendo viro domino ... Abbate S. Georgii majoris de Venetiis, vestris in executione collegis, obediverunt, obediunt quiete et obedire intendunt, et in quibusdam casibus per Vicarium, Rectores et Officiales Ferrarie, sive eorum sindicum

expositis, et propositis, et protestatis coram eisdem Domino Duce et Commune Venetiarum, ac etiam propositis et denunciatis coram dicto D. Abbate S. Georgii majoris de Venetiis, et de quibus coram illo controversiam movent: qui casus sunt super prohibitione frumenti in Ferraria, et districtu ne Venetias conducatur. Et quia queruntur de Datio aliquibus Ferrariensibus in Venetiis accepto, ut asserunt, non credunt omnino facere contra pacta, nec faciunt, nec fit: utinam contra ipsa pacta factum non foret, nec fieret per eosdem. Et in nullo penitus casu poterit reperiri quod per ipsum Dominum Ducem, Commune et homines Venetiarum commissum sit, aut committatur contra ipsa pacta, aut vestra mandata. Et sic eorum dicto Domino Abbate S. Georgii executore, ubi, et coram quo inchoaverunt controversiam, et pendet questio de predictis, docebitur, et doceri et monstrari poterit clarissime et aperte. Qua protestatione visa et lecta, dictus D. Episcopus respondit et dixit, quod super predictis cum D. Abbate S. Justine coexecutore et Collega suo deliberare volebat, et deliberatione habita responderet.

Eodem millesimo, die vigesimo primo predicti mensis Augusti. Super Episcopali palatio Paduano. Presentibus venerabilibus viris D.D.Fratre Johanne Abbate Monasterii S. Stephani de Carraria Paduane Diocesis, Paulo de Liazariis de Bononia Archipresbitero Paduano, et Presbitero Bonazonta, et Materno predictis. Reverendus pater D. Paganus Dei gratia Episcopus Paduanus, Protestationi predicte, discreto viro Baxano notario, Ducatus Venetiarum Scriba, Sindaco et procuratore pre-

dicto presente, respondit et dixit, quod ex causis predictis assignatis, vel aliis quibuscumque, si que emergerent in posterum, non intendebat, nec intendit ad aliqua procedere, nisi citatis partibus, et juris ordine servato. C. F. o.

N.° 16.

1316 12 *Settembre Cividale.*
Ambasciadori spediti al Pontefice dal Generale Parlamento del Friuli.

Antonio da Cividale.

Anno Domini M. CCC. XVI. Indictione XIV. die XII. intrante Septembri. In Civitate Austria. In Ecclesia majori Civitatis. Presentibus venerabilibus viris D. Hermano Abbate Sextensi, Bernardo Decano Civitatensi, Thomasio de Cucanea, Pyleo de Prata, Manfredo de Purcilleis, Odorlico Longo de Civitate, Pellegrino de Aquilegia, et aliis.

Ibidem in generali Colloquio totius Patrie, coram magnifico viro D. Henrico illustri Goritie et Tyrolis Comite, et totius Patriarchatus Aquilegensis Capitaneo generali, celebrato, ordinatum extitit et firmatum, quod venerabilis vir D. Guilielmus Decanus Aquilegensis, et D. Philippus Castaldio Civitatis, electi Ambasciatores per dictum D. Capitaneum, cui data fuerat per Colloquium auctoritas, eligendi, vadant ad Summum Pontificem, et Cetum Dominorum Cardinalium, pro statu

pacifico et bono totius Terre Forijulii ex parte Prelatorum, Liberorum, Communitatum et omnium Terre Forijulii, et quod etiam sigilla apponantur in literis quas apportabunt. A. C. U. c.

N.° 17.

1316 27 *Novembre Cividale.*
Compromesso del Capitolo di Cividale in Pagano della Torre Vescovo di Padova.

Guglielmini Not.

Die quarto, exeunte Mense Novembri. In Capitulo majoris Ecclesie Civitatis Austrie, Aquilegensis Diocesis. Presentibus discretis viris presbitero Francisco subcustode Ecclesie Civitatis predicte, Bonifacio familiari D. Bernardi Decani subscripti, Ossualdo nepote q.^{m} D. Sithipanis de Civitate, Bartholomeo Clerico filio Balduini de dicta Civitate, et Niculuscio morante cum D. Hermanno de Budrio Canonico infrascripto, et aliis.

Venerabiles viri D. Bernardus Decanus, Philipponus de la Turre, Nicolaus de Portis, Hermannus de Budrio, Mannus de Florentia, Johannes Pernardi, Guarnerus de Pulzinicho, Guido de Manzano, Fulcherus de Goritz, Nicolaus q.^{m} D. Hugonis de Medea, Magister Gerardus, Fulcherinus de Zuchula, Diomedes de Trivis, Bernardus de Civitate et Petrus de Orsaria Canonici, et Capitulum ejusdem Ecclesie Civitatensis in dicto eorum Capitulo, ad hoc more solito specialiter congregati;

fecerunt, constituerunt et ordinaverunt venerabilem virum D. Guarnerum Prepositum Ecclesie Civitatensis prefate, presentem, et hoc mandatum sponte suscipientem, suum et dicte eorum Ecclesie verum et legitimum procuratorem, sindicum et nuntium specialem, specialiter ad compromittendum in Reverendum patrem et D. D. Paganum Dei et Apostolica gratia Episcopum Paduanum, tanquam in arbitrum, arbitratorem et amicabilem compositorem de omnibus injuriis eis, et Ecclesie Civitatis predicte illatis, corporibus mortuorum ablatis, que sepelliri debebant apud Ecclesiam Civitatensem perdictam etc. R. o.

N.° 18.

Memoriale di Odorico Notajo e Maestro in Pordenone.

Ego Odoricus q.^m D. Francisci de Portunaonis facere volo mentionem prius de meo ortu. Tempore mee nativitatis currebat M.CC.LXIII. dies secunda Junii: et tempore quo duxi uxorem eram XXXVII. annorum, et contingebam XXXVIII.

MCCXCII.

Henricus Comes Goritiensis fecit conflictum ante Belgradum super exercitum D. Patriarche Raymundi, mense Martii.

MCCCVIII.

Dux Austrie nomine Albertus, dum Rex Romanorum nomine Adulphus misisset nuntios ad dictum Ducem, quia volebat eum visitare, injusta timens ne australes venirent per legatos, respondit ei quomodo non erat conveniens quod Dominus visitaret subditum, sed subditus Dominum; unde intendebat ipsum visitare. Et consurgens, habitò auxilio Regis Boemie cognati sui et Regis Hungarie germani sui, cum maximo exercitu ivit in Sveviam, ubi Rex prefatus erat cum maximo exercitu. Cum Rex esset citatus per Principes et Electores opponentes quod non poterat esse Regem, et ipse non contraponeret, deposuerunt eum, et elegerunt Dominum Ducem in Regem Romanorum, et Dux clamabat se Regem. Tandem bello subsecuto, Rex Adulphus in bello interfectus est, et dictus Rex Albertus cepit regnare, qui fuit tandem per ejus nepotem interfectus, et post eum fuit electus in Regem quidam nobilis nomine Henricus, qui regnavit parum post coronationem, quia tossicatus fuit.

Eodem anno, octavo intrante Septembri, afflicti fuerant Veneti in mare per Januenses; in quo conflictu capti et mortui sunt ex parte Venetorum quasi X. millia. Multi Nobiles mortui fuerunt; eorum Capitaneus erat quidam Nobilis Venetus nomine Andrea Kalo. In anno sequenti facte fuerunt trevue inter eos per decem annos.

Eodem anno, mense Madii. Interfectus fuit Romanorum Rex nomine Albertus per quemdam nepotem suum nomine Johannes. Causa potissima fuit quod male tra-

ctabat eum, nec volebat contra eum juri suo paterno requisitus consentire.

Eodem anno. Templarii fuerunt comprehensi crimine heresis, et aliis spiritualibus, omnibus habitis rebellibus, de quibus nefandum est dicere.

Eodem anno, mense Octobris. Depositus est Ordo Templariorum.

MCCCIX.

Maxima discordia et verra orta est in Forojulio inter Comitem Goritie, Dominum Rizzardum de Camino, et quosdam Forojulianos ex una parte, et Patriarcham cum quibusdam Forojulianis et Communitatibus ex altera. Sed tandem tanta fuit potentia Domini Comitis et Rizzardi, quod D. Patriarcha et Dominus Federicus de Stumberch, qui erat in auxilio D. Patriarche cum CCCC armatis, et alii plures Teutonici non audebant exire in campo contra eos, quia erant cum maximo timore. D. Patriarcha et D. Federicus de Stumberch exeuntes Utinum clam de die arripuerunt fugam, alteruter, scilicet Federicus versus Karintiam, et D. Patriarcha versus Aquilegiam venit per mare Venetias, ubi fuit spoliatus equis suis. Postmodum versus Paduam furtim quasi incognitus, et per Veronam et Mantuam transiens, declamavit ad Legtum Domini Pape, qui erat Bononie et circa Castrum Ferrarie in obsidione de mandato Domini Pape. Exercitus in Forojulii primo accesserunt Castillonum, et desmutam videlicet curtinam, et deposuerunt campanile et curtinam Orsenici inferioris, Sedelani cum Campanile, et Saciletum: et timentes ipsi Domini redeuntes, obtinuerunt

Sanctum Vitum et multa mala commiserunt, et hoc perduravit usque ad Festum Jacobi. Postmodum ad preces et instantias Socere Domini Rizzardi, quibusdam promissionibus factis per D. Patriarcham Domino Rizzardo, ipse conduxit D. Patriarcham Tarvisium, dein Utinum. Et colloquio facto cum communi Aquilegie, D. Rizzardus cum maxima comitiva equitum ivit Utinum mense Novembris, circa festum Martini, et tractavit cum Patriarcha ut faceret eum Capitaneum Forojulii: qui cum diceret se non posse, procuravit cum quibusdam de Utino, scilicet cum Magistro Nicolao et ejus sequacibus ut traderet contra Terram, et intrando civitatem Utini fuit conflictus, et fuit interfectus Dominus Walterus Pertoldus de Spinimbergo, qui erat cum eo, et cum maximo dampno in bonis et personis vix evasit, et in sequenti Martio, nono die ludendo ad ligna cum multis Nobilibus, quidam rusticus cum uno roncono vulneravit eum in capite ad mortem, et in novem dies mortuus est.

MCCCX.

Comes Goritiensis conduxit cognatum suum de Babanic cum CCCCC armatis in Forojulii, qui dextruxerunt quasi totum Forumjulii. Dominus Rizzardus ex opposito cum maximo exercitu stabat Cavolani etSacili, cum non auderet esse in campo propter militiam alterius partis.

Anno eodem in Festo ... potens D. Rizzardus cepit castrum Turris et combuxit eum et Nugaretum. Currit et Dominus Comes Cucaniam et totam illam contratam destruxit. Tandem facte fuerunt trevue.

Eodem anno, tantus fuit defectus in vino, quod a memoria hominum nunquam fuerat, quia urna, que anno precedente valebat quinque grossos cum dimidio, valebat duos solidos grossorum. Et in taberna, mensura que consueverat haberi pro duobus grossis, dabatur pro decem. Bladum in proximo foro ante festum Nativitatis, Frumenti valebat XL. libras, millei XL. libras, surgi LX. Avena tantundem.

Eodem anno, intravit Rex Romanorum nomine Henricus Lombardiam, et ibi fuit per totum ver et estatem usque ad festum Margarete. Fuit pluvia et tam frigus, quod homines non deposuerunt vestes hyemales.

MCCCXI.

Invaluit fames in Terra Forijulii, et tantus erat defectus tam in vino, carnibus, blado, et in omnibus aliis rebus, tum propter verras, tum propter mala opera, quod omnes qui petebant bladum non inveniebant; et pro majori parte omnes cum familia sua stabant per tres dies et per totam septimanam cum herbis terre sine pane, et multitudo maxima moriebatur pro fame.

MCCCXII.

Factum est ver frigidissimum, nam frumenta non miserunt spicas in madio non pauca, nam tot pluviosus.

Eodem anno obsedit Rex Romanorum Brixiam cum ccc millibus hominum, et tandem obtinuit eam pro fame, et depositis muris, sicut fecerat Cremone, ivit Januam, dein Pisam, Romam.

MCCCXIV.

Electio facta fuit Imperatoris in discordia maxima. Quidam elegerunt Ducem Austrie nomine Federicum, quidam Ducem Bavarie nomine Lodoycum, inter quos maxima discordia est exorta. Nobiles pro majori parte adherebant Duci Austrie; et Archiepiscopus Treveriensis, Moguntinus et Civitates Duci Bavarie. Uterque in eorum litteris nominabant se Regem Romanorum semper Augustum. Sed Dux Austrie in sequenti anno et tertio fuit in tanta potentia in Svevia, quod Dux Bavarie non audebat exire in campo cum eo, et stabat in Civitatibus se tuendo. Die xvi. in mense madio Dux Austrie cum maxima comitiva direxit iter de Austria usque Sveviam, et Dux Bavarie ex opposito preparatus expectabat eum quando foret in agro. Post multas preparationes, et labores, et expensas Dux Austrie cum maximo exercitu quasi x. millium armatorum, inter quos erant quatuor millia Ungarorum, quos ei dederat Rex Ungarie ejus consobrinus, intravit Bavariam. Ex apposito erat Dux Bavarie, et Rex Boemie ejus auxiliarius, cum magno exercitu, et solum flumen erat in medio eorum, et dum statuissent diem ad bellandum prima die Octobris, die Veneris, M.CCC.XXII.currente die Mauritii, pridem timens Dux Bavarie adventnm Ducis Lyopoldi fratris Ducis Austrie, qui veniebat cum mille elmis, procuravit quod familia sua inceperit habere rixam cum adversariis, et sic inceptum fuit bellum contra eos; et bis Dux Austrie obtinuit campum contra Ducem Bavarie, et dum credebat illum conflictum, sui inceperunt spoliare campum. Isto medio supervenit

caute quidam Nobilis cum CCCCC elmis, qui veniebat in auxilium Ducis Bavarie; inveniens adversarios dispersos, invasit eos et obtinuit campum; et captus fuit Dux Austrie nomine Federicus, ejus frater Henricus, et CCCC Nobiles tacitis minoribus, et ille de Norimberch. Sed Dux Henricus relaxatus fuit per Regem Boemie, cui dederat Dux Bavarie cum pactis.

MCCCXV.

Die Lune VII. exeunte Madio. Dominus Odoricus, D. Articus de Pramperch, una cum illis de Villalta, de Pinzano, de Mels, de Colloreto, et de Susano, facta prius conjuratione contra Comitem Goritie, quibus latenter Tarvisini, seu majores, utpote potentes Domini comes Rambaldus de Collalto, et Tolbertus ,et Beachinus de Camino, et quam plures adherebant, ceperunt esse rebelles dicto Comiti, et ceperunt Buyam, Sanctum Danielem, Faganeam et Artineam, quibus adherebant Utinum et Glemona. Interim vero Comes Goritie, requisitis parentibus et amicis, congregavit exercitum ad summam D. armatorum et ultra, et ivit versus Glemonam apud Ospitalem, et fecit dampnum magnum Glemone circa vineas et segetes, et ipse recepit dampnum in hominibus et equis. Postmodum finxit velle devastare circa Glemonam, et ivi Susanum, et quia D. Federicus non erat presens in castro suo, sed Glemone in eorum auxilium, faciens insultum contra Castrum, obtinuit eum, et eo destructo, ivit Colloretum, et ibi faciens modicam horam, qui custodiebant Castrum tamquam viles tradi-

derunt, et eo derupto ivit Morutium, et habuit ipsum cum quibusdam pactis. Destruxit Pers, dein ivit Villaltam, quam non potuit habere. Tandem Paduanis et Tarvisinis deficientibus, quibus promiserat adjuvare eos prope Sacilum, quem non ceperat pars adversa Comiti, quasi omnes, relicto Sacramento, venerunt ad mandatum Domini Comitis, preter illum de Cucanea, de Pramperclio, de Villalta Dominum Federicum et Dominum Lodoycum de Porciliis tunc Capitaneum Portusnaonis.

Hec vero discordia duravit usque ad festum Sancti Johannis decollati, tertio exeunte Augusto: tunc facte sunt trevue; et eadem die Pisani habuerunt victoriam contra Florentinos, ubi conflicti fuerunt ultra quadraginta millia, de quibus pauci, relictis spoliis suis, equis, armis et tentoriis, dampnum ad valorem unius milionis, evaserunt; quorum Capitaneus erat Frater Regis Roberti dictus Princeps, cujus filius mortuus fuit et ejus frater bastardus. Et non fuit quasi aliqua domus Florentie nobilis, que non amisisset unum, vel duos, vel plures. Capitaneus illorum de Pisis erat quidam Nobilis de Marchia nomine Uguzon de la Fasola, cujus filius mortuus fuit illa die. Hoc fuit apud Montem Catinum, in castro Pisanorum, quod obsederant Florentini.

MCCCXVI.

Die xi. exeunte Aprili. In Prata dum aliqui fabri laborarent, ignis succensus est in domo, deinde progressus ad domos circumstantes, combuxit totam Pratam, preter illas domos incipiendo a Castro versus Orientem,

usque ad domos Domini Viviani filii q.m D. Bonacursii: totum residuum fuit combustum ultra viam versus occidentem, preter stabula equorum Dominorum de Prata apud Castrum, et unus de Gerano et due mulieres combuste fuerunt in igne. Et maxima multitudo vini, et bladi, et argenti, et aliarum rerum, quarum longum esset per singula enarrare.

In precedenti hyeme fuit maximum frigus, unde omnes quasi fici mortue fuerunt. et vites pro maxima parte.

MCCCXVII.

Anno Domini M.CCC.XVII. Per totum annum mortua sunt armenta.

Die quarto exeunte Decembri, electus fuit D. Artuicus de Castello Episcopus Concordiensis per mortem D. Jacobi Ottonelli Episcopi Concordiensis.

Eodem anno tanta fuit abundantia vini, et anno sequenti, quod homines non habebant unde reponerent ipsum, neque portabant eorum domibus in quibusdam locis; et hoc fuit per totam Italiam. Omnes repudiabant emere vinum, nec volebant octo Aquilegenses dare pro urna.

Primo die Januarii. Dominus Papa prefecit D. Castonum de la Turre, tunc Mediolanensem Archiepiscopum, Patriarcham Aquilegensem.

Creatus fuit Patriarcha Archiepiscopus Mediolanensis de domo illorum de la Turre per Dominum Papam, et frater ipsius Patriarche Raynaldus factus fuit Vicarius: qui convenit cum D. Comite Goritiensi, qui

resignavit omnes munitiones Patriarchatus, preter tamen quas retinuit in se per decem menses, videlicet Sacilum et Canipam, quos obligaverat D. Wecello de Camino.

Rexit hic per XIX et dimidium menses, et die XVIII. intrante Augusto, Florentie mortuus est. Veniens enim de Curia, ad Patriarchatum, nondum venerat in Forojulio, et dum faceret aliquam moram Florentie, propter infirmitatem suam et familie, et jam esset liberatus, et preparasset equos et familiam, eundo uno mane ad solatium, equus quem equitabat cecidit super eum, et mortuus est eadem die hora secunda.

Quo facto Dominus Comes obtinuit omnes munitiones Patriarchatus, preter Utinum et Glemonam, in quibus habebat tamen suos Gastaldos, et omnia jura spectantia Patriarche, et factus fuit Capitaneus generalis totius Forijulii, et X. intrante Septembri, Canonici Aquilegenses elegerunt Patriarcham, currente anno Domini M.CCC.XVIII; dum hec que dicta sunt super morte Patriarche facta sunt in mense Augusti et Septembris.

MCCCXVIII.

Mense Januarii. Dominus Canis obtinuit Montemsilicis cum toto Castro et Terra propter proditionem quorundam Nobilium de Terra, ubi maxima spolia habuit. Terram de Est destruxit; Plebem de Sac occupavit et spoliavit. Eodem mense quotidie currebat ante civitatem Padue. In sequenti mense Februarii cum magno exercitu venit ante burgos Padue expugnando ipsos. Paduani vero non audebant exire, et timebant proditionem inter se, quia omnes No-

biles qui erant extra, foris stabant; et custodiebant Civitatem cum Domino Odorico de Cucanea, quem fecerunt eorum Capitaneum cum ducentis stipendiariis, centum elmis et centum balistariis. Eodem mense Paduani convenere cum Domino Cane hoc modo, ut D. Canis haberet Montemsilicem cum dominio et quasdam alias munitiones, et omnes expulsi de Padua infra duos menses redirent, facta eis plena restitutione suorum bonorum, et omnes Forbanniti de Verona et de Vicentia debeant expelli de Padua, quod fuit maximi vituperii Paduanorum.

Eodem anno in Vigilia Sancti Bartolomei, circa dimidiam noctem ignis succensus est in Portunaonis versus molendinum superiorem, et combussit quasi totam Terram: et postmodum omnes inceperunt laborare de muro, quia antea domus erant quasi omnes de lignamine.

Primo Octobris. Invasit D. Canis Tarvisinos, et obsedit Civitatem, et obtinuit Montembellunam totam; et multi Nobiles Tarvisini astabant sibi, inter quos duo ex Advocatis, illi de Voluico, et ille de Montefuuno, de Coneglano Dominus Montfloritus de Coderta, et alii quam plures, illi de Camino superiori et inferiori; et obtinuit omnes quasi munitiones in Diocesi Tarvisina preter Coneglanum, Castrum Franchum et Mestre, et destruxit omnes burgos Civitatis et quasi omnes villas, preter affidatas, et recessit circa festum Andree.

Post hec D. Wecello de Camino obsedit Coneglanum, prius facto conflictu contra Tarvisinos primo Januarii in sequenti anno apud pontem Plavi. Isto medio Tarvisini miserunt Nuntios ad Ducem Austrie, supponentes se dominio suo, qui remisit nuntios suos honorabiles Domi-

no Cani, scilicet Dominum Episcopum Laventinum ejus Capellanum, et ejus Cancellarium.

MCCCXIX.

Post hec in M.CCC.XIX. prefatus D. Wecello obsedit Coneglanum, ab Epiphania usque ad dimidium Junii, cum magno exercitu, in quo expendidit ultra C. millia librarum; et tandem D. Comes Goritie ejus cognatus sub fraude removit obsidionem, et factus fuit Vicarius Tarvisii pro Duce Austrie nomine ipsius.

Dum D. Canis esset in obsidione Padue, et Dominus Comes Goritie esset Vicarius Regis in Tarvisio, concordati sunt cum juramento hoc modo, quod Dominus Canis restituet Domino Comiti Montembellunam et Asilum, et expulsi dicte Terre debeant redire constituti in omnibus suis juribus, et Comes debeat servire Domino Cani contra Paduam cum centum equitibus: sed Comes de mandato Domini Regis, ut dicitur, recepit Vicariam Padue contra Dominum Canem, et ita orta est maxima discordia inter eos, nec Dominus Comes poterat intrare Paduam, quia Dominus Canis obsidebat eam cum maximo exercitu. Tandem D. Comes cum auxilio Domini Regis, et circa Natalem ejusdem anni conduxit ultra mille elmos sine balistariis, inter quos erant multi Nobiles, scilicet ille de Walse, ille de Owenstain, de Fanemberch, Gralant et alii multi, quos obmitto: faciendo transitum per Forumjulii, destruxerunt villas et precipue Curiamnaonis, et venerunt Tarvisium. Tandem quia videbant non posse nocere Domino Cani, convenerunt cum eo,

quod obsidio remaneret in suo statu, et ille de Walse intravit Paduam usque ad Resurrectionem. Dominus Rex, et Dominus Comes, et Dominus Canis debebant convenire apud Bolzanum, et quidquid tractarent ibi observaretur a partibus. Sed cum Dominus Rex, D. Comes, et Dominus Canis in predicto termino non possent convenire, discorditer recesserunt.

MCCCXX.

Dominus Canis tenebat Paduam ita obsessam, quod nullus poterat intrare, et construxerat quemdam locum circa Paduam nomine Insula de la Scala, apud Pontem Bassanelli ubi habebat exercitum suum, et vallaverat ita Paduam, quod non poterat habere victualia, et erat tantus defectus in vino, quod una mensura, que consuevit haberi pro duobus parvis, valebat duos grossos et ultra; panis parum habebatur, et multi recedebant furtim de Civitate, et alii erant in desperatione. Sed tandem Dominus de Walse, qui dimiserat filium suum Padue et receperat pecuniam pro stipendiariis, timore filii ne Paduani interficerent eum propter delusionem, quam Paduani dicebant eum fecisse contra eos recipiendo pecuniam suam, conduxit CCCC. Elmos in mense Augusti, et veniendo Tarvisium una cum Domino Comite Goritiensi et Tarvisinis, ivit Paduam, et in crastino, scilicet die Sancti Augustini in Augusto, preparavit se cum Paduanis, et per quemdam passum arctum iverunt versus Dominum Canem, qui erat ex opposito cum CCCCC. ultramontanis, et sponte dimisit eos venire. Sed spe sua frustratus in-

vasit eos tarde, quia tanta multitudo jam transierat passum quod cum prius potuisset, non potuit eis obviare, imo conflictus fuit cum toto exercitu suo, et dimissa Insula, arripuit fugam versus Montemsilicem, deinde versus Vicentiam: in qua insula fuerunt ultra cc. interfecti et unus de Maccaruffis, et inventa fuit tanta abundantia rerum, quod Paduani omnem defectum quem habuerunt supplevere.

Postquam hec verra secuta fuit, eodem mense reversi sunt cum magno gaudio Paduam, et post duos menses Dominus Comes, et Dominus de Walse, et Dominus Canis composuerunt hoc modo, quod Dominus Canis dimitteret Regi Cittadellam et omnia fortilicia, que habebat in districtu Paduano, excepto Montesilice; et Paduani restituerent Bassanum Domino Cani. Item restituit Domino Comiti Montembellunam Monteyanam, et Castrum Baldum, et Dominus Comes restituit gratiam forbannitis Tarvisinis. Processu vero temporis D. Comes, et ille de Walse, et nuntii D. Canis iverunt ad Regem Alemanie prius Ducem Austrie, currente M.CCC.XXI. mense Augusti, et facto colloquio, Dominus Rex contulit Paduam Duci Karinthie, remoto illo de Walse; et ille de Owestain cum CC. Elmis in vigilia omnium Sanctorum pernoctavit in Curianaonis, et in die sequenti in Festo, facto prandio, cum magno dampno rusticorum ivit versus Paduam, ubit fuit receptus nomine Ducis predicti.

MCCCXXI.

Mense Junii Dominus Wecello de Camino, facta pace cum Episcopo Feltrensi filio D. Rambaldi;

misit pro eo ad quoddam Colloquium in Civitate de Belluno, et dum esset Episcopus cum eo in Ecclesia Fratrum Minorum, fecit eum interfici coram se: deinde ivit Feltrum, et occupavit eum cum magna comitiva; sed Decanus et quidam alii Nobiles fecerunt venire Dominum Sinum, qui erat nepos illorum de Romano et gentem Domini Canis Feltrum, et tradiderunt eis locum; et D. Wecello arripuit fugam, et ivit in Civitatem ubi fuerat interfectus Episcopus; et D. Canis misit gentem suam et obsedit Cividatum: sed D. Wecello cum quibusdam stipendiariis erat ex opposito. Tandem fecerunt treguas per totum Augustum, deinde producte cum intervallo usque ad festum omnium Sanctorum.

In festo Galli, die Veneris incepit pluere de die et non multum, in nocte fortiter, et in Sabbato sequenti circa tota nocte fuit maxima pluvia, pro qua facte sunt inundationes maxime aquarum per totum Forumjulii juxta flumina, quarum non habebatur memoria a C. annis citra, atque in Alemania, et Lombardia. Et Prata submersa fuit tota usque ad trabes, et palatium quasi per unum passum Communis; et fuit mirabile de tanta inundatione, quod veniente diluvio duorum dierum, in tertia, scilicet die Dominico et sequenti die lune factum fuerit divinum judicium.

MCCCXXII.

Die Jovis de mense Septembris, in Festo Michaelis. Dux Austrie fuit conflictus per Dominum Ducem Bavarie et captus, nomine Federicus; et CCCC. Nobiles

Austrie cum minoribus; et ejus frater nomine Henricus qui eodem anno fuerat Dominus in Brixia.

MCCCXXIII.

Die septimo exeunte Aprili. Henricus Comes Goritie post prandium dum lusisset cum quibusdam militibus suis Tarvisii ad grimaliam, subito supervenit quidam dolor in pectore, unde festinanter cum sua familia ivit ad palatium suum, et eundo per scalas non potuit se substinere, et cecidit. Portatus ad lectum in momento amittens loquelam, diem clausit extremum, et Tarvisini timentes Dominum Canem, elegerunt filium dicti Comitis in suum Capitaneum, sicut erat dictus Comes; et ille de Duino, qui tunc erat Tarvisii ejus ministerialis recepit Capitaneatum nomine ipsius filii qui tunc erat pupillus, sive duorum mensium.

MCCCXXIV.

Dominus Dux Otho Austrie et Dux Karinthie in fine Maii venerunt Paduam cum duobus millibus Elmis et octingentis balistariis, lanceis septem millibus, equis et rusticis quatuor millibus, et transitum faciendo per Diocesim Tarvisii spoliaverunt omnes quos inveniebant, et destruxerunt quasi omnes segetes et armenta usque Mestre: receperunt hoc inde Paduani. Paduani facto exercitu iverunt versus Vicentiam usque ad pontem Quartaroli, et currerunt Teutonici ante Vicentiam et combusserunt unum burgum, et cum dampno recesse-

runt. Postmodum iverunt versus Montemsilicem, et per mensem et ultra stantes in obsidione receperunt maximum dampnum equorum propter infirmitatem, et multi mortui sunt ex eis, et infirmabantur multi, ita quod propter timorem infirmitatis fecerunt trevuas undecimo intrante Julio cum domino Cane de Scalis usque ad Festum Resurrectionis sequentis, contra velle Paduanorum, et recedentes inde venerunt Paduam die Dominico decimo exeunte Julio.

Dux Otho Austrie intravit Portumnaonis cum paucis, et ivit usque ad pontem primum Castri non descendens, et reversus ivit versus Tulmentum, multi alii Barones extra Terram expectantes iverunt cum eo. Tunc ferebatur quod Dux Karinthie habuisset a Domino Cane XL. M. libras et ultra: sed Dux Austrie nihil habuit.

Quarto exeunte Octobri Dominus Canis accepit Serravallum, et octava intrante Novembri accepit Cavolanum. In Circumcisione Domini obtinuit Castrum Righinzoli pro mille Florenis quos dedit filio Domini Resti.

A Martio usque ad finem Julii tempus fuit totum siccum, excepto in principio Junii in quo fuerunt magne pluvie, ante et post quasi nulle. A decima die Julii exeuntis usque ad Nativitatem Domini quasi nulle pluvie, et ut breviter dicam, tempus totius anni fuit siccum, et magna abundantia bladi et vini. Frumentum valebat XII. grossos, Milleus VI. Surgus duos grossos, urna vini VI. grossos. Et in eodem anno ver incepit tempestive: nam in Aprili erat multitudo rosarum, cerase multa matura, et uve ante festum Margarete inveniebantur,

mature; flores ficuum octavo intrante Junio inveniebantur mature.

MCCCXXV.

Relaxatus fuit Dux Federicus Austrie a carceribus, retentus per ducem Bavarie cum certis pactis, mense Aprilis.

Die XXIII. Septembris. Florentini conflicti fuerunt in valle Altopascii per Castruccium Castracanem Vicarium Luce, Lune et Pistorie nomine Imperii. Ex parte Florentie erant tria millia equitum et XXX millia peditum, quos congregaverant de Perusio, de Sena, de Bononia, et Marchia Anconitana, et ab omnibus locis a Roma citra, de quibus pauci evaserunt quia aut mortui, aut capti fuerunt. Capti de Florentinis fuerunt XL. nobiliores et ditiores totius Civitatis, et septima die precedenti in alia parte pediderunt V. Capitaneus Florentinorum tunc erat Dominus Raymundus de Cardona, qui fuit captus cum ejus filio et duobus nepotibus suis; et eadem die obtinuit dictus Castruccius quoddam Castellum nomine Castrum novum, et omnes munitiones quas habebant circa flumina in illis confinibus Florentini; et persecutus fuit Florentinos usque Valdarnum spazio octo milliariorum; postea ivit dictus Castruccius cum suo exercitu prope Florentiam per unum milliare comburendo et devastando per totum; et secundum quod littere referebant, que lecte fuerunt ubi eram presens, Florentia erat spoliata quasi ex toto nobilibus et probis viris et omnibus eorum amicis qui miserunt ei subsidium. Prefatus Ca-

strucius habebat circa tria millia equitum et xv. millia peditum.

Hyems durissima usque ad dimidium Aprilis, quare nulla philomena audita est, et segetes erant depresse quasi essent in Martio. A Januario usque ad finem Februarii non pluit et non semel. Deinde Martius frigidissimus et siccus, tamen in fine cepit pluere. Aprilis frigidissimus usque, ad medietatem. Deinde tota estas quasi sicca et autumnus: unde in eodem anno mortifere infirmitates et continue; et in magis quantitate fuerunt in toto forojulio. Et in tota Marchia abundantia fuit bladi et vini. Et hoc fuit propter instabilitatem aeris, quia dispositiones temporum generant morbos sibi similes, ut dicit Avicenna.

MCCCXXVI.

Mense Aprilis, seu Madii Dux Bavarie renuntiavit Imperium coram Electoribus, quia videbat se non posse substinere, quia Papa excommunicabat eum cum suis sequacibus et haderentibus.

Quarto intrante Junio fuit maxima tempestas, et in crastino magna pruina in Portunaonis.

In mense Martii, et Aprilis, et Maii tanta fuit abundantia bladi quod frumentum habebatur pro xxviii. solidis parvorum ad mensuram Venetiarum, milleum pro xiv. Surgus pro viii. In vino, nec in avena non erat bonum forum: nam urna vini in vinea et alibi valebat quatuor libras, vi. in Augusto et ultra. In precedenti anno fuit blada quasi in eadem foro. sed vinum habebatur pro optimo

foro in Julio et Augusto pro XL. solidis urna Portusnaonis. In sequenti anno valebat Frumentum XXIV.

MCCCXXVII.

A secunda die intrantis Martii, usque ad Festum omnium Sanctorum continue fuit tempus ploviosum, ut nunquam XV. dies essent continui sine pluvia. In quo anno fuit magna copia frumenti et siliginis, avene, spelte et fabe; et maximus defectus millei et surgi. In vino fuit magnus defectus, in Rabiola. Propter diversas tempestates in Forojulio in quibusdam locis fuit copia, in quibusdam defectus. In Marchia Tarvisina fuit copia vini.

Rex Romanorum nomine Lodoycus Dux Bavarie intravit Lombardiam, et venit per Veronam, et requievit Comi mense in fine Martii; et Dux Austrie remansit Rex Alemanie; et tertia die intrante Majo Regina secuta est eum cum quinquentis galeatis, et septingentis balistariis Regni; sed Regis Marescialius cum illis de Mediolano removit exercitum, et redito Legato Domini Pape qui erat ei contrarius ab obsidione burgi Sancti Donnini, munivit ipsum omnibus materialibus cum dampno Legati, licet idem Legatus habuisset in campo majorem exercitum; quo facto reversus est Comis.

Et die ultimo Maii in festo Pentecostes dictus Rex coronatus fuit Mediolani in Ecclesia S. Ambrosii; deinde ivit Lucam, et obsedit Pisas. Tandem Pisani conversi et concordati sunt cum eo, tradentes ei civitatem, et posito Vicario ibidem in mense Januario, accepta pecu-

nia in magna quantitate a Pisanis, ivit Romam, ubi receptus fuit cum maximo honore a Clero, populo et Nobilibus Romanis; et xvi. Intrante Januario coronatus fuit, et inunctus Oleo Sancto, et ejus uxor. Tandem propter pestem reversus est in Lombardiam.

MCCCXXVIII.

Mortuus est Castruccius Dominus Luce, Pistorie et de Pisis, et eodem anno Rex predictus reversus est in Alemaniam.

Prima die Augusti incepit pluere usque ad devolutionem anni; et adeo fuit tempus corruptum quod numquam fuerint sine pluvia xx. dies continui.

Mense Octubris. Padua fuit tradita Domino Cani de Scalis per Dominum Marsilium de Carraria.

MCCCXXIX.

Dominus Canis obsedit Tarvisium quarto intrante Julio, et in octava die tradita fuit sibi Civitas, et die tertia post diem clausit extremum propter dissenteriam quam habuit, sicut per Astrologum quemdam predictum fuit per xxxiii. annos ante quod Dominus Canis debebat esse dominus totius Marchie Tarvisine, et postea debebat in brevi tempore mori, et ita factum est.

MCCCXXX.

A Nativitate incepit corrumpi et duravit usque

per totum Madium, in quo spatio numquam fuit x. diebus continuis tempus clarum, sed tempus pluviosum vel nubilosum: dein usque ad Kalendas Augusti tempus reedificatum est usque ad festum S. Martini, dein iterum corruptum usque ad Nativitatem Domini.

MCCCXXXII.

Tanta fuit abundantia bladi et vini, quod Frumentum valebat xx. solidos parvorum ad mensuram Venetorum, Siligo xvi. Avena. .x. Vinum pro xiv. urna ad mensuram Portusnaonis. In precedenti anno bladum in simili foro, sed vinum valuit urna xii. grossos, et Milleum vi. grossos, et tres Surgus, et Avena v. grossos.

Mense Junii Brixienses inter se discordes. Gibellini tractabant dare Civitatem Capitaneo Mediolanensi, sed Welphi propendentes pervenerunt et tradiderunt eam Domino Alberto et Domino Mastino de Scalis. Sed Gibellini cum Teotonicis qui erant pro Rege Boemie in Civitate, ei prius per utramque partem tradita, habuerunt recursum ad Castrum super Civitatem. Tandem pro pecunia non modica restituerunt Castrum, salvis bonis et personis die Sabbati quarto intrante Junio.

In precedenti millesimo prius nominato, Avena habebatur pro x. et starium Millei pro xii. et Surgus pro v. et hoc perduravit usque ad festum Petri anni sequentis scilicet m.ccc.xxx.iii.

MCCCXLVII.

Indictione xv. die sexto intrante Martio. Nobilis vir Dominus Brizaja de Porciliis Capitaneus Portusnaonis ex hoc seculo transmigravit, et eodem mense die xv. expletum fuit Campanile Ecclesie Sancti Marci de Portunaonis.

Die tertio exeunte Novembri. Dominus Aluysius Rex Hungarie transivit per Curiamnaonis cum v. equis: sed Dominus Biachinus de Porciliis Capitaneus Portusnaonis ivit obviam cum C. et L. equis usque in Campum Mollem, et dum Dominus Biachinus acciperet ab eo Rege licentiam, Rex porrigit ei dexteram leto vultu, et ivit Sacillum. Ibi mansit quatuor diebus, ac die tertio intrante Decembri recessit de Sacillo forsan cum mille equis, et ea die ivit Cittadellam. Qualiter se regat et faciet, Deus noverit.

Eodem anno fuit maxima caritudo, scilicet bladi et Segalis, ac unus starius Frumenti vendebatur libris vii. parvorum et ultra, Segalis eodem millesimo libris v. parvorum, Surgus libris tribus et dimidia in gallinis ac ovibus, et carnibus.

MCCCXLVIII.

Die xxv. Januarii, in conversione Divi Pauli post Nonam. Regnavit subcessive terremotus tribus vicibus. Prius fuit debilis, secundo fuit multum magnus, horribilis ter-

tius subsecutus. Nam quatuor capitella grandia nostri Campanilis fuerunt submissa, et mortuus fuit quidam pupillus. Omnes persone stupuerunt et conturbate fuerunt. Naves octo demisse, et majori parte ingulate fuerunt. Tantum in civitatibus sitis juxta mare regnavit, tandem in Civitatibus sitis juxta montes, et hoc fuit in tota Italia. In Alemania regnavit multum dictus terremotus, sed taceo quia non bene novi.

MCCCXLIX.

Die tertio exeunte Madio, nobilis juvenis Lodoycus filius q.m nobilis viri D. Biachini de Porciliis Capitanei Portusnaonis sponsavit uxorem Gildam filiam D. Comitis de Collalto.

Die penultima Aprilis. Quidam Nobilis Legatus de parte Regis Francie transivit per Portumnaonem, et hoc fuit ex tractatu D. Bianchini nostri Capitanei. Sed Sacerdotes cum vexillis et crucibus mediante populo iverunt obviam usque ad Sanctum Johannem, et Dominus Biachinus, Dominus Articus et Uecellus omnes de Porciliis descenderunt equos, et conduxerunt ipsum D. Legatum per redenam equi, et Dominus Biachinus fecit dare potum cum confectibus non solum Dominis, sed omnibus scutiferis ad sufficientiam.

MCCCL.

Anno Jubilei M. CCC. L. Indictione tertia, die sexto Junii. Patriarcha Bertrandus mortuus fuit inter Rau-

sedum et Barbeanum per gentem Comitis de Goritia mediante illis de Civitate Austrie et illis de Villalta, iis omnibus venientibus furtive Spingebergum, tractatu quorundam Dominorum de Forojulio: sed taceo pro meliore mei. C. M. R. o.

N.° 19.

1317 *Padova.*

Principali gesta di Pagano mentre era ancora Vescovo di Padova.

Cavatius. Hist. Cænobii. D. Justinæ. L. III.

Paganus apud Patavinos virtutis opinionem, factis retinuit, et sacrorum Ordinum disciplinam, atque pacem inter factiosos cives curavit. Episcopales ædes extruxit majori magnificentia quam ferret ea ætas, et præter sacrarum rerum administrationem, etiam in publicis conciliis optimi senatoris, et interdum etiam imperatoris munere functus est. Gualpertinum Abbatem dilexit acri hominem ingenio, studio ejusdem factionis delectatus. Cum eo bellicam expeditionem aggressus, feliciter confecit. Cum Patavinorum exercitus aliquando agrum Veronensium devastaret, hi alterum exercitum in penetralia Patavini agri prope septimum lapidem deduxerant. Fama increbuerat urbanum exercitum impedimento detineri, ne urbi auxilio esse posset, eamque præsidiis vacuam præsentibus copiis tentandam. Paganus, ut insigni audacia edoceret militem in urbe esse qui non solum eam tueretur, sed ultro hostem lacesseret cum Gualpertino delectum clien-

tium et familiarium habet, eos centuriat, veteranos cogit, et ad Cortarodulum cum hoste collatis signis prospere pugnat. Ea victoria pulsus ex agro hostis, atque ingens præda recepta. Prælati ovantes urbem inierunt.

N.° 20.

1317 4 *Gennajo*
Lega de' Signori di Maniaco, il Comune di Fanna e i Signori di Polcenigo contro i Friulani.
Antonio di Ailino di Maniaco Not.

Die quarto intrante Januario. Presentibus D. Piligrino D. Varnerii, Francisco barberio de Maniaco, Buzzutta, Coppa, Leonardo de Fondella, Petro de .... et aliis.

Dominus Almericus filius q.m D. Oluradi, Nicolaus filius q.m D. Odorici dicti loci, Oluradus filius q.m D. Purfilii, et Nicolaus de Porta, et Bratta, Masuttus, Pedonessa, Warnerussius, Fanta, Wargentus, et Bindulinus cum voluntate Communitatis Maniaci pro se et dicta Communitate juraverunt fidantiam illorum Dominis de Pulcinico, et hominibus et Communi Fanne, et eorum servitoribus hinc ad Sanctum Georium, sub tali conditione, quod una pars alteri teneatur auxiliari tam de die quam de nocte contra quoscumque alios homines seu personas de Forojulii, salvo tamen D. Vicario Aquilegensis Ecclesie; cum hoc quod si accideret quod D. Comes, seu Vicarius Aquilegensis vellet offendere de loco unius illos, quod una pars alteri teneatur declarare octo dies ante. A. N. U. o.

N.° 21.

1317 10 *Gennajo Avignone*

L' elezione di Gillone di Villalta a Patriarca d' Aquileja fatta da quel Capitolo è annullata dal Pontefice Giovanni XXII. che nomina in di lui vece Gastone della Torre Arcivescovo di Milano.

Johannes Episcopus servus Servorum Dei. Dilectis filiis populo civitatis et Diocesis Aquilegensis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Romani Pontificis, quem Pastor ille celestis et Episcopus animarum, potestatis sibi plenitudine tradita, Ecclesiis pretulit universis, plena vigiliis solicitudo requirit, ut ipse circa cujuslibet statum Ecclesie sic vigilanter excogitet, sic prospiciat diligenter; ut per ejus circumspectionem providam, et providentiam circumspectam, nunc per semplicis provisionis officium, nunc per ministerium translationis, accommode prout locorum et temporum qualitas exigit, Ecclesiis singulis Pastor accedat idoneus, et Rector providus deputetur: sicque Ecclesie ipse, superni favoris auxilio suffragante, votive prosperitatis successibus gratulentur. Dudum siquidem felicis recordationis Bonifacius Papa VIII. Predecessor noster ex certis et rationabilibus causis, que ad id eum moverunt, provisionem Ecclesie Aquilegensis, si tunc vacaret, vel cum eam quocumque modo vacare contingeret, ea vice dispositioni et ordinationi sue, ac Sedis Apostolice reservavit de Apostolice plenitudine potestatis: districtius in-

hibens, ne Capitulum ipsius Ecclesie, seu quicumque alii ad aliquam electionem, postulationem seu provisionem de preficiendo eidem Ecclesie Patriarcha, vel Pastore, ea vice procederent quoquomodo: ac decernens ex nunc irritum et inane, si secus per quoscumque scienter, vel ignoranter contingeret attentari. Postea vero eadem Ecclesia per obitum bone memorie Ottoboni Patriarche Aquilegensis Pastoris solatio destituta, cui quidem Ecclesie idem Ottobonus tempore predicte facte reservationis presidebat; dilecti filii, Capitulum Ecclesie, reservationis hujusmodi forsan ignari, dilectum filium Gilonem Archidiaconum Aquilegensem, defectum natalium patientem, per viam Compromissi unanimiter postularunt: dictusque Archidiaconus hujusmodi postulationi pretentate sibi pro parte Dilectorum Capituli non consentiens, nec dissentiens, sed super hoc dispositioni Apostolice Sedis se committens, propter hoc personaliter, ad Apostolicam Sedem accessit: dictique Capitulum, presentata nobis per eorum certos Procuratores et Nuncios, ad nos propter hoc specialiter destinatos, postulatione hujusmodi, a nobis petierunt ut hujusmodi postulationem admittere de benignitate Sedis Apostolice dignaremur. Nos igitur postulationem, et personam ipsius Archidiaconi per venerabilem fratrem Nicolaum Episcopum Ostiensem, et dilectos filios nostros Nicolaum titulo S. Eusebii Presbiterum, et Neapoleonem S. Adriani Diaconum Cardinales examinari fecimus diligenter: et facta nobis ab eisdem Episcopo, et Cardinalibus, super his relatione fideli, postulationem ipsam, quam invenimus post reservationem per eumdem Predecessorem, ut predicitur, factam, temere attentatam, auctoritate Apostolica irritam

decrevimus et inanem. Ac de ipsius Ecclesie ordinatione solicite cogitantes, ne prolixioris vacationis exposita incommodis remaneat, post diligentiam quam ad preficiendum eidem Ecclesie idoneam ac approbatam personam adhibuimus vigilanter, in Venerabilem Fratrem nostrum Castonum Patriarcham Aquilegensem, tunc Archiepiscopum Mediolanensem, litterali scientia preditum, generis nobilitate preclarum, morum honestate decorum, discretionis et consilii maturitate conspicuum, et aliis claris virtutibus insignitum, noster animus requievit. Intendentes igitur tam gregi Dominico, quam dicte Ecclesie salubriter providere, eundem Castonum Patriarcham, de dictorum Episcopi et Cardinalium et aliorum fratrum nostrorum consilio, ac Apostolice potestatis plenitudine a vinculo, quo tenebatur Mediolanensi Ecclesie, cui tunc preerat absolventes; ad dictam Aquilegensem Ecclesiam ipsum transtulimus, ac eundem Castonum in Patriarcham ipsi Aquilegensi Ecclesie prefecimus et Pastorem. Liberam sibi dantes licentiam, ad dictam Aquilegensem Ecclesiam transeundi; sibique subsequenter Pallium, plenitudinem videlicet Pastoralis Officii, de corpore B. Petri sumptum, et ab ipso Patriarcha ea que decuit instantia postulatum, ad nomen et usum ejusdem Aquilegensis Ecclesie, per dilectos filios nostros Neapoleonem S. Adriani, et Franciscum S. Marie in Cosmedin, Lucam S. Marie in via lata, et Arnaldum S. Marie in Porticu Diaconos Cardinales, fecimus assignari; firma concepta fiducia, quod suos actus et opera, illius clementia dirigente a quo universorum charismatum dona proveniunt, prelibate Aquilegensi Ecclesie per ipsius Patriarche se-

riosam solertiam, suumque ministerium studiosum honoris et prosperitatis multiplicis votiva proveniant incrementa. Quocirca universitati vestre per Apostolica scripta mandamus, quatenus predictum Patriarcham debita honorificentia prosequentes, ei fidelitatem solitam, nec non consueta servitia, et jura sibi a vobis debita, exhibere integre studeatis: alioquin sententiam sive penam, quas idem Patriarcha rite tulerit seu statuerit in rebelles, ratas habebimus; et faciemus auctore Domino usque ad condignam satisfactionem inviolabiliter observari.

Datum Avenione IV. Idus Januarii Pontificatus nostri anno primo. A. T. o.

N.° 22.

1317 11 *Gennajo Avignone.*

Gastone della Torre notifica la sua elezione a Patriarca di Aquileja al Decano e Canonici di quel Capitolo, ad Enrico e Mainardo Conti di Gorizia, ed al Comune di Trevigi.

Castonus, Dei et Apostolice Sedis gratia Sancte Sedis Aquilegensis Patriarcha, Dilectis filiis, Decano et Capitulo Ecclesie Aquilegensis, salutem et dilectionem sinceram.

Regis eterni filius, auctor concordie, princeps pacis, Ministros suos illuminat miris semitis, providentie arcano, ad dirigendum filios adoptionis in pacem. Quibus redemptis aspersione sui sanguinis pretiosi, ab eis corporali presentia discessurus, pro hereditatis censu reliquit glo-

riosissimum donum pacis, in ipsius ortu ab Angelis bone voluntatis hominibus in terris primitus nunciatum. Quod presentialiter experimur, dum suum Vicarium, sue Sancte Militanti Ecclesie datum Sponsum, divinitus inspiravit, illum debere sancte Sedi Aquilegensi preficere in Pastorem, qui a suis teneris annis, in singulis gradibus sui status, ipsam sanctam Sedem reverenter in omnibus tamquam Matrem, ipsiusque fideles tenere devotionis instantia juxta gradus et merita singulariter diligit, et dilexit in eis, ut in se ipso tranquillitatem et pacem.... Sanctissimus Pater et Dominus Johannes divina Providentia Papa xxii....

Datum Avenione die xi Januarii.

Castonus etc. Nobili et dilecto filio Henrico Goritie et Tirolis Comiti, affini suo carissimo, salutem cum sincere dilectionis affectu.

Nobilitatem vestram presentis nostri status participem reputantes, quo Magnificentie vestre gaudium tribuant exaltanter, et correlativum augmentum ingerant affluenter; scribere vobis cogimur innata dulcedine nostri cordis. Vestre ergo magnifice Nobilitati presentibus innotescat, quod sanctissimus Pater et Dominus noster D. Johannes divina Providentia Papa xxii. qui nos familiariter cognovit preteritis temporibus et dilexit, et favet presentialiter animo dulcis Patris; motu proprio in festo B. Silvestri proxime preterito nobis providit de Patriarchatu S. Sedis Aquilegensis, et die decima hujus mensis in plenitudinem Pontificalis dignitatis fecit Pallium nobis tradi. Cujus regimen et honorem, nobis onus importabile quodammodo reputamus nostra singulari et

fragili essentia humanitus circumspecta: sed intercessionibus Virginis gloriose specialis vocabuli dicte Sedis, ejusque principalium Patronorum, de omnipotentis Dei, ipsiusque Vicesgerentis in terris presidio principali, vestrisque consiliis et favoribus plenissime confidentes, hujus oneris sarcinam supportare taliter opinamur, quod inde apud ipsum omnium Conditorem mereri, ejusque Vicarium Apostolicum vobis exultantibus, nobisque faventibus poterimus commendari. Quare vestram caram affinitatem, et Magnificentiam predilectam rogamus, affectione qua possumus cariore, quatenus provisio...

Castonus etc. Nobili et Dilecto Filio Contesello Mainardo, Nepoti nostro carissimo, omni tenere dilectionis affectu salutem.

Quibus Nobilitatem vestram conspicimus exaltari, et totis spiritibus gloriari ea dilectione tenera vobis cogimur intimare. Ergo prudentie vestre presentibus innotescat, quod Santissimus Pater Dominus noster D. Johannes divina Providentia Papa XXII, cujus notitiam habemus familiariter ab antiquo, in festo B. Silvestri proxime preterito nobis de Patriarchatu Aquilegensi providit, nemine suggerente: ad cujus gubernationem, divina gratia precedente, dictique sanctissimi Patris nostri presidio concurrente, Magnifici D. Comitis Patris vestri ac vestris consiliis, auxiliis, et favoribus opportunis intendimus taliter nos habere: quod penes Deum et mundum possimus una vobiscum spiritualiter, et temporaliter commendari. Vosque cum dilecto D. Comite Patre vestro possitis merito gloriari. Vireat et valeat vestra cara nobilitas juxta vota, et nos suis beneplacitis

benevolos et intentos pro se et suis requirat in omnibus opportunis.

Nobilibus et prudentibus viris dominis Potestati, Consulibus et Communi civitatis Tarvisii amicis suis carissimis, Castonus Dei et Apostolice Sedis gratia sancte sedis... Successuum incrementa, correlativa dilectio et identitas... cordis dulcedine nos constringunt sinceritati vestre promotionem nostram... et familiarem nostrum dilectum presentibus intimare. Hinc vestra sincera devotio noverit gratiose, quod Sanctissimus Pater dominus noster Johannes divina providentia Papa XXII. in Festo B. Silvestri proxime preterito de Archiepiscopatu Mediolanensi, ad Patriarchatum S. Sedis Aquilegensis, motu proprio, nos transtulit et promovit, decima die intrantis mensis Januarii, in plenitudinem Pontificalis Officii faciens, Pallium nobis tradi. Nos enim, licet ad tanti oneris sarcinam supportandam humane fragilitatis respectu, insufficentes nostros humeros cognoscentes, simus in extasi quodammodo constituti; in illius tamen qui balbutienti loquacitatem sonoram, rudibus spiritum prophetie, et debilibus potentiam tribuit affluenter, misericordi gratia consueta, vestreque devotionis potenti constantia, et gloriosa potentia confidentes, Patriarchatum hujusmodi vestris consiliis, favoribus et auxiliis rigorosis gubernare taliter arbitramur, quod tam vester, quam noster, nostrorumque omnium amicorum status et conditio prosperetur, et vobis, et ipsis sic nobis equaliter sit provisum. Ad hoc igitur studiis efficacibus, et summis vigiliis intendentes, claram, et devotam dilectionem vestram suppliciter exoramus, quatenus provisionem hujusmodi vestram pro-

priam reputantes, in executione ipsius nobis velitis assistere auxiliis, consiliis et favoribus opportunis, quantum vestra in hoc facta propria faciatis, prudenti et provido pondere ponderantes. Porro hujus Patriarchalis dignitatis nuntius sigillo nostro proprio, quod fieri fecimus non completo, presentes nostri antiqui secreti sigilli impositione, fecimus communiri.

Datum Avenione die xi. Jannarii. B. V. U. o.

N.º 23.

1317 17 *Gennajo Cividale*

Procuratori nominati dai Canonici di Cividale, onde ottenere la conferma della divisione de' beni del loro Capitolo.

Stefano Guglielmini N.

Die lune xv. exeunte mense Januario. In Capitulo Majoris Ecclesie Civitatis Austrie, Aquilegensis Diocesis. Presentibus discreto viro presbitero Francisco Subcustode Ecclesie supradicte, Coradutio filio Stephani dicti Snachil de Civitate, Jacobo familiare D. Philipponi de la Turre susbscripti, Nichulutto portario de Civitate, et Chantiano dicto Boxino de Gallano, et aliis.

Venerabiles viri Domini Johannes Pernardi Vicedecanus, Nicolaus de Portis, Mannus de Florentia, Guarnerus de Pulzinico, Hermannus de Budrio, Guido de Manzano, Nicolaus de Medea, Johannes Custos, magister Gerardus, Bernardus de Civitate, Dyomedes de Trivisio, omnes Canonici Ecclesie Civitatensis predicte, in dicto eorum Capitulo more solito congregati, fecerunt, constituerunt,

et ordinaverunt prudentes viros Dominos Philipponum de la Turre et Petrum de Orsaria, eorum Concanonicos, presentes etc. suos veros procuratores, sindicos et nuntios speciales, specialiter ad impetrandum confirmationem cujusdam divisionis bonorum, mansorum, ac possessionum ejusdem Ecclesie inter dictos Canonicos nuper facte: quam quidem divisionem prefati Canonici asserebant esse utilem Canonicis et Capitulo Ecclesie Civitatis predicte, a venerabilibus viris Dominis Guilielmo Decano et Capitulo Ecclesie Aquilegensis, nunc Aquilegensi Sede vacante, nec non confirmationem divisionis quorundam bonorum, mansorum, et possessionum inter dictos Canonicos Civitatis, seu Capitulum ex una parte, et venerabilem virum D. Guarnerum Prepositum dicte Ecclesie Civitatensis, seu successores suos ex altera, celebrate et facte, ut publico Istrumento manu Morandini notarii de Civitate dicitur plenius contineri. Et quascumque confirmationes petendum et obtinendum, tam utiles, quam necessarias ad predicta, et quodlibet predictorum. Et generaliter omnia et singula faciendum etc. Promittentes etc. R. o.

N.° 24.

1317 18 *Gennajo Gemona*

Lega di alcuni Signori del Friuli coi Padovani contro il futuro Patriarca e le Comunità di Udine e Gemona.

Francesco Sibelli N.

Anno Domini M. CCC. XVII. Indictione XV. die

quarta decima exeunte Januario. Presentibus D. Federico Capitaneo de Utino, Hermanno notario de Glemona, Valcono Valuta, Jacobo Cerioli, Jacobo de Lech, Petro de Altaueto, et aliis.

Nobiles viri Federicus de Pers, Artuichus de Pramperch vice sua, ac D. Guilielmi fratris sui, et Rantulphinus de Villalta in solidum fecerunt et constituerunt suum certum nuntium et specialem Bernardum Cerioli de Glemona, licet absentem, ad jurandum, et unionem faciendum cum magnificis Dominis Potestate, et Antianis Civitatis Padue contra D. Patriarcham Ecclesie Aquilegensis futurum, et Communitates Utini et Glemone, et contra eorum sequaces ad jurandum, et Sacramentum in animas suas faciendum ... Promittentes relevare cum obligatione omnium suorum bonorum. Actum Glemone in foro ante stationem Antonii Bave. A. C. U. c.

N.º 25.

1317 6 *Febbrajo Genova*

Napino della Torre comandante delle truppe spedite da' Fiorentini in Genova in sussidio di Roberto re di Napoli, rende conto di un fatto d' armi nel quale esso ebbe parte.

In nomine Domini amen. Anno a Nativitate millesimo tricentesimo decimo septimo. Indictione secunda (sic) die sexto mensis Februarii. Ego Nicolinus Tanci notarius infrascriptus, vidi et scripsi rogatus a nobili viro

Napino de la Turre de Mediolano Generale, Capitaneo, Rectore, Conductore et Gubernatore gentis armigere, tam equestris, quam pedestris Communis Florentie missis Janue in subsidium Serenissimi D. Regis Roberti, et Communis Janue, et Beraro de Luguniano Capitaneo viginti quinque equitum, et Aserferro de Montecatino, Capitaneo de centum peditibus, et Andrea de Montecatino, Capitaneo de centum peditibus et Gerrino de Somaja, Capitaneo de centum peditibus, et Lotto Cernilera, Capitaneo de quinquaginta peditibus, et Ficho de Monte Catino, capitaneo de quinquaginta peditibus, omnibus Capitaneis existentibus cum dicto D. Napino ad dictum stipendium. In presentia infrascriptorum talium omnia et singula infrascripta. Cum certum quod Serenissimus Dominus rex Robertus suum fecit exercitum generalem cum magna armata equorum et peditum per mare, in qua armata fuerunt ultra quinquaginta quinque corpora navium, inter Galleas et Usgeriis et alia ligna armata ultra viginti quinque: et Dominus Adamadus de Scallea Vice-Amiraglius dicti D. Regis, et Dominus Guglielmus de Nesi Marescalchus D. Regis, in quo exercitu fuit astandardum etiam generale D. Regis, et vexillum, seu standardum Communis et populi Janue: et D. Luchinus de Nigro generalis Amiraglius ejusdem Communis, et communiter in dicto exercitu estimati fuerunt milites armigeri octo, et pedites decem millia. Et die quinta Februarii dicta armata et exercitus exivit de portu Janue, transiens versus partes occidentales, et die sequenti sexto dicti mensis hora Vesperarum, dicte gentes equites et predites violenter, et vi armorum, inimicis prohiben-

tibus pro posse, descenderunt ad terram de Sextro de ponente, et ibidem erant inimici cum suo exercitu generali, et ordinatis aciebus et prelio, per gratiam divinam, in ruinam et sconfictam deposuerunt inimicos in capiendo, et derubando, et interficiendo ipsos in dicto prelio generali; et ipsos inimicos persecuti fuerunt per tria milliaria, et ultra: in quo quidem prelio generali dictus D. Napinus, Bernardus, Ser Ferrus, Andreas, Gerrinus, Cecchus, Lottus et Fichus una cum comitiva sua equitum et peditum, interfuerunt; et in tantum conflictum et exterminium fuerunt, quod gentes ille, que remanserant ad custodiendas fortilicias montium et burgorum in quibus erant castramentati contra Serenissimum D. Regem et civitatem Janue, incontinenti nullis tubis, nullis campanis pulsatis, fugierunt, equis, robisque multis derelictis. Itaque preda de omnibus equis, et robis eorum duravit per spatium duorum dierum, et ultra.

Actum fuit hoc istrumentum de iis, que in dicto conflictu, in dicto prelio generali facta fuerunt, in terra de Sextro de Ponente de predicto die sexto Februarii. Interfuerunt ibi testes D. Simon de Sangro, D. Philippus de S. Geno, et Jordanus de Carcazano, omnes de Comitiva D. Regis, omnes rogati et vocati.

Ego Nicolinus Tanci filius q.m Domino Giuliano Tanci de Burgo Cantio, notarius, Imperiali auctoritate interfui, et hanc cartam tradidi et scripsi rogatus, meoque signo consueto signavi.

In nomine Domini amen. Anno a Nativitate ejusdem millesimo tricentesimo decimo septimo. Die nono Februarii, secunde Indictionis (sic).

Nobilis vir D. Napinus de la Turre de Mediolano Generalis, Capitaneus, Rector, Conductor et Gubernator gentis armigere, tam equestris quam pedestris Communis Florentie; missarum ad Civitatem Janue in subsidium Serenissimi Regis Roberti Dei gratia Jerusalem, Cecilie regis, Ducatus Apulie, Principatus Capue, Provincie Folchacherii et Pedemontis, Civitatis et Communis Janue, vobis, Ser Panicie, Duci, notario, ambaxatori Communis Florentie suo proprio et principali nomine, et vice et nomine dictorum stipendiatorum dicti Communis denunciat, et protestatur omnia, et singula infrascripta. Videlicet quod die quinto presentis mensis Februarii Serenissimus rex Robertus suum fecit exercitum generalem cum magna armata equitum et peditum per mare, in qua armata fuerunt ultra quam sexaginta corpora navium inter Galleas, et Usgenas, et alia ligna armata ultra viginta quinque: et D. Adamadus de Scalea Vice Amiraglius D. Regis, et D. Guillelmus de Nexi Marescalchus generalis D. Regis, et vexillum, seu astandardum Communis et populi Janue, et D. Luchinus de Nigro generalis Amiraglius Communis ejusdem; et communiter de dicto exercitu extimati fuerunt milites armigeri novem centum, et pedites decem millia, et die quinto Februarii dicta armata et exercitus exivit de portu Janue transiens versus partes occidentales, et die sequenti, sexto dicti mensis Februarii, hora vesperarum dicte gentes, equites et pedites violenter et vi armorum, inimicis prohibentibus pro posse, descenderunt ad terram de Sextro de Ripia ponentis; et ibidem erant inimici cum suo exercitu generali, et ordinatis aciebus in prelio, per

Dei gratiam in ruinam et sconfittam posuerunt inimicos in capiendo, derubando et interficiendo ipsos in dicto prelio generali, et ipsos inimicos persecuti fuerunt, et fugaverunt per tria milliaria et ultra. In quo quidem prelio generali dictus D. Napinus de la Turre, Bernardus de Lugujano, ser Ferrus de Monte Catino, Andreas Michi de monte Catino, Guerinus de Somaja, Cechus de Monte Vargi, Lottus Cerinlere, et Fichus de Monte Catino, omnes Capitanei dictorum stipendiatorum cum dicto D. Napino pro dicto Commune Florentie, una cum comitiva sua equitum et peditum, interfuerunt, et in tantum exterminium et conflictum traditi fuerunt, quod ille gentes, que remanserant ad custodiendas fortilicias montium et burgorum, in quibus erant castramentati contra serenissimum D. Regem Robertum et civitatem Janue, incontinenti, nullis tubis, nullis campanis pulsatis, et in conflictum de suis fortiliciis et montibus fugierunt, equis et rebus multis derelictis:. ita quod preda de hominibus, equis, et rebus corum, duravit per spatium duorum dierum, et ultra.

Actum fuit instrumentum publicum die sexto mensis presentis Februarii de hiis quem dicto conflicto, facto in dicto prelio generali facta fuerunt in terra de Sextro Ripie ponentis per Nicolinum Tancium de Mediolano, notarium publicum auctoritate imperiali. Rogatis. et vocatis, et presentibus D.Simone de Sangro, et D. Philippo de Seno, et Pidano ct Cantazano, omnibus de comitiva D. Regis, testibus vocatis et rogatis; et per me Brunolum infracriptum notarium visum et lectum. Quare ipse D. Napinus supradictus petit, et instat suo proprio nomine, et vice

10

omnium suorum sociorum, tam militum, quam peditum, quod addatur paga dupla et mensis finitus, pro uno mense cum hoc sit; quod ipse D. Napinus cum comitiva sua tam peditum, quam militum fuit in dicto prelio generali, petens omni modo et jure quo melius potest, et secundum formam pactorum conducte, que statuit inter ipsum Commune Florentie, et dictum D. Napinum et stipendiarios predictos.

Actum in civitate Janue, in domo qua habitat dictus ser Panicia. Interfuerunt ibi testes Johannes Gicardini, Lucas de Pumis, ambo de civitate Florentie, Balzarolus de Glissano, et Micanus de Lova, ambo civitatis Mediolani, et multi alii testes rogati, et vocati. **A. T. o.**

N.° 26.

1317 30 *Marzo Avignone.*

Bolla di Giovanni XXII, in cui si stabilisce che, vacante l' Impero, niuno nelle città d' Italia osi, senza il permesso del Pontefice, assumere il titolo di Vicario Imperiale.

Dal Bollario Romano.

Johannes Episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam. Si fratrum et Coepiscoporum nostrorum, et aliorum quorumlibet jura illibata servari, et ab omni fore dispendio diminutionis extranea cupimus, et ad id libenter nostre sollicitudinis studium adhibemus, multo fortius equidem pro nostris et Romane Ecclesie sponse

nostre juribus et honoribus conservandis ex injuncto nobis officii debito, Apostolice provisionis partes tenemur impendere, ne temporibus nostris usurpationis injuriam subeant, aut detrimentum cujusvis derogationis incurrant. Sane in nostram et fratrum nostrorum deductum est, fama divulgante notitiam, quod licet de jure sit liquidum, et ab olim fuerit inconcusse servatum, quod vacante Imperio, sicut et nunc per obitum quondam Herici Romanorum Imperatoris vacasse, dignoscitur, cum in illo ad secularem judicem nequeat haberi recursus, ad summum Pontificem, qui in persona Beati Petri terreni simul et celestis Imperii jura Deus ipse commisit, Imperii predicta jurisdictio, regimen et dispositio devolvantur; et ea, tempore durante ipsius vacationis Imperii, per se vel alium, seu alios exercuisse noscitur in Imperio memorato. Nonnulli tamen in Italie partibus, potestatis et dignitatis fastigium illicite ambientes, in nostram, et sancte Romane matris Ecclesie, quantum in eis est prejudicium evidens ac diminutionem honoris et juris, Vicariatus, seu alterius cujuscumque nomen officii, quod ipso Imperatore vivente ex ipsius commissione gerebant in certis terris, territoriis, sive locis post decessum ipsius, absque nostra, vel Apostolice sedis petita vel obtenta licentia, retinere sibi; et nonnulli etiam de novo assumere, quod non gesserant, aut gestum antea, postea quam dimissum, resumere temerariis ausibus presumpserunt, quo, vel quibus adhuc non verentur abuti, ac sub ejus, vel eorum colore multa facere, et fecisse noscuntur, que in nostram et Ecclesie predicte injuriam aperte redundant: non abhorrentes per id variis involvi criminibus, nec Divine

Majestatis formidantes offensam. Quia igitur error, cui non resistitur, approbari videtur, et latum pandit delinquentibus sinum, qui eorum perversis conatibus non resistit; Nos, volentes nostris et Ecclesie sponse nostre juribus et honoribus in hac parte prospicere, et malis ac scandalis que ex retentione, assumptione, seu resumptione hujusmodi orta sunt hactenus, et que periculose possent in antea suboriri, celeriter obviare, nec non periculis animarum hujusmodi retinentium, assumentium, seu resumentium nomina, et eis abutentium, ut prefertur, salubriter occurrere cupientes, presentium auctoritate monemus sub excommunicationis pena omnes et singulos cujuscumque status, preminentie, dignitatis aut condiditionis existant, etiamsi Patriarchali, vel quavis alia superiori aut Pontificali, vel Regia, seu alia quacumque prefulgeant dignitate, qui post vacationem Imperii absque nostra, vel sedis predicte licentia hujusmodi Vicarii, seu cujusvis alterius officii nomen sibi ubilibet retinuerunt, assumpserunt, seu resumpserunt, et retinent, et qui assument, vel resument fortassis in posterum, et sub talis denominationis pallio abusi sunt, et abutuntur, vel etiam abutentur potestate, vel jurisdictione quacumque, seu ejus executione publice vel occulte, quatenus de cetero a denominatione hujusmodi, seu nominis assumptione, resumptione ac retentione predictis, nec non usu, potestate et exercitio supradictis prorsus abstineant, et omnino desistant. Inhibentes insuper sub pena predicta omnibus et singulis Patriarchis et Prelatis, etiam aliis superioribus et inferioribus, ac Regibus, Civitatibus, Communitatibus, Universitatibus,

Capitaneis, Potestatibus, Rectoribus, Comitibus, Vicecomitibus, Baronibus, et aliis omnibus cujuscumque sint dignitatis, conditionis, aut status, ac predictos hujusmodi nomen, seu aliud quodlibet in eodem Imperio retinentes, ut prefertur, aut assumentes, vel resumentes, vel eorum aliquem sub denominatione vel titulo hujusmodi nominum seu Procuratores, Commissarios, Judices, aut vices eorum gerentes quocumque colore quesito recipiant, vel admittant, nec ut Vicariis, seu Vicario aut Officialibus Imperii pareant vel intendant, aut pareri vel intendi faciant vel permittant, nec in iis, eis, vel ei quodlibet prestent auxilium, consilium vel favorem. Alioquin in omnes et singulos Patriarchas, Prelatos, etiam superiores et inferiores et ceteros, denominationem predictam, ut premissum est, retinentes, resumentes, vel assumentes, ac illius pretextu exercentes quecumque officia, potestates, seu jurisdictiones, et in recipientes eos ut Vicarios, vel Officiales Imperii, aut Commissarios eorum ut talium, et in parentes, seu obedientes eis ut talibus, aut prestantes in hoc sibi auxilium, consilium, vel favorem, nisi infra duorum mensium spatium a die date presentium numerandum, penitus resipiverint, vel se licentia Sedis Apostolice super hoc ostenderint communitos, excommunicationis in singulares personas, et in Terras et loca ipsorum, et quaslibet Communitates, Universitates, Civitates, aut villas, Interdicti sententias de fratrum nostrorum consilio publice promulgamus; contra eos nihilominus spiritualiter et temporaliter gravius processuri, prout inobedientia eorum exegerit, qualitas facti

suaserit, et viderimus expedire. Et ut quibuslibet parendi talibus tollatur occasio, omnes et singulos, qui hujusmodi Vicariatus nomen retinentibus, assumentibus, seu resumentibus juramènto fidelitatis tenentur astricti, a juramento hujusmodi, quantum ad hoc de potestatis plenitudine absolventes, Auctoritate Apostolica firmiter inhibemus eisdem, ne talibus ut Vicariis vel Officialibus Imperii aliquatenus pareant, vel intendant. Et insuper omnes pactiones, obligationes, confederationes et colligationes a quibuscumque super hoc quolibet initas juramento, vel quacumque firmitate vallatas, omnino disolvimus, juribus vacuamus, irritamus, et quatenus de facto processerint revocamus; ac hujusmodi, ac quelibet alia juramenta a quibuslibet super hiis prestita, per que possit in predictis, nostris et Ecclesie predicte juribus derogari, presertim cum juramentum vinculum iniquitatis esse non debeat, relaxamus. Ceterum ut hujusmodi noster processus ad communem omnium notitiam deducatur, cartas, seu membranas processum continentes eundem in Ecclesia Avenionensi, appendi, vel affigi ostiis seu superliminaribus faciemus, que processum ipsum suo quasi sonoro preconio, et patulo indicio publicabunt, ita quod omnes et singuli, quos processus ipse contingat aut contingere potest, nullam postea possint excusationem pretendere, quod ad eos talis processus non pervenerit, vel quod ignoraverit eundem, cum non sit verisimile remanere quo ad ipsos incognitum, vel occultum, quod tam patenter omnibus pubblicatur.

Datum Avenioni, in domo Episcopali, secundo Kalendas Aprilis. Pontificatus nostri anno primo.

N.° 27

1317 7 *Aprile Cividale*

Vargendo, condannato per tradimento all' estremo supplizio, dichiara innocente di tal colpa Debrasno di Riginio.

Benvenuto q.m Corado Not.

Die VII. Intrante Aprili. In prato sub forchis de Burgo de Porta Brossana. Presentibus D. Ulvino q.m D. Candidi de Canussio, D. Philippo Castaldione Civitatis, Philippo q.m D. Ossalchi de Saciletto, Francisco filio Salomonis de ultra pontem, Payetto de Porta Brossana, Johanne Notario et Nicolao fratribus, filiis Covati de civitate, Leonardo Zazara de Civitate, Johanne beccario q.m Leonardi Christiani, Ottonello q.m D. Ugonis de Civitate, Danyello q.m Raynerii Cor de Civitate testibus et aliis.

Cum Vargendus dampnatus esset suspendi, propter quod volebat fraudulenter dare Castrum de Gronumbergo, et quod plures accusassent de tradimento, inter quos accusarunt Debrasnum filium Riginii de Civitate, ipsum in fine mortis excusavit de predicto dicens, quod non habebat aliquam culpam. A. N. U. o.

N.° 28.

1317 8 *Aprile Cividale*
Endrico Cazeta vuol purgarsi dalla taccia di traditore.
Benvenuto q.m Corado Not.

Die VIII. intrante Aprili. In civitate Austria, in domo D. Guilielmi de Anglona. Presentibus venerabilibus viris D. Tyberio de la Turre Canonico Civitatis, Nicolussio Plebano de Portis, D. Ulvino q.m D. Candidi de Canussio, Johanne filio D. Tomasii de Chucanea, Nicholao filio D. Biliarde de Civitate, Stephano filio q.m D. Egidii de Civitate, Antonio genero q.m Sclefonis de Civitate, Rigino de Mediolano Civitate commorante testibus, et aliis.

Cum Hendricus Cazeta inculpatus esset velle fraudulenter tradere Castrum de Gronunbergo, fecit, et constituit, et obligavit se respondere in jure coram D. Raynaldo Vicario D. Castoni Patriarche Aquilegensis sub pena ducentarum Marcharum denariorum Aquilegensis monete; pro quibus obligavit omnia sua bona presentia et futura nomine pignoris. Pro quibus fidejussores extiterunt Johannes, Nicolaus, et Stephanus testes supra nominati, usque ad unum mensem post adventum dicti D. Patriarche, sub bonorum omnium suorum ypotecha, si de bonis ipsius Hendrici deficerent, respondent in justitia super dicta causa; et quod coram ipso Vicario sententiatum fuerit, firmiter observare, et obedire preceptis dicti D. Vicarii. A. N. U. o.

N.° 29.

1317 13 *Aprile Faedis.*
Procura pel riscatto di Rizzardo di Cucagna.

Lupo Not.

Anno M. CCC, XVII. Indictione XV. die tertiodecimo intrante Aprili. Presentibus D. Pertoldo de Fagedis q.^{m} D. Ingalpreti, Wargendo q.^{m} D. Janisi de Attems, et Philippo D. Federici...testibus et aliis.

D. Adalpretus de Cucanea fecit, constituit, et ordinavit Warnerum filium suum presentem, et hoc mandatum suscipientem suum certum Nuntium, et procuratorem Legitimum ad fidejubendum et obligandum omnia bona D. Adalpreti in manu D. Comitis Goritie de trecentis libris Veronensium parvulorum, occasione relaxationis Rizzardi q.^{m} Simonis de Cucanea pro Dominis Warnero et Odorlico de Cucanea, et ad faciendum omnia et singula que in predictis et circa predicta fuerint opportuna, quemadmodum ipse D. Adalpretus facere posset, si personaliter interveniret. Promittens mihi notario infrascripto, et jurans corporaliter ad S. Dei Evangelia manu tacta, et sub obligatione omnium suorum bonorum presentium et futurorum, ratum et firmum perpetuo habiturum quidquid per dictum procuratorem actum fuerit, seu procuratum in premissis et quolibet eorum in perdendo quam lucrando.

Actum Fagedis in domo qua moratur dictus D. Adalpretus A. N. U. o.

N.° 30.

1317 14 *Aprile Aquileja*

Il Capitolo di Aquileja approva il reso conto di Guido di Villalta di lui Decano e Collettore delle Decime Papali.

Melioranza Can. P.

In Christi nomine amen. Anno ejusdem Nativitatis M. CCC. XVII. Indictione XV. die XIV. mensis Aprilis; in Aquilegensi Ecclesia. Presentibus discretis viris Presbitero Simone Plebano Plebis de Crahuniz Tergestine Diocesis, Presbitero Odorico de Gonaro, Gasparro de Mediolano, Valeto de Aquilegia Mansionario dicte Ecclesie, et multis aliis.

Venerabilibus viris Dominis Gulielmo Decano, et Capitulo Aquilegensis Ecclesie, quo interfuerunt D. Guido de Villalta, Raynaldus de la Turre, Ludovicus de la Turre, Philippus de Villorba, Canonici Aquilegenses, cum plures non possent ibidem comode interesse, ad infrascripta in Choro ejusdem Ecclesie specialiter congregatis: prefatus D. Guido, tamquam Vicedominus, et Capitulum antedictum post factam et diligenter reditam, et abscultatam, et traditam rationem eisdem, et computum rationis per prefatum D. Decanum Collectorem Papalis Decime imposite per felicis memorie D. Clementem Papam quintum in civitate et Diocesi Aquilegensi pro infrascriptis duobus terminis ab ipso Capitulo Aquilegensi, Sede vacante, specialiter

deputatum, asserentes dictum D. Decanum in ipsis duobus terminis pro dicto Capitulo fideliter et legaliter officium exercuisse, et approbantes expensas in ipso officio factas bonas, utiles et necessarias fuisse dixerunt, et confessi fuerunt se ibidem ab ipso D. Decano integraliter habuisse et manualiter accepisse marchas centum et triginta septem et parvulos octo venetos Aquilegensis monete in Frixachenses et denarios a viginti duobus ibidem datas et assignatas eisdem in duobus fisculis, me Notario infrascripto, et predictis testibus et aliis pluribus presentibus et videntibus, exactas per ipsum D. Decanum nomine Capituli antedicti, in dicta Civitate et Diocesi Aquilegensi, pro duobus terminis, videlicet pro secundo termino tertii anni, et pro primo termino quarti anni, sicut in ipsis libris Decime per ordinem continetur, detractis expensis factis in dictis duobus terminis circa exactiones perdictas, que fuerunt Marche due, Fertoni tres, Frixachenses unus, et parvuli veneti sex ejusdem monete Aquilegensis. Renuntiantes exceptioni non sibi date, numerate et in se habite dicte quantitatis pecunie, et omni spei future numerationis, doli, mali et in factum, facientes eidem D. Decano finem, remissionem et quietationem perpetuam tam de tota pecunia antedicta, quam de expensis predictis, et liberantes eundem ab omni onere, periculo, risico et fortuna de prefate pecunie quantitate. C. F. o.

N.° 31.

1317 11 *Maggio Aquileja.*

Il Decano e Capitolo d' Aquileja approvano i conti lor presentati dai Collettori Pontificii, e ricevono in deposito il denaro.

Gabriele da Cremona Can. P.

In Christi nomine amen. Anno ejusdem Nativitatis M.CCC.XVII. Indictione quinta decima, die undecimo mensis Maii. In majori Ecclesia Aquilegensi. Presentibus discretis viris Georgio filio q.^{m} Odorici de Berhariis de Papia, Hectore Brugno filio q.^{m} D. Martini Brugni de Casate Mediolanensis districtus, Micho qui fuit de Florentia filio q.^{m} Sinibaldi nunc habitante Aquilegie, Conrado Balbo filio D. Guilielmi de Mediolano, et aliis multis.

Venerabiles viri D. Guilielmus Decanus et Capitulum S. Aquilegensis Ecclesie ad infrascripta specialiter congregatum de communi consensu post factam, redditam et diligenter traditam, et abscultatam rationem et computum rationis eisdem per venerabilem virum D. Raynaldum de la Turre Thesaurarium et Canonicum dicte Aquilegensis Ecclesie et discretum virum presbiterum Odorlicum de Gonaro ejusdem Ecclesie Mansionarium Collectores Decime imposite per felicis recordationis D. Clementem Papam Quintum in Civitate et Dioecesi Aquilegensi pro infrascriptis duobus terminis ab ipso Capitulo Sede Aquilegensi vacante specialiter deputatos, asserentes

communiter et dicentes dicti Domini Decanus et Capitulum, dictam rationem et computum rationis bene et ordinate traditam et redditam esse, ac prefatos D. Raynaldum et presbiterum Odorlicum Collectores jam dictos in ipsis duobus terminis pro dicto Capitulo diligenter, fideliter et discrete officium exercuisse predictum, et approbantes expensas factas circa officium predictum bonas, utiles, et necessarias fuisse, dixerunt et contenti, et confessi fuerunt se ibidem ab ipsis D. Raynaldo et presbitero Odorlico Collectoribus antedictis habuisse integraliter et manualiter accepisse Marchas centum et decem novem, Frixachenses viginti tres, et parvulos Venetos septem Aquilegensis monete, ibidem et assignatas eisdem: habitas, receptas et exactas per ipsos Collectores nomine Capituli antedicti a Clericis et personis Ecclesiasticis dicte Civitatis et Diocesis Aquilegensis pro duobus terminis, videlicet pro secundo termino secundi anni, et pro primo termino tertii anni in infrascriptis quietationibus, scilicet pro dicto secundo termino secundi anni Marchas septuaginta quinque, Fertonos tres et Frixachenses viginti octo novorum dicte Aquilegensis monete, et parvulos Venetos quatuor. Et pro dicto primo termino tertii anni Marchas quadraginta tres, Frixachenses triginta quinque novorum dicte Aquilegensis monete et parvulos venetos tres: detractis expensis factis per eosdem Collectores circa negotia dicte Decime in dictis duobus terminis, que fuerunt marche octo, Frixachenses viginti septem novorum prefate Aquilegensis monete et parvuli veneti duodecim, scilicet pro dicto termino secundi anni marche quatuor, Frixachenses septuaginta tres, et parvuli octo, et pro

dicto primo termino tertii anni Marche tres, Fertonoi duo Frixachenses triginta unus, et parvuli quatuor prout in libris seu quaternis ipsius Decime plenius continetur: renuntiantes prefatus D. Decanus et Capitulum antedictum exceptioni non sibi datte, numerate et in se habite dicte quantitatis pecunie, et dicte confessionis et assignationis non facte, ac omni spei future numerationis, et omni probationi et quietationi; et facientes eisdem Collectoribus tam de prefata pecunie summa centum et decem novem Marcharum, Frixachensium viginti trium novorum Aquilegensium, et parvulorum venetorum septem, quam de dicta expensa summa octo marcharum, Frixechensium viginti septem novorum Aquilegensium, et parvulorum venetorum duodecim liberam absolutionem, finem, quietationem et remissionem perpetuam, ac liberantes et absolventes eosdem ab omni onere, risico, periculo quibus occasione predicta possent incurrere: ac promittentes ipsos super dicte pecunie summa non inquietare ulterius, nec ab alio inquietari permittere aliqua ratione aut causa.

Eodem die. In Sacristia Aquilegensi. Presentibus magistro Petro de Bononia notario, Micho qui fuit de Florentia, et nunc habitat Aquilegie, Cecho Tubatore et aliis multis. Venerabilis vir D. Raynaldus de la Turre Thesaurarius Ecclesie Aquilegensis dedit, deposuit et locavit apud D. Guidonem de Villalta Canonicum Aquilegensem, pro se et Capitulo Aquilegensi recipientem, ibidem presente Ludovico, Ambrosino, Jacobo Glemonassio, presbitero Odorico, Symonino et presbitero Hendrico de Civitate numeratoribus dicte pecunie, marchas quadraginta novem, Frixachenses sex, et parvulos qua-

tuor in quodam fisculo, sigillatas sigillo ipsius D. Raynaldi, positas et locatas in scrineo dicte Sacristie. C. F. o.

N.° 32.

1317 6 *Luglio Gorizia.*
Divisione di servi di masnata tra Enrico Co. di Gorizia e Janzello di Flojana.

Astolfo Not.

Anno Domini M.CCC.XVII. Indictione XV. die sexto intrante Julio. In castro Goritie, super palatio, sub Camera nova Domine Comitisse. Presentibus Dominis Rahomone, Magistro Federico Marescalco Curie D. Comitis, Raulino fratre dicti D. Rahonis Volcherio de Samexencha, Francisco de Ungrispacho, Alberto Plebano de Lucinico, Henrico notario, Balda et Meynardo de Barbana, Ottillo dicto Florantie, Asquino et Almerico dicto Misot de Cormono, Vuecellino dicto Canalhe filio D. Federici, Villey D. Conradi de Cormono, Arnoldo Ognibegnio nunc in Renzacho commorante, Heugello de Cormono testibus et aliis.

Magnificus et potens vir D. Henricus Goritie et Tyrolis Comes, Ecclesiarum Aquilegensis, Tridentine et Brixinensis Advocatus ex parte una, et Janzellus de Floyana filius olim. D. Folcherii ex parte altera, volentes inter se divisionem facere de masnata eorum, videlicet de filiis et filiabus olim Henrici de Floyana, ad talem divisionem et concordium pervenerunt. In primis quidem

cessit in partem prefato D. Comiti Puzmanus filius Conradi de Floyana, olim Albreti, et Petra et Gerdine filie dicti Conradi, et Hencellus et Pernardus fratres filii olim dicti Henrici. Ricarda vero filia Mathellini remanxit communis predictarum partium. In partem vero dicti Janzelli cessit Adelleta filia olim dicti Henrici, et Mathyl filia dicti Henrici, et uxor Conradi, et Cunigonda et Alzubeta filie dictorum Mathyl et Conradi, et Machil filius olim dicti Henrici de Floyana. De qua siquisdem divisione, predicte partes contente extiterunt, et promiserunt invicem inter se, scilicet una pars alteri etc. predictam divisionem et omnia et singula in presenti contractu contenta firma, rata et inviolabilia perpetuo observare per se suosque heredes, habere atque tenere; et de masnata alterius partis et eorum bonis litem, questionem, et controversiam non movere alteri parti, nec moventi consentire, cum refectione dampnorum, expensarum ac interesse litis et extra, et suorum omnium bonorum obligatione, sub pena dupli ejus de quo ageretur etc. Qua soluta, aut non presens contractus et omnia et singula in eo contenta plenam obtineat firmitatem.

Ego Zambonus de Civitate Belluni, Goritie habitans Imperiali auctoritate notarius ex commissione mihi facta per magnificum virum D. Henricum Comitem Goritie et Tyrolis de notis q.m Astulfi notarii scripsi, et ad firmitatem Contractus quam melius potui in publicam formam reduxi. A. C. U. o.

N.° 33.

1317 25. *Luglio Maniago.*

Almerico di Maniago ricusa di obbedire agli ordini del Gastaldo di Aviano, e non acconsente di comparire senz' armi alla fiera di Maniago che per riguardo del Patriarca.

Antonio di Ailino di Maniaco Not.

Die septimo exeunte Julio. In presentia Dominorum, Meynardi Capitanei Castri novi de Aviano, Raymundi de Sacilo, Oluradi de Purfilio de Maniaco, Odorici de la Porta de Aviano, Pidrussii dicti loci, Matheo della Meduna et aliis.

Cum D. Guinettus della Meduna Gastaldio Maniaci fecisset et ordinasset forum S. Jacobi in Maniaco, fecit vocari quod unusquisque deberet deponere arma sua, et per forum non portare. Ad quod D. Almericus respondit dicens, quod nolebat ea deponere, nec volebat ut servitores sui aut fratrum suorum ea deponerent, cum ipsi sint in tantum jus in dicto foro, et tantum dominium habeant sicut D. Patriarcha: sed per amorem volebat ea deponere et non per rationem. Quibus respondens D. Gastaldio dixit, quod nolebat ut prejudicium aliquod ei nec fratribus suis esset.

Actum Maniaci in publica plathea. A. N. U. o.

N.° 34.

1317 5 *Agosto Cividale*
È proibito tener in Cividale alcun mercato in giorno di Domenica
da un Codice esistente presso i Sig.ⁱ di Belgrado.

Anno Domini M.CCC.XVII. Indictione XV. die V. intrante Augusto. Ordinatum fuit per D. Guilielmum Castaldionem, Consilium et plures de Civitate non Consiliarios, et firmatum quod a die Lune in antea nullus terrigena, aut forensis in diebus Dominicis, et Assumptionis, et Annuntiationis S. Marie, et festivitatibus Apostolorum vendat publice in Civitate bladum frumenti, siliginis, avene, mille, ordei et fabarum; nec teneat stationes apertas vendendo publice mercimonia pannorum, mercimoniorum, carnium et casei salsorum, aut opera sartorum, cerdonum, pellipariorum, barbitonsorum, usurariorum, aurificum, aut rerum aliarum stationum, preter quam apotechariorum et aliarum rerum minutarum sine fraude, et postquam si vendentur aliqua mercimonia in stationibus in occulto. Salvo et recepto quod in diebus Sabbati, et in nundinis S. Martini, S. Michaelis, S. Quirini, S. Marie de Monte et S. Marie de candelis, et in consecratione Ecclesie majoris Civitatensis mercato utatur quocumque die occurrerit, et fuerit opportunum. Qui vero contra predicta fecerit, pro qualibet vice Communi et nihil aliis XL. denarios solvere teneatur. Et quod in solemnibus Festivitatibus non teneantur stationes aperte ante tertiam sub pena XL. denariorum Communi, salvo in diebus Sabbati. o.

N.° 35.

1317 17 *Agosto Cividale*
Petizione de' Canonici di Concordia a Jacopo loro Vescovo.

Stefano Guglielmini Not.

Die xv. exeunte Augusto. Civitate Austria; in sala domus D. Johannis q.m D. Ottonelli de Civitate. Presentibus venerabilibus viris Dominis Guarnero Preposito, Bernardo Decano, Artico de Castello, Guarnero de Pulzinico et Hermanno de Budrio omnibus Canonicis Ecclesie Civitatensis, Lanzalotto dicto Buttafollo notario de Portugruario et Jacobo q.m Hosti notario de Civitate et aliis.

Sapientes et discreti viri Domini Mazius de Toppo et magister Johannes de Feltro Canonici Ecclesie Concordiensis nuntii, ut dicebant, venerabilium virorum Dominorum Vicedecani et Capituli Ecclesie Concordiensis predicte, constituti in presentia Reverendi Patris D. Jacobi Dei gratia Concordiensis Episcopi quandam, seu quasdam petitionem, seu petitiones eidem D. Episcopo fecerunt, exhibuerunt, et produxerunt in scriptis tenoris et continentie infrascripte: Hec sunt que Vicedecanus et Capitulum Concordiense petit a Domino suo D. Episcopo Jacobo Concordiensi per Magistrum Johannem de Feltro et Mazium de Toppo Canonicos ejusdem Ecclesie. In primis quod bona alienata, et distracta et obligata per ipsum D. Episcopum, et maxime Castrum de Cusano, et quelibet bona Episcopatus Concordiensis per ipsum recupe-

rari debeant, de omnibus et singulis supradictis Ecclesiam Concordiensem indempnem reddendo. Item quod thesaurus Ecclesie et Capituli Concordiensis, qui tempore sue Confirmationis obligatus fuit ad ejus instantiam, restituatur eidem Ecclesie secundum quod sepe et sepins promisit. Item quod compellat D. Nicolaum Sacristam reddere rationem de omnibus que percepit ratione Sacristie a tempore quo fuit creatus Sacrista, usque ad diem presentem, cum de hiis nullam, ut tenetur unquam fecerit rationem Capitulo memorato. Quibus petitionibus per me notarium infrascriptum lectis ibidem, idem D. Episcopus dixit et respondit, se velle super dictis petitionibus deliberare, et habita deliberatione, eis respondebit de Sapientum consilio, prout esset conveniens, et deceret.

Die XIV. exeunte Augusto mense predicto. In sala domus D. Johannis q.^m D. Ottonelli de Civitate. Presentibus venerabili viro D. Bernardo Decano Ecclesie Civitatensis, D. Odorlico Capellano S. Johannis de Casarsa, dicto D. Johanne q.^m D. Ottonelli, Lanzalotto dicto Buttafollo notario de Portugruario, et Jacobo q.^m Hosti notario de Civitate, et aliis.

Prudentes et discreti viri D. Mazius de Toppo, et magister Johannes de Feltro Canonici Ecclesie Concordiensis constituti ante presentiam dicti D. Episcopi Concordiensis, petierunt instanter responsionem super petitionibus eorum heri factis ipsi D. Episcopo, ut patet publico Instrumento per me subscriptum notarium inde confecto, sub eisdem anno et indictione, die vero XV exeunte eodem mense Augusto. Quibus Dominis Mazio et Magistro Johanni idem D. Episcopus respondit et dixit, se velle

habere prius copiam petitionum, et habita copia, cum deliberatione eis respondebit, prout deberet de jure. Quo facto ipsi Domini Mazius et magister Johannes mandaverunt mihi supscripto notario earundem petitionum Copiam sibi dari. R. o.

N.° 36.

1317 10 *Settembre Avignone.*

Il Patriarca Gastone lagnasi colla Contessa di Gorizia che il Co. Enrico di lei marito manchi ai trattati seco lui stabiliti.

Castonus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha, Nobili Domine Beatrici, honorande Goritie et Tirolis Comitisse consanguinee sue carissime, salutem in omnium salvatore.

Nobilitatem vestram ignorare non credimus quod de presenti anno Henricus familiaris et Ambasciator D. Comitis viri vestri, ad nostram venit presentiam, hac sola causa specialiter imminente: ut certa pacta et conventiones super relaxatione Castrorum, Fortilitiorum, Terrarum et jurium S. Aquilegensis Ecclesie libere facienda, per nos confirmarentur in Ecclesie prelibate, nostrum et suum spetiale commodum et honorem. Quodque nos divina reverentia facientes, intuituque affinitatis vestre cujus interest, ac cupientes liberaliter duximus roborandas; intendentes ipsa et ipsas tam per nos, quam per ipsum D. Comitem perpetuo inviolabiliter observari: ac ex hoc credentes, imo pro constanti reputantes, ipsam confirmatio-

nem dicto Domino viro vestro fore placitam plurimum et acceptam. Nuper autem audivimus, de quo non modicum admiramur, quod dictus D. Comes Castrum nostrum Turris non reddidit Raynaldo Fratri nostro, licet eidem ipsum Castrum reddere promiserit, et liberaliter assignare: imo ipse sibi retinuit, et in ipso certas sua gentes posuit, qui Massarios nostros ibidem molestant indebite .... redditus et proventus nostros hac occasione dissipant ....

Datum Avenione die x Septembris M.CCC.XVII. B. V. U. o.

N.° 37.

1317.

Frammento di altra lettera del Patriarca Gastone a Beatrice Contessa di Gorizia sopra lo stesso argomento.

.... Treguas usque ad unum mensem postquam illuc accesserimus duraturas requisiti tamen a predictis Dominis nostris, si Civitatem et castra predicta restituit nobis, vel nuntiis nostris, nequimus quod nobis restituit, respondere, sed quod bene sperabamus de ipso respondimus cuilibet requirenti. Quoccirca Nobilitatem vestram hortamur in Domino, quatenus penes dictum D. Comitem maritum vestrum pro sano consilio efficaciter assistatis, quod Ecclesiam Aquilegensem ulterius non offendat, nec teneat suis juribus spoliatam; sed in manibus Rainaldi fratris nostri, et aliorum nostrorum Officialium Civitatem, et castra, terras, possessiones et jura Ecclesie Aquilegensis pacifice restituat et dimittat. Quoniam Dominum nostrum Summum Pontificem taliter invenimus informatum, quod dictam Ecclesiam

omnino disposuit restaurare, et in suis juribus reformare. Unde si dictus D. Comes in hac restitutione difficilis apparet, contra se pondus importabile provocaret cui non possemus, nec auderemus resistere post incepta. Porro eum intellexerimus relatione multiplici quod dictus D. Comes multos fideles Ecclesie habeat carceratos, et a Civitate Austrie non nullos teneat exules bannitos, ipsum, cui super hoc scribimus, efficaciter inducatis, ut carceratos predictos in manibus Raynaldi predicti libere debeat relaxare, cessantibus gravaminibus quibuscumque, dictosque exules ad habitationes proprias revocare. Ceterum cum audiverimus quod ipse D. Comes maritus vester provisiones et introitus....B. V. U. o.

N.° 38.

1317 10 *Settembre Udine*
Il Vicario del Patriarca ripete dai Trivigiani una Serva di Carlo di Ragonia che si era accasata in Mestre.

Verci Doc. 848.

Nobilibus et potentibus viris dominis Potestati, Antianis, Consilio et Comuni Civitatis Tarvisii, Raynaldus de la Turre Thesaurarius Aquilegensis Ecclesie, Reverendi Patris et D. Castoni Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche Vicarius generalis, salutem prosperam et felicem.

Cum vir nobilis D. Carolus de Ragonia Aquilegensis Diocesis firmiter habeat quod quedam ejus mulier

de masnata, nomine Leonardina ad habitandum venerit in Terra de Mestre Tarvisine Diocesis, ad ipsius istantiam vos rogamus, quatenus ordinare velitis quod dictam mulierem servam suam de masnata cum omnibus bonis et rebus que de jure et consuetudine Forijulii ad Dominum pertinent, recuperare valeat et habere.

Datum Utini die x. Septembris.

N.º 39.

1317 21 *Settembre Udine*
Deliberazioni prese nel General Parlamento per riguardo a' Massari.

Simeone da Gemona Not.

Die xxi. intrante Septembri. Presentibus nobilibus viris D. Pertholdo Abbate Monasterii Mosacensis, D. Johanne Abbate de Rosaciis; Philippono de la Turre Canonico Civitatensi, Federico de Prampergo, Nicholao de Prata testibus, et aliis.

Cum in Colloquio generali affirmatum fuerit coram Raynaldo Vicario Reverendi D. Castoni Patriarche quod in qualibet villa aliquod Massarium constitueretur ut deberent ubi staret accipere per vicinos plus quam aliquo, ut consueverunt facere: et quod omnes vicini illius ville per commune teneantur satisfacere Dominis ad tressum et bannum D. Patriarche: ideo vero D. Raynaldi et de communi voluntate omnium quorum interest affirmatum etiam fuit, quod si predicta fierent in aliqua villa ubi

aliquis Nobilis de Forojulio habuisset ibi dominium, quod illud Bannum pervenire debeat Domino, aut Dominis cui, aut quibus est Dominium illius ville ubi fuerit.

Actum in palatio Utini in Camera inferiori. A.N. U. o.

N.° 40.

1317 23 *Settembre Cividale.*
Risposta di Jacopo Vescovo di Concordia alle importune inchieste di quel Capitolo.

Stefano Guglielmini Not.

Die Veneris octavo exeunte dicto mense Septembri: in Civitate Austria, in sala domus D. Johannis q.m D. Ottonelli de Civitate. Presentibus venerabili viro D. Bernardo Decano Ecclesie Civitatensis, D. Odorlico de Medea Plebano S. Johannis de Casarsa, Lanzalotto dicto Buttafollo notario de Portugruario, et Jacobo q.m Hosti notario de Civitate, et aliis.

Discretus vir D. Albertus, dictus Bellonus Canonicus Ecclesie Concordiensis, constitutus in presentia venerabilis Patris D. Jacobi Dei gratia Concordiensis Episcopi nuntius, ut dixit, venerabilium virorum Dominorum Vicedecani, Canonicorum, et Capituli Ecclesie Concordiensis predicte, petiit semel, secundo et iterum responsionem super quibusdam petitionibus ipsi D. Episcopo factis per Dominos Matium de Toppo, et Magistrum Johannem de Feltro Canonicos dicte Concordiensis Ecclesie, prout pu-

blico Instrumento inde facto manu mei Guglielmini notarii inscripti sub eisdem anno et indictione, die vero xv. exeunte Augusto plenius continetur, sibi exhiberi et dari. Cui dictus D. Episcopus duxit taliter respondendum, petens primo si ipse D. Albertus erat procurator predictorum Dominorum Vicedecani, Canonicorum et Capituli Concordiensis predicti; ipso vero respondente quod non erat ad presens procurator, sed Concanonicus et Officialis ipsorum, dixit idem D. Episcopus quod dicte petitiones ei facte fuerant in scriptis, et quod responsiones suas modo simili facere intendebat in scriptis, et quod Dominum Odorlicum testem prescriptum, quem ad hoc suum procuratorem constituerat specialem, Concordiam transmittet, sive Portum, qui dictis Dominis Vicedecano, Canonicis et Capitulo ipsius D. Episcopi nomine, prout fuerit, respondebit. R. o.

N.° 41.

1317 24 *Settembre Cividale*
Promozione agli Ordini sacri di Artico di Castello.

Stefano Guglielmini Not.

Die sabbati vii. exeunte dicto mense Septembri. In Civitate Austria in Ecclesia S. Silvestri de Civitate. Presentibus discretis viris dominis Odorlico de Medea Plebano S. Johannis de Casarsa Concordiensis Diocesis, presbitero Odorlico Mansionario Majoris Ecclesie Civitatensis, Nobili viro D. Guarnero filio D. Adalpretti de Chu-

canea, D. Johanne q.m D. Ottonelli de Civitate, et Federico filio D. Guilielmi Gastaldionis de Civitate predicta, et aliis.

Venerabilis Pater D. Jacobus Dei gratia Corcordiensis Episcopus habens auctoritatem et potestatem sacros Ordines conferendi nobili viro D. Artico de Castello Canonico Ecclesie Civitatensis predicte, prout ex vigore, quarundam patentium literarum venerabilis viri D. Raynaldi de la Turre Thesaurarii Aquilegensis, et Reverendi Patris D. Castoni Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, Vicarii generalis, non vitiatarum, non abolitarum, nec corruptarum in aliqua parte sui, roboratarum sigillo integro et illeso D. Vicarii supradicti, quarum tenor inferius annotatur constat, manifestius et apparet, in Missarum solempniis primis quatuor minoribus Ordinibus sibi datis, cum orationibus, signis et verbis ad talia consuetis, ipsum D. Articum per sacrarum manuum impositionem ad ordinem Subdiaconatus rite et canonice consecravit.

Tenor vero Literarum talis est. Raynaldus de la Turre Thesaurarius Aquilegensis, Reverendi Patris et Domini Castoni Dei et Apostolice Sedis gratia Patriarche, nunc in remotis agentis, Vicarius generalis. Nobili ac venerabili viro D. Artico de Castello Clerico, Canonico Ecclesie Civitatensis Aquilegensis Diocesis, salutem in Domino. Devotis ac justis vestris petitionibus benignum prebentes assensum, vobis recipiendi quatuor minores et Subdiaconatus Ordines a quocumque Catholico Episcopo, gratiam et communionem sacrosancte Ecclesie Romane habente, et ipsi Episcopo conferendi vobis eosdem Ordines,

et in quocumque loco Aquilegensis Diocesis, juxta formam Ecclesie, plenam tenore presentium concedimus facultatem, et omnimodam potestatem. In cujus rei testimonium presentes literas fieri fecimus nostri sigilli impressione munitas.

Datum Utini super Patriarchali palatio, die vigesimo secundo mensis Septembris xv. Indictionis. R. o.

N.° 42.

1317 28 *Settembre Avignone.*

Il Pontefice Giovanni xxii. *Incarica il Cardinale Bertrando e gli Arcivescovi di Milano e di Ravenna della conservazione del Patriarcato d' Aquileja.*

Johannes Episcopus Servus Servorum Dei, Dilecto filio Bertrando S. Marie in Aquiro Diacono Cardinali, et Venerabilibus fratribus Mediolanensi et Ravennati Archiepiscopis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Militanti Ecclesie, licet immeriti, disponente Domino, presidentes, circa curam Ecclesiarum omnium solertia reddimur indefessa solliciti, ut juxta debitum Pastoralis officii earum occurramus dispendiis, et profectibus, Divina cooperante clementia, salubriter intendamus. Sane venerabilis Fratris nostri Castoni Patriarche Aquilegensis conquestione percepimus, quod nonnulli Venerabiles Fratres nostri Episcopi, ceterique Ecclesiarum Prelati, ac Clerici, et Ecclesiastice persone tam religiose, quam seculares; nec non Duces, Comites, Marchiones et Barones, Nobiles, Milites, Communia Civitatum, Universitates, et

alie seculares persone occuparunt, et occupari fecerunt Civitates, Castra, villas, et alia loca Terras, Domos, Maneria, Possessiones, jura et jurisdictiones, ac pecuniarum summas et fructus, census, redditus et proventus eorundem, et non nulla alia bona mobilia et immobilia, spiritualia et temporalia ad Ecclesiam et Patriarchatum eosdem spectantia; et ea detinent indebite occupata, seu ea detinentibus prestant auxilium vel favorem. Nonnulli etiam Civitatum, et partium predictarum, qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant, eisdem Ecclesie et Patriarche in predictis Civitatibus, castris, villis et locis aliis, terris, domibus, maneriis, possessionibus juribus et jurisdictionibus, ac pecuniarum summis, fructibus, censibus, redditibus et proventibus eorundem, et quibuscumque aliis bonis mobilibus et immobilibus, spiritualibus et temporalibus, ac aliis rebus ad Ecclesiam et Patriarcham predictos spectantibus multiplices molestias, et injurias inferunt et jacturas. Quare dictus Patriarcha, pro se et Ecclesia sua, nobis humiliter supplicavit, ut cum eidem valde reddatur difficile, pro singulis querelis ad Apostolicam Sedem habere recursum, providere sibi super hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur adversus occupatores, presumptores, molestatores, et injuratores hujusmodi de illo volentes ei remedio subvenire per quod ipsorum compescatur temeritas, et aliis aditus committendi similia precludatur, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, vel unus vestrum per vos, vel per alium, seu alios, etiam si sint extra loca in quibus deputati estis Conservatores et judices, prefatis Ecclesie et Patriarche efficacis defensionis pre-

sidio assistentes, non permittentes eos super hiis, et quibuslibet aliis bonis et juribus ad Ecclesiam et Patriarcham predictum spectantibus, ab eisdem, et quibuscumque aliis indebite molestari, vel sibi gravamina, seu dampna, vel injurias irrogari: facturi eidem Patriarche cum ab eo, aut procuratoribus suis, vel eorum aliquo fueritis requisiti, de predictis et aliis personis quibuslibet super restitutione Civitatum, Castrorum, villarum et aliorum locorum, terrarum domorum, maneriorum, possessionum, jurium et jurisdictionum, fructuum, censuum, reddituum et proventuum eorundem, et quorumcumque aliorum bonorum mobilium et immobilium, spiritualium et temporalium ad Ecclesiam et Patriarcham eosdem spectantium; nec non de quibuslibet injuriis, molestiis atque dampnis presentibus et futuris, in illis videlicet que judicialem inquirunt indaginem de plano, sine strepitu et figura judicii: in aliis vero prout qualitas ipsorum exegerit, justitie complementum. Occupatores seu detentores, molestatores, presumptores, et injuriatores hujusmodi, nec non contradictores quoslibet et rebelles cujuscumque dignitatis, status, ordinis vel conditionis extiterint, etiamsi Pontificali prefulgeant dignitate quandocumque et quotiescumque expedierit per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo: invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus fidelis recordationis Bonifacii Pape VIII Predecessoris nostri, in quibus cavetur ne aliquis extra suam Civitatem et Diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illi ultra unam dietam a fine sue Diocesis, ad judicium evocetur, seu ne judices, et conservatores a Sede deputati predicta extra Ci-

vitatem et Diocesim in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, seu alii vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine Diocesis eorundem trahere presumant; seu quod de aliis, quam de manifestis injuriis et violentiis, ac aliis que judicialem indaginem exigunt, penis in eos, si secus egerint, et in id procuratores adjecti conservatoribus se nullatenus intromittant; et tam de duabus dietis in Concilio generali, dummodo ultra Tertiam et Quartam dietam aliquis extra suam Civitatem et Diocesim auctoritate presentium ad judicium non trahatur, quam aliis quibuscumque Constitutionibus a Predecessoribus nostris Romanis Pontificibus, tam de judicibus delegatis et Conservatoribus, quam personis ultra certum numerum ad judicium non vocandis, aut aliis editis, que vestre possint in hac parte jurisdictioni et potestati, ejusque libero exercitio quomodolibet obviare. Seu si aliquibus communiter, vel divisim a predicta sit Sede indultum, quod excommunicari, suspendi, interdici, seu extra vel ultra certa loca ad judicium evocari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi et eorum personis, et locis, ordinibus, et nominibus propriis mentionem, et qualibet alia indulgentia dicte Sedis generali vel speciali cujuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam, vel totaliter non insertam vestre jurisdictionis explicatio valeat quomodolibet impediri, et de qua, ejusque toto tenore de verbo ad verbum in nostris litteris habenda sit mentio specialis. Ceterum volumus, et Apostolica auctoritate decernimus quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum

etiam per alios inchoatum, quamvis idem incohans nullo fuerit impedimento Canonico prepeditus, quodque a data presentium sit vobis et unicuique vestrum in premissis omnibus et singulis eorum ceptis et non ceptis, presentibus et futuris perpetuata potestas et jurisdictio attributa, ut eo vigore, et ea firmitate possitis in premissis omnibus et singulis ceptis et non ceptis, presentibus et futuris, et pro predictis procedere, ac si predicta omnia et singula coram vobis cepta fuissent, et jurisdictio vestra et cujuslibet vestrum, in predictis omnibus et singulis per citationem, vel modum alium perpetuata legitime extitisset, Constitutione predicta super Conservatoribus, et alia qualibet in contrarium edita non obstante.

Datum Avenione quarto Kalendas Octobris Pontificatus nostri anno secundo. C. F. c.

N.° 43.

1317 30 *Settembre Cividale*
Effetti preziosi dati in pegno da Lombardino della Torre onde trovar denaro ad imprestito pel Patriarca Gastone.

Stefano Guglielmini Not.

Die ultimo mensis Septembris. In Civitate Austria: in camera domus D. Gilloni Aquilegensis Archidiaconi qua nunc habitat D. Lombardinus subscriptus. Presentibus venerabili viro D. Guarnero Preposito Ecclesie Civitatensis, Conrado domicello D. Raynaldi de la Turre Aquilegensis

Thesaurarii, Reverendi Patris D. Castoni Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, Vicarii generalis, et Zorzino de Papia civi Aquilegensi, et aliis.

Pro sexaginta marchis denariorum Aquilegensis monete, quas venerabilis vir D. Lombardinus de la Turre Archipresbiter Modoetiensis confessus extitit et contentus se nomine et vice Reverendi patris et D. D. Castoni Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, puri capitalis, nomine mutui recepisse a venerabili viro D. Bernardo Decano Ecclesie Civitatensis prefate, renuntians exceptioni etc. Idem D. Lombardinus manuali fide prestita, nomine Sacramenti, cum obligatione omnium suorum bonorum etc. promisit et stetit solvere et reddere dictas sexaginta marchas ipsi Creditori, aut suis heredibus etc. usque ad proximum festum Nativitatis Domini venturum, et sub pena centum librarum venetorum parvorum in singulis Capitulis stipulatis. Pro quibus omnibus attendendis obligavit, ac sibi pro pignore assignavit et dedit sex calices argenteos desuper auratos, unum Turibulum Argenteum, sex cuppas argenteas sine pedibus, unum cingulum argenteum, et unam Cathenellam argenteam, hoc quidem pacto habito inter eos, quod idem D. Bernardus Decanus de casu infortuito furti, incendii aut rapine de dictis pignoribus, que in Sacristia Majoris Ecclesie Civitatensis deponere intendit, aut alio quocumque casu nullatenus teneatur. Unde si dicta pecunia in prefixo termino non fuerit integre persoluta, liceat ipsi Creditori, aut suis heredibus, aut cui cesserit vendere aut facere vendi dicta pignora, aut ea etiam obligare pro sorte et pena predictis auctoritate publica etc. et nihilominus recursum habere ad alia

ipsius Lombardini bona usque ad plenam et integram satisfactionem omnium predictorum. Preterea quia dictum mutuum factum fuit et constitit tantummodo in Florenis puri auri, et Venetis grossis, prefatus D. Lombardinus ex pacto promisit et stetit, sibi integram solutionem facere cum Florenis boni et puri auri, et cum venetis grossis etc. et cum omni melioramento. R. o.

N.° 44.

1317 15 *Decembre Faedis.*

Procura di Adalpretto di Cucagna onde venissero appianate le differenze vertenti tra esso e l' Abbate di Obrumburch.

Lupo Not.

Nobilis vir D. Adalprettus de Chucanea fecit, constituit, et ordinavit Warnerum filium suum presentem, et hoc mandatum suscipientem, suum certum Nuntium et procuratorem legitimum, D. Wargendum de Attems, et Magistrum Parisinum notarium de Utino, absentes tanquam presentes, et quemlibet eorum in solidum, ita quod non sit potior conditio occupantis, sed quod unus eorum incepit, alter mediare valeat et finire, suos certos nuntios et procuratores legitimos in omni lite et questione quam ei movet, seu movere intendit venerabilis vir D. Lempoldus Abbas Obrubigensis, seu ejus procurator, aut procuratores, occasione cujusdam Advocatie quorundam mansorum sitorum in villa de Budrio, quos, ut dicit di-

ctus Abbas, ad ipsum Abbatem pertinere et ejus Monasterium, Toletarum factarum per ipsum D. Adalprettum et ejus familiares, ut dicitur, dictum Abbatem dicere, et qualibet alia occasione quacumque coram Reverendo in Christo patre et D. D. Castono Dei gratia et Sedis Apostolice dignissimo Patriarcha, aut venerabili viro D. Raynaldo Thesaurario Aquilegensis Ecclesie dicti D. Patriarche Vicario generali, aut D. Savio ejus Vices gerenti, aut coram quocumque alio judice delegato, subdelegato, ordinario et civili ad agendum, defendendum etc. A. N. U. o.

N.° 45.

1317 26 *Dicembre Cividale.*
Procure di varj Canonici per l' elezione del Vescovo di Concordia.

Stefano Guglielmini Not.

In Dei nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem millesimo trecentesimo decimo octavo (*a*). Indictione prima, die lune sexto exeunte mense Decembri, in Civitate Austria Aquilegensis Diocesis, in domo D. Bernardi Prepositi infrascripti. Presentibus viris discretis Nicolao de Rodegliano Mansionario Ecclesie Civitatensis, predicte Aqui-

---

(*a*) *Cominciando l' anno a* Nativitate Domini, *come usavasi allora, e come apparisce dal Protocollo di questo e da quello di quasi tutti i Notai di quel tempo, il giorno 26 Dicembre 1317, era il secondo giorno del 1318.*

legensis Diocesis et Bonifacio de Carnia Subdiacono, commorantibus cum D. Bernardo Preposito subscripto, Jacossio filio q.^{m} Pitove de Fagedis dicte Diocesis Aquilegensis testibus et aliis.

Venerabilis vir D. Bernardus de Ragonia Prepositus Ecclesie Concordiensis, nunc residens in dicta Austria Civitate, gravi quadam corporea infirmitate oppressus propter quam non valet, absque periculo sui corporis personaliter accedere ad Ecclesiam Concordiensem prefatam, nec in termino interesse, in proximo die Mercurii, videlicet die quarto exeunte presente mense Decembri, sibi a viris venerabilibus Dominis Candido Vicedecano et Capitulo dicte Concordiensis Ecclesie assignato, ad electionem futuri Episcopi celebrandam, fecit suos certos nuntios et speciales procuratores, prudentes viros Dominos Guarnerum de Pulzinico presentem, Hermannum de Toppo, et presbiterum Johannem Plebanum plebis Ecclesie nove, Canonicos ejusdem Ecclesie Concordiensis, et quemlibet eorum in solidum, eisque, seu alteri eorum in solidum commisit quo ad instantis Electionis negotium totaliter vices suas, dans eisdem, seu alteri ipsorum in solidum plenam, generalem et liberam potestatem nominandi, eligendi ac postulandi vice ipsius et nomine, personam ydoneam in Episcopum et Pastorem Concordiensis Ecclesie, et ulterius ad alia omnia et singula facienda, que per ipsum D. Bernardum Prepositum, si presens esset, possent in ipso Electionis negotio fieri, aut quomodolibet expediri. Promittens idem D. Bernardus Prepositus se ratum et firmum perpetuo habiturum quidquid per dictos procuratores suos, seu alterum ipsorum in solidum, actum fuerit in premis-

sis, et quolibet premissorum. Insuper ipse D. Bernardus Prepositus juravit ad santa Dei Evangelia corporaliter a se tacta, quod ipse impedimento hujusmodi detinetur et, ut credit, detinebitur in termino supradicto, eritque in loco predicto, aut alio unde debent absentes Canonici, juxta consuetudinem Concordiensis Ecclesie, pro Electionibus convocari.

Item die eodem, in Austria Civitate predicta, in coquina domus D. Lodoyci subscripti. Presentibus discretis viris Dominis presbiteris Jacobo de Orsaria, Johanne pertholdo et Odorlico de dicta Civitate, omnibus Mansionariis Ecclesie Civitatensis, Aquilegensis Diocesis, Lanzallotto dicto Buttafollo notario di Portugruario testibus et aliis. Prudens vir D. Lodoycus de Civitate predicta, Canonicus Ecclesie Concordiensis, nunc in dicta residens Civitate etc. *ut supra in alio Procuratorio*, fecit et constituit suos procuratores legitimos et speciales Dominos Guarnerum de Pulzinico, presbiterum Johannem Plebanum Ecclesie nove et Lombardinum de la Turre Canonicos ejusdem Ecclesie Concordiensis, licet absentes, tamquam presentes, et quemlibet eorum in solidum, eisque, seu alteri ipsorum in solidum commisit quo ad instantis electionis negotium totaliter vices suas etc. *ut supra*.

Item die eodem in Civitate prescripta, in stupa domus D. Ottonelli Archidiaconi infrascripti. Presentibus discretis viris presbitero Jacobo de Orsaria Mansionario Ecclesie Civitatensis Diocesis Aquilegensis, Lanzalotto dicto Buttafollo notario de Portugruario et magistro Blasio Sartore de Civitate predicta testibus et aliis. Sapiens vir D. Ottonellus Archidiaconus et Canonicus Ecclesie Con-

cordiensis procuratores suos fecit per omnia sicut D. Lodoycus prescriptus etc. R. o.

N.° 46.

1317 *Avignone.*

Il Patriarca Gastone invita il Conte di Gorizia ad adempiere alle condizioni dei trattati seco lui conchiusi, e a restituirgli il Castello di Torre ch' ei ritenea tuttora in sua balìa.

Castonus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha, Magnifico viro D. Henrico honorando Goritie et Tirolis Comiti, affini fideli et amico nostro carissimo, salutem et sincere dilectionis affectum. Meminimus, vosque non credimus ignorare, quod instanti anno Henricum familiarem et Ambasciatorem vestrum apud Carpentorate prope Romanam Curiam ad nostram presentiam destinastis: cujus adventus causam specialiter esse cognovimus, ut certa pacta et certas conventiones super restitutione Castrorum et Fortiliciorum, Terrarum et jurium Sancte Aquilegensis Ecclesie per vos libere facienda, per nos confirmarentur in Ecclesie prelibate, nostrum et vestrum commodum et honorem, et statum pacificum totius Patrie misericorditer procurandum. Quod quidem nos, divina reverentia mediante, mutuoque affinitatis, qua nobis adstricti estis, ac dilectionis et illibate bone voluntatis, quam vobis quantum in nobis est servare intendimus in eternum, ... dicta pacta et conventiones duximus roborandas. Credentes, imo pro constanti repu-

tantes, corroborationem ipsam vobis gratam fore plurimum, et acceptam et credimus, imo certi sumus, quod vestre intentionis fuit, ipsa pacta et ipsas Conventiones, sicut etiam nos eramus et sumus, totis temporibus inviolabiliter observare. Nuper autem audivimus quod Castrum nostrum Turris retinuistis vobis; et ipsum Raynaldo Fratri nostro, sicut sibi publice promsistis, nullatenus .... sed ibi vestros homines posuistis .... B. V. U.o.

N.° 47.

1318 3 Gennajo *Cividale.*

Rottura de' Sigilli del defunto Vescovo di Concordia e consegna al Capitolo de' Privilegj e Carte spettanti a quella Chiesa.

Stefano Guglielmini Not.

Die tertia intrante Januario. Ante Ecclesiam B. Johannis Baptiste de Civitate. Presentibus venerabilibus viris Dominis Bernardo Decano, Nicolao de Portis, Guarnero de Pulzinico Canonicis Ecclesie Civitatensis et aliis.

Jocobus nepos bone memorie D. Jacobi Concordiensis Episcopi dedit et assignavit Dominis Mazio de Toppo et Alberto, dicto Bellono Canonicis Ecclesie Concordiensis pro se et dicto eorum Capitulo Concordiensi recipientibus, duo sigilla enea cum quibus litere ipsius q.m D. Episcopi sigillari solebant. Que quidem illico in frustis pluribus fracta fuerunt.

Item eisdem die, loco et testibus. Cum dictus D. Mazius

petivisset a Jacobo predicto, vice et nomine dicti Capituli Concordiensis, privilegia et scripta Episcopatum et Ecclesiam Concordiensem tangentia, idem Jacobus respondens inquit se paratum esse, ac promisit quocumque dare et assignare omnia scripta, et quascumque alias munitiones predictum Episcopatum et Ecclesiam Concordiensem tangentia, que, aut quas habet, et in sua sunt potestate; de aliis scriptis quibuscumque dicti Episcopatus et Ecclesie Concordiensis, que non habet, et que in sua non sunt potestate se nullatenus ingerendo etc. R. o.

N.° 48.

1318 12 *Gennajo Padova.*
Elezione di Odorico di Cucagna in Capitano del Popolo in Padova.

In reformatione Consilii Dominorum Antianorum, Defensoris, Quindecim Gastaldionum, et Duodecim Sapientum super majori sala Dominorum Antianorum more solito congregatorum facto inter eos partito per D. Melium Judicem de Signoretis, Judicem Antianorum, placuit omnibus, nemine discrepante; et sic inter eos extitit reformatum vigore, auctoritate et bailia eis per Communitatem Padue concessa: quod ad honorem Omnipotentis Dei, et Beate et gloriose semper Virginis Marie, Beatorum quoque Prosdocimi Confessoris, Justine Virginis, Antonii Confessoris et Danielis Martyris Protectorum et Defensorum Civitatis et Populi Padue, et totius Celestis Curie; et ad honorem et reverentiam Sacrosancte Ro-

mane Ecclesie et defensionem; et pro defensione et conservatione Civitatis Padue et Districtus; et precipue Populi Padue, et honorem et statum omnium Amicorum Sancte Romane Ecclesie, mortem et destructionem perpetuam omnium inimicorum, et ubique: Nobilis Miles D. Odoricus de Cucanea eligatur, et ex nunc Electus esse intelligatur, et sit in Capitaneum Populi Padue. Cujus officium incipiat hodierno die, et duret, et per ipsum debeat viriliter exerceri, usque ad Calendas mensis Julii proxime venturas. Qui Capitaneus habeat, et habere debeat plenum, liberum, et merum Arbitrium, et Bailiam; et in determinatione Dominorum Antianorum, Defensoris, Quindecim Gastaldionum, et Duodecim Sapientum sit, et esse debeat de liquidando, et ordinando ipsius Officium, familiam, salarium, et ejus consilium, et per quatuor menses ante complementum sui officii fieri debeat electio alterius novi Capitanei, dum fiat electio Capitanei qui sit de parte S. Ecclesie, et tota ejus familia; et juret in principio introitus sui officii se, et universam ejus familiam esse de parte S. Romane Ecclesie. Que electio fieri debeat in dicto Consilio D. Capitanei modo et forma quo et quibus fit electio Potestatis Padue. Qui Capitaneus, seu ejus officium ab inde in antea duret per sex menses cum eo salario, et familia et eo arbitrio, que, et quod liquidabitur, et ordinabitur per Sapientes eligendos. Et sic successive fiat electio Capitanerie singulis sex mensibus, dummodo officium D. Capitanei non prejudicet officia D. Potestatis presentis, et qui erunt pro tempore. Et si aliquo tempore Potestas Padue, vel ejus Vicarius recusaret in Consilio, vel Consiliis proponere de electione facienda Capitanei Po-

puli, tunc Judex Antianorum et Antiani qui pro tempore fuerint, proponere teneantur, et facere Electionem predictam, pena librarum mille parvorum, Judicis Antianorum, et nunquam habendi officium, nec beneficium in Civitate Padue. Et nullus qui fuerit Capitaneus sex menses, esse possit, nec confirmari pro sex mensibus proxime subsequentibus; nec audeat aliquis arrengare, consulere, vel proponere de Capitaneo confirmando pena capitis; dummodo remaneat ipsi D. Odorico Capitaneo antedicto plenum, et liberum arbitrium toto tempore officii sui, et per sapientes qui deputati fuerint pro Officio Capitanei ordinando, examinando formam et modum qui habetur et servatur Bononie super facto Capitanei, ordinetur et provideatur de arbitrio, et modo arbitrii quem habere debent subsequentes Capitanei etc.

Die vigesimo mensis Januarii. Padue super domum Dominorum Antianorum Civitatis ejusdem. Presentibus magistro Marco q.m Viviani de Calcaterris Cancellario Communis Padue, Romanato notario q.m D. Dei ab Omnibus Sanctis, et Spinello notario q.m D. Honetoni a S. Bartholomeo et aliis. Providerunt, statuerunt et ordinaverunt Antiani, Domini Quindecim Gastaldiones, et Duodecim Sapientes ad hoc electi, seu sufficiens pars eorum vigore, auctoritate et bailia eis per Commune, et Populum Padue concessa, et omni jure, modo, et forma quibus melius facere potuerunt, quod infrascripti sex Sapientes, scilicet duo Antiani, duo Gastaldiones, et duo Sapientes de Duodecim predictis cum Defensore Populi habeant plenam, et liberam bailiam, et arbitrium paciscendi, et conveniendi cum nobili milite D. Odorico de

Cucanea presenti Capitaneo Populi Civitatis Padue de salario, et feudo, seu salarii occasione dicte Capitanerie sex mensium usque ad Calendas Julii proxime futuras et ejus familia et suo officio, et occasione gerendorum et gestorum per ipsum in presentibus novitatibus, et occasione ipsarum novitatum. Et similiter provideatur de salario futurorum Capitaneorum Populi dicte Civitatis Padue, et de eorum familiis: concedentes predictis sex Sapientibus et Defensori auctoritatem plenam omnia et singula faciendi et operandi in predictis, et circa predicta, que ipsimet omnes facere possent, si his omnibus et singulis, ac aliis quibuscumque personaliter interessent. Quod ordinaverunt, decreverunt, et mandaverunt inviolabiliter observari ordinamento aliquo non obstante, et sit provisum.

Nomina autem Defensoris, duorum Antianorum, duorum de quindecim Gastaldionibus et duorum de Duodecim Sapientibus. D. Henregetus notarius de Ambroxino Defensor Populi Padue. D. Martinus q.m D. Alberti de Caseta, D. Tomasius q.m D. Aleduxii de Turre Antiani. D. Almenardus de Montagna, D. Bonsignore Caxalinus de Quindecim Gastaldionibus. D. Schinella judex de Docto, D. Vandinus de Terra dura de Duodecim Sapientibus etc.

Die vigesimo primo mensis Januarii, eodem millesimo et Indictione. Padue super domo Dominorum Antianorum, et in eorum camino novo. Presentibus D. Alberto q.m D. Anzonis de Salgere Gastaldo Fratelearum Civitatis Padue, D. Nicolao q.m D. Brunaxii de Malitiis de Contrata S. Cecilie, D. Johanne Anzino q.m D. Tifonis de Contrata Turriselarum, Ottolino a Bandis q.m D.

Francisci a Prato Vallis, Francisco filio D. Saze de Ungarellis de Contrata Putei Musaragliorum, et aliis.

Convenientes in Camino Dominorum Antianorum Civitatis ejusdem infrascripti D. Antiani, Gastaldiones, Defensor, et Sapientes auctoritate, bailia, et arbitrio eis per Dominos Antianos, Gastaldiones, Duodecim Sapientes et Defensorem, dato vigore, et bailia ei per Commune Padue concessa dum providerent de salario, et familia nobilis militis D. Odorici de Cucanea presentis Capitanei Populi Civitatis ejusdem, deliberate, et communiter providerunt, statuerunt, firmaverunt, et ordinaverunt auctoritate et bailia predicta, et omni jure et modo quibus melius facere potuerunt, pro bono et pacifico statu Civitatis Padue, quod nobilis Miles D. Odoricus de Cucanea presens Capitaneus Populi predicti, et ceteri Capitanei Populi qui futuris temporibus pro Communi Padue eligentur, habeant, et habere debeant pro feudo et solutione salarii sex mensium pro quolibet libras tria millia parvorum, solum libras quingentas parvorum pro mense, et in ratione mensis: et teneatur, et debeat dictus D. Odoricus Primus Capitaneus Populi, et ceteri Capitanei Populi Civitatis ejusdem in dicto ejus officio habere, et tenere continue tres providos Judices, duos milites et socios, octo Domicellos, et viginti Beroderios, decem equos, quorum tres ad minus sint dextrarii; et valeat, et teneat presens Decretum et ordinamentum, et precise, et inviolabiliter observetur, statuto aliquo non obstante.

Nomina autem Defensoris, Antianorum, Sapientum, et Gastaldionum sunt hec. D. Henregetus notarius de Ambroxino Defensor Populi Civitatis Padue, D. Martinus

q.m D. Alberti de Caseta, D. Tomasius q.m D. Alcduxii de Turre, Antiani: D. Schinella Judex de Docto, D. Vandinus de Terra dura de Duodecim Sapientibus: D. Almenardus de Montagna, D. Bonsignore Caxalinus de Quindecim Gastaldionibus.

Die eodem, loco, et testibus. Item providerunt, statuerunt, decreverunt, et ordinaverunt dicti sex Sapientes, scilicet Antiani, Gastaldiones, Sapientes, Defensor Populi unanimiter, et concorditer, nemine discrepante, auctoritate et bailia sibi concessa, et omni jure, et modo quibus melius facere potuerunt, quod Nobili Militi D. Odorico de Cucanea predicto Capitaneo Populi per Commune Padue donentur, et dentur eidem libre tres mille parvorum denariorum ex havere Communis Padue in sex pagis, usque ad Calendas Julii proxime venturas; et hoc nominatim pro multis, et variis beneficiis, et servitiis eidem Communi et Populo Paduano in presenti Guerra, et novitate D. Canis, ultra ea que facere tenebatur occasione sui officii; et pro remuneratione unius destrarii eidem Capitaneo devastati in presenti novitate, pro conservatione status Populi civitatis ejusdem, et quod unus solemnis Sindicus, civis Padue fieri debeat in majori Consilio, qui promittat dicto Capitaneo pecuniam memoratam, et salarium eidem statutum occasione Officii sue Capitaneríe, et qui cum ipso faciat contractus necessarios pro dictis promissionibus, et obliget pro dictis Commune et Singulares personas Civitatis Padue, et contra bona eorum: et similiter omnia faciat que fuerint necessaria circa predicta. Quod Decretum et Ordinamentum inviolabiliter et precise observetur, ordinamento aliquo non obstante.

Die vigesima prima mensis Januarii in sala ubi majora Concilia Civitatis Padue congregantur. Presentibus Jacobino de Runchis Cancellario Communis Padue, Perato filio D. Antonii Coste de Plete notario sigilli, et Johanne D. Petri a Mulinellis notario sigilli, et aliis.

Nobilis et potens miles D. Odoricus de Cucanea honorandus Capitaneus Populi Civitatis Padue, et Sapiens vir D. Johannes de Lavazola Judex, et Vicarius Nobilis et potentis viri D. Petri de la Parte de Trevisio Potestatis Padue, nomine et vice dicti D. Potestatis, Domini Antiani, et Domini Consiliarii Civitatis ejusdem, in quo Consilio adfuit sufficiens numerus dictorum Consiliariorum, unanimiter et concorditer, nemine discrepante, et quilibet in solidum fecerunt, constituerunt, et ordinaverunt D. Martinum q.m D. Alberti de Caseta ibi presentem, et sponte recipientem, suum et dicte Communis Padue Missum, Actorem, et Sindicum legitimum, et quidquid melius et amplius esse et fieri posset specialiter ad promissionem faciendam Nobili Militi D. Odorico de Cucanea Capitaneo predicti Populi Civitatis ejusdem, de solvendo salarium, et feudum sui salarii eidem deputatum occasione Officii Capitanerie Populi predicti pro rata mensis, juxta quod in promissione supra de hoc specialiter facta, plene continetur; et de recipienda ab eodem Capitaneo promissione de stando, et perseverando cum familia et equis ordinatis per Commune Padue ad servitium dicti Communis pro Capitaneo Populi Civitatis ejusdem usque ad sex menses, juxta quod in ordinamentis dicti Communis plenius continetur: et de promissione ad hoc facienda dicto D. Odorico Capitaneo Populi de solvendo

eidem libras tres mille parvorum pro rata mensis, scilicet libras quingentas pro mense usque ad Calendas Julii proxime futuri eidem donandas per Commune Padue, juxta provisionem, et ordinamentum superscriptum ad hoc specialiter factum et scriptum per me notarium infrascriptum, pro multis et variis beneficiis factis per eum pro conservatione pacifici status Populi Civitatis ejusdem, et aliis etc. ut in eo plenius continetur: et generaliter ad omnia alia et singula facienda et gerenda que circa predicta fuerint opportuna, dantes et prestantes dicti Domini Capitaneus, Vicarius Potestatis, Antiani, et omnes de Consilio eidem Sindico plenam et liberam bailiam, ac speciale et generale mandatum omnia et singula faciendi et complendi que circa predicta, et quolibet predictorum fuerint opportuna, et que ipsimet facere possent si in iis omnibus et singulis, ac aliis quibuscumque occasione predictorum personaliter interessent, cum obligatione omnium bonorum Communis et singularum personarum Civitatis Padue, constituentes se fidejussores pro dicto suo Sindico in omnibus et singulis suprascriptis.

In Christi nomine amen. Anno Nativitatis ejusdem millesimo trecentesimo decimo octavo. Indictione Prima, die vigesimo primo mensis Januarii. Padue, in camino nove domus habitationis Dominorum Antianorum. Presentibus Domino Alberto de Salgere q.^m D. Aconis de Contrata Vignalium, D. Nicola q.m D. Brunaxii de Malitiis de Contrata S. Cecilie, D. Johanne Ancino q.m D. Tifonis de Contrata Turrisellarum, Ottolino a Bandis q.m D. Francisci a Prato Vallis, Francisco notario filio D. Saze de Hungarellis de Contrata Putei Musaragliorum et aliis.

D. Martinus Caseta q.^{m} D. Alberti Casete de contrata S. Blasii, Sindicus et Sindicario nomine Communis et hominum Civitatis Padue ad hoc specialiter constitutus juxta quod continetur in carta Sindicatus scripta per me Pasqualem notarium infrascriptum, sine aliqua exceptione juris vel facti, cum obligatione omnium bonorum Communis, et singularum personarum Civitatis ejusdem, pro solempni stipulatione promiserunt, et convenerunt per pactum dare et solvere nobili militi D. Odorico de Cucanea presenti, Capitaneo Populi Civitatis ejusdem de denariis, et havere dicti Communis Padue libras tres mille pro feudo, et solutione sui salarii Capitanerie predicte, in sex pagis: videlicet libras quingentas parvorum pro paga, et in ratione page pro solutione sex mensium, videlicet Januarii presentis, Februarii, Martii, Aprilis, Maii et Junii proxime futurorum. Qua propter dictus D. Odoricus de Cucanea Capitaneus Populi libere, et ex certa scientia promisit et convenit per pactum stare, et perseverare in Civitate Padue pro Capitaneo Populi, usque ad dictum tempus pro salario memorato cum familia eidem per Commune Padue ordinata, et omnia statuta et ordinamenta ad suum officium spectantia bene et legaliter observare, et eidem per Commune Padue predictum imposita pro statu pacifico Civitatis ejusdem usque ad dictum tempus, fideliter adimplere cum obligatione omnium suorum bonorum. Que omnia vicissim una pars alteri promisit attendere et observare usque ad dictum tempus, et terminum antedictum, sub pena librarum centum marcharum argenti pro unoquoque Capitulo, seu termino non observato: que soluta vel non, nihilominus contractus iste in sua

permaneat roboris firmitate. Renuntiantes exceptioni, doli, inferende actionis ex injusta causa, et omni remedio appellationis, supplicationis etc. Pro quibus omnibus et singulis hinc inde attendendis et observandis, predictus D. Martinus Caseta Sindicario nomine antedicti Communis Padue, et dictus nobilis miles D. Odoricus Capitaneus Populi predicti per se, suosque heredes obligavit unus alteri in quolibet loco, seu foro ad fortamentum et tenutam de suis bonis accipiendam nominibus antedictis, videlicet dictus D. Martinus Sindicario nomine predicto de bonis Communis et singularum personarum Civitatis ejusdem, non obstantibus aliquibus statutis, ordinamentis, et reformationibus Consilii Civitatis Padue, factis, et de cetero faciendis, quibus omnibus expresse renuntiavit.

Eodem die, loco, et testibus, millesimo, et Indictione. D. Martinus Caseta predictus Sindicario nomine antedicto, pro ipso Communi Padue libere, et sine aliqua exceptione juris, vel facti, cum obligationo omnium bonorum dicti Communis, et singularum personarum Civitatis ejusdem, promisit et convenit per pactum speciale, dare et solvere de havere et denariis Communis Padue, nobili militi D. Odorico de Cucanea presenti, Capitaneo Populi Civitatis ejusdem libras tres mille parvorum in sex pagis; scilicet quingentas parvorum pro paga, et in ratione mensis usque ad Calendas Julii proxime venturi, et hoc nominatim pro multis et variis beneficiis Civitati, eidem Communi, et Populo Padue in presenti guerra, et novitate D. Canis de la Scala, ultra ea que tenebatur occasione sui Officii, et pro remuneratione unius dextrarii eidem Capitaneo devastati in presenti novitate,

pro conservatione status pacifici Civitatis ejusdem, secundum formam Decreti et ordinamenti de hoc specialiter facti, scripti per me notarium infrascriptum, sub pena librarum ducentarum parvorum pro unoquoque Capitulo, seu termino non observato: qua soluta vel non, nihilominus Contractus iste in sua permaneat roboris firmitate. Et si forsitan pena non fuerit dicto termino soluta, promisit dictus D. Martinus Sindicario nomine antedicto, eidem nobili D. Odorico de Cucanea restituere omnes expensas cum dampno et interesse; cum obligatione omnium bonorum dicte Civitatis et singularum personarum Padue. Renuntians exceptioni doli, mali, et in factum, actioni ex injusta causa, et omni remedio appellationis, et supplicationis, quorum auxilium eidem remisit per pactum. Pro quibus omnibus et singulis firmiter attendendis, et observandis obligavit se dictus D. Martinus Sindicario nomine antedicto, et singulares personas, et eorum bona civitatis ejusdem ubique ad fortamentum et tenutam de suis bonis accipiendum, non obstantibus feriis, et diebus feriatis, statutis, ordinamentis, et reformationibus Civitatis Padue factis, et de cetero faciendis.

Eodem die, loco, et testibus. Providerunt, firmaverunt dicti Potestas, Capitaneus Populi, Antiani, Defensor, Gastaldiones at alii duodecim Sapientes Civitatis Paduc, seu sufficiens numerus ipsorum, vigore, auctoritate et bailia eis per Commune Padue data, et omni modo et forma quibus melius potuerunt, quod pro tuitione, defensione et custodia Civitatis ejusdem et pacifici status, omnia Dacia, Pedagia, et Tholomea Communis Padue, que modo ad presens per Massarios dicti Communis Pa-

due exiguntur, et que de cetero exigentur, et similiter omnes Dacie, mutua, et Floreni scilicet que, et qui exiguntur et exigi potuerint a tempore quo capta fuit civitas Vincentie, usque ad presentem diem, deputentur, et ex nunc deputata sint, vel esse intelligantur pro solutione facienda D. Capitaneo presenti Populi Civitatis ejusdem, et aliis qui pro tempore erunt de eo quod habere debent a dicto Communi pro feudo et solutione sui salarii, et etiam pro solutione facienda illis centum Soldiatis Communis Padue galeatis, qui modo ad presens sunt ad servitium Communis Padue in formam suorum pactorum, residuum vero denariorum pro solutione facienda aliis stipendiariis Communis Padue tam peditibus quam equitibus, ordinamento aliquo non obstante, et sit provisum. A. C. U. c.

N.° 49.

1318 13 *Gennajo Villalta.*
Il Vicario del Patriarca ordina ai Signori di Villalta di sospendere l' ostilità.

Pantaleone Not.

Die XIII.° Intrante Januario. In Castro veteri Villalte, prope stabulum D. Hendrigutii. Presentibus Federico notario de Utino, Magistro Warnero inferratore dicti loci, et Perino q.^{m} Miroli de Faganea testibus et aliis.

Cum Magister Gyrardus de Mediolano, nunc Utini commorans, ex parte honorabilis viri D. Raynaldi, vene-

rabilis viri D. Castonis, Dei gratia Sancte Sedis Aquilegensis Patriarche Vicarii generalis, mandasset Nobilibus viris Dominis Johanni et Hendrigutio de Villalta, quod Trevuas facerent per se, suosque servitores D. Federico de Villalta et suis servitoribus, usque ad proximum festum Carnisprivii, et non offenderent eis in bonis, neque in personis; et omnia bona, que D. Federicus et sui servitores habebant in possessionem et tenutam antequam vuerra incepta fuisset inter eos, eis dimitterent in eorum tenutam in pace; et hoc sub pena centum Marcharum denariorum novorum. Qui Domini Johannes et Hendrigutius supradicti responderunt, quod erant parati obedire mandatis Vicarii, tanquam mandatis Domini, et Trevuas facere dicto D. Federico et suis Servitoribus, et bonis eorum usque ad dictum terminum, salvo bona que D. Federicus et sui servitores violenter tenuerant, et vendiderant aut obligaverant dictis Dominis Johanni et Hendrigutio, ac servitoribus eorum, de quibus erant parati ostendere coram dicto D. Vicario secundum ordinem juris, et ad rationem facti. A. N. U. o.

N.° 50.

1318 21 *Gennajo Trevigi.*

Risoluzione di far lega col Patriarca e con alcune Comunità del Friuli giusta l' insinuazione di un' Ambasciata di Padova.

Verci Doc. 855.

Consilio ccc... Johannes Alacer de Grandonio notarius, Antianus Communis Tervisii pro se et aliis suis

sociis Antianis dicti Communis Tervisii super dicta proposita consuluit quod liga, societas, ac fraternitas in presenti Consilio firmetur inter D. Patriarcham, vel ejus Vicarium cum aliis Communitatibus, et personis Castrorum et locorum de Forojulii ex una parte, et Commune Padue, et Commune Tervisii ex altera, et remaneat id discretione Pragastaldionum et Sapientum super custodia Civitatis et districtus Tervisii electorum, eligendi Sapientes tractatores in ea quantitate quam eis videbitur convenire: qui una cum tractatoribus et Sapientibus per Commune Padue Electis, vel eligendis tractare debeant ligam cum dicto D. Patriarcha, vel ejus Vicario et aliis Communitatibus et personis Castrorum de Forojulii, secundum quod eis melius videbitur convenire. Et quidquid per eos provisum, tractatum, vel deliberatum fuerit, proponat Consilio Trecentorum Communis Tervisii, et secundum quod dicto Consilio placuerit, sic procedat, et fiat.

N.° 51.

1318 *Gennajo Cividale.*
Rinaldo della Torre Vicario del Patriarca aderisce alla lega propostagli dai Trivigiani e Padovani.

Verci Doc. 856.

Nobilibus et potentibus viris Dominis Rolandino de Foliano de Regio Potestati, Antianis, Consulibus, Consilio, et Communi Civitatis Tarvisii amicis intimis, Ray-

naldus de la Turre Thesaurarius Aquilegensis Ecclesie, Reverendi Patris et D. D. Castoni Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche Vicarius Generalis, salutem, et prosperos ad vota successus.

Litteris vestris gratiose receptis, ac diligenti affectione intellectis, nobis expositis, per Ambaxatores vestros Dominos Nicolaum de Clarello Judicem, et Marcum de Alexio notarium, sic Nobilitati vestre, et care amicitie presentibus respondemus: quod nostre intentionis est super vestris honoribus et beneplacitis complacere, ac dandi operam efficacem ad omnia que vestrum statum prosperum inspiciant, et honorem. Consideratis igitur processibus emulorum vestrorum, et Fratrum vestrorum Paduanorum, ad omnia ea que sint favoribus et auxiliis eis optata, sic prompte, sic patenter et votive vellitis intendere, quod prefati Emuli, nulla potentia, nullisque proditionibus, vel falsis subgestionibus subvertere valeant vos et eos.

Data in Civitate Austria die ... Januarii. I.ª Indictione.

N.° 52.

1318 12 *Febrajo Faedis.*
Matrimonio tra Servi di Masnata.

Lupo Not.

In platea Fagedis, ante domum Communis. Presentes Nobiles viri D. Warnerus de Cuchanea Aquilegensis Canonicus, et Ossalchus de Saciletto consenserunt Matri-

monio facto inter Cristinam filiam Luciutte, femmine de Masnata dicti D. Warnerii, et Dominicum hominem de Masnatadicti D. Ossalchi, ad tale pactum descendentes: quod bona inter dictos jugales aquisita, et aquirenda, pariter cum heredibus aquirendis, inter dictos Dominos equanimiter dividantur, sub pena ducentarum marcharum denariorum monete Aquilegensis: medietas cujus cedat parti dictam pactionem observanti, alia medietas Patriarche qui pro tempore fuerit: et ea soluta, aut non, presens Instrumentum suam obtineat firmitatem. Pro quibus omnibus attendendis, et firmiter observandis, et precibus predictorum Dominorum Warneri et Ossalchi, D. Henricus de Strassolt extitit Fidejussor. A. N. U. o.

N.º 53.

1318 24 *Febrajo Cladrezis.*
Statuto di Cladrezis

Stefano da Cividale Not.

In Christi nomine amen. Anno Nativitatis ejusdem м. ccc. xviii. Indictione prima, die quinto exeunte Februario. Nos Johannes Fuscus de Varmo, nunc Civitate Austria perseverans, et Hernistus filius q.m Guilielmi de Wisnivicho nunc Civitate Austria commorans, habentes Garictum in contrata de Cladrezis, et Commune omnium hominum pertinentium ad dictum Garictum, ibidem presentium, consentientium, et mandantium, videlicet infrascriptorum hominum testium more solito congregatorum,

statuimus, et ordinamus cum voluntate infrascriptorum quedam Statuta infra patentia.

In primis quidem statuimus quod si quis ponat manum in sanguinem, solvat Domino Garicti denarios Aquilegensis monete quadraginta.

Item si quis rumpet spangam, secundum voluntatem Dominii solvat libras Sclabonicas triginta pro intrando, et triginta pro exeundo.

Item si quis haberet Concubinas, aut Concubinam, et cum ea, aut eis dormiret seu de die, ac nocte solvat denarios quadraginta predicte monete Domino Garicti.

Item si quis evaginet gladium, aut ensem super aliquem, solvat Denarios octo predicte monete Domino Garicti.

Item si quis percutiet eum lapide, baculo, aut alio Instrumento, solvat denarios octo predicto Garicto.

Item si quis vendet aliquam Canipam, seu domum, solvat denarios octo Domino Garicti.

Item si quis offensor intraret Curtinam rebus, personaque, quod nullus habeat, seu teneat super eum jus, nisi predicti habentes Garictum.

Item si quis rumperet aliquam Canipam vi, sive intraret furtive, aut alio modo, invito Domino domus sive Canipe, solvat libras triginta pro intrando, et triginta pro exeundo.

Item si quis accipiet alicui unum baculum, pileum, aut aliquid aliud, solvat pro unoquoque denarios octo Domino Garicti.

Item si quis portaret secundum scientiam vinum, aut invito Domino, solvat vinum duplicatum Tabernario, et denarios octo Domino Garicti.

Item duos juratos Johannem de Cladrezis, et Leonardum de Stegna faciant ipsis juratis dicere, seu accusare Domino Garicti omnes contradicentes, ita quod si unus alter bonus homo accusaret, tamen valeat.

Actum in villa de Cladrezis in ejusdem curtina Garicti. Presentibus predictis juratis Jacobo de Fradellis, Johanne ejus filio, Jacussio de Pogomella, Leonardo ejus filio, Martino ejusdem loci, Matthia filio q.^m Ceconi, Mathia filio Andree de Fradellis, Jacopizanno ejusdem loci, Martino dicto Chon ejusdem loci, Mozio ejusdem loci, Johanne de Memoglya, Daligoglo de Caveglis, Martino de Chazays, Petropaulo ejusdem loci, Sabadino de Cladrezis, Tomasio ejusdem loci, Johanne ejusdem loci, Jacobo ejusdem loci, Martino ejusdem loci, Helaro ejusdem loci, Occelo ejusdem loci, Mathiutio de Albona et Isaach ejus fratre, Martino ejusdem loci, Goglo ejusdem loci, Nicolao de Memoglya, Sabadino de Polegoglo, Sabadino de Questafulzita testibus, et aliis quamplurimis ibidem presentibus.

Ego Stephanus filius magistri Antonii Candelarii de Civitate Austria imperiali Auctoritate Notarius publicus de mandato omnium supradictorum, ac voluntate eorundem, et predictis interfui, et rogatus scripsi, et auteuticavi. A. D. U. o.

N.° 54.

1318 3 *Marzo Cividale.*

De ponderando Bladum.

Statuto di Cividale giusta il Codice de' Sig.^ri di Belgrado.

Anno Domini M.CCC.XVIII. Indictione I.^a die tertio intrante Martio. Ordinatum fuit per D. Guilielmum Ga-

17

staldionem, et firmatum per Consilium quod Bladum frumenti, et siliginis a medio stario supra, a die Mercurii primo Quadragesime proxime ponderetur per Ponderatorem Communis eundo ad molendinum, et redeundo; et quod moldura accipiatur de frumento priusquam ponderetur, prout hactenus fieri consuevit. Nullus vero molendinarius hujusmodi bladum portet ad molendum, nisi prius fuerit ponderator de Civitate et burgis requisitus. Nullus autem de Civitate et burgis portet ad molendum, nec molendinarius illud molat, nisi prius fuerit ponderatum sub pena XL. denariorum pro quolibet contra faciente, que sit Communis. Sed si molendinarius fraudaverit farinam, seu non repertum fuerit pondus, ut debet reperiri, Gastaldioni suam wadiam solvere teneatur, si querela sibi de hoc facta fuerit, et per coactionem Gastaldionis quod defecit fuerit restitutum. Et quod nullus ponderare debeat preter quam Officialis ponderator in pena XX. denariorum pro quolibet contrafaciente. O.

N.° 55.

1318 5 *Marzo Avignone.*

Varie commissioni date dal Patriarca Gastone a Rinaldo di lui fratello e Vicario del Patriarcato circa i soccorsi chiesti dal Vescovo di Padova, circa l'acquisto da farsi dei castelli di Butrio e di Osopo, e circa il denaro che deve spedirgli di cui ne sente grande bisogno.

Castonus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha Rainaldo fratri suo salutem.

Noveris nos recepisse ante adventum Guercii .... florenos auri M.CC.LII. per unum cambium factum Venetiis per Savium Canonicum Tergestinum, cum Societatibus de Scalis, e de Piruciis: sed hoc non obstante, omnino procura illa complere que tibi misimus per presbiterum Tadeum. Nec alia super hoc mittimus tibi, quia satis videtur nobis quod illa sufficiant que tibi debuit dicere: et nisi illa quantitas pecunie incontinenti mittatur nobis, melius esset quod adhuc essem Canonicus Aquilegensis, quam quod essem Patriarcha.

Ad factum vero Artuici de Castello sic respondemus, quod tibi misimus commissionem necessariam duplicatam per duos nuntios predicti Artici super confirmatione, aut infirmatione ipsius: et ideo non mittimus aliquid super hoc per istum Nuntium.

Novitates vero factas per D. Canem in districtu Paduano bene audivimus; de quibus dolemus in intimis cordis; et specialiter quia ibi non fuimus, nec sumus, ut exponere possemus personam, et bona in servitium predictorum Paduanorum. Et quia etiam misisti nobis quod Paduani propter graves conditiones suas requisierant te de aliquo auxilio eis dando, et etiam D. Episcopus idem miserat tibi, sic tibi respondemus, quod si non possis obtinere cum adjutorio D. Episcopi a Paduanis excusationem necessariam, tunc placet nobis quod tu procures per aliquam viam mittere Paduanis aliquas bonas gentes armigeras cum balistis, aut cum lanceis, de quibus Paduani contentari possint, et nos habere inde possimus... dummodo per hoc non diminuatur in aliquo de quantitate pecunie que de presenti nobis est necessaria pro ex-

peditione nostra de Curia. sed si .... quantitatem nobis necessariam poteris recuperare pecunie, de qua possis invenire aliquas gentes ad mittendum Paduanis secundum tenorem cedule hic intus incluse, placet nobis quod mittas.

Super facto vero Castri de Budrio et Castri de Osopio misimus tibi per tres alios nuntios responsionem: et nihilominus iterato per presentes tibi scribimus super hujusmodi nostre beneplacitum voluntatis, prout alias tibi duximus rescribendum: videlicet in primis super facto illorum de Budrio, videlicet filiorum q.^{m} D. Henrici de Budrio qui videntur, prout dicis, velle vendere partem suam predicti Castri, secreto D. Comiti, quantumvis nullum jus habeant in predicto Castro, nec in aliis bonis pertinentibus ad dictum Castrum, propter renuntiationem quam fecerunt in manibus bone memorie D. Ottoboni Predecessoris nostri: et quod ex illo dubio videretur tibi pro meliori, quod nos, pro majori securitate Ecclesie Aquilegensis deberemus emere medietatem dicti Castri pertinentem ad Raimundum nepotem q.^{m} Milani de Paona, ratione Domine Nicolote uxoris sue q.^{m} uxoris Dominici de ..... ad Henricum de Budrio, nec non ad Armannum de Budrio, et etiam dando aliquid heredibus supradicti Henrici de Budrio, licet nullum jus habeant .... marchis et media; placet nobis quod, licet ad presens non simus bene parati de pecunia pro Castris aquirendis, quod nihilominus ad evitandum tantum periculum tu procedas ad emendum predictum Castrum cum juribus et pertinentiis suis pro meliori foro quo poteris habere: dummodo possis habere terminos sufficientes et magnos ad satisfacien-

dum tantam pecuniam; quia bene scis quod nulla ratione possemus isto tempore satisfacere tam magnam quantitatem pecunie propter illam quam de presenti oportet nos facere in Curia. Et si contingat te procedere ad emptionem predicti Castri, facias bene videri primo quod emptio et venditio fiat ita deliberate, quod nullo modo possis decipi. Et advertas bene quod emptio non fiat nomine Patriarche, nec Ecclesie Aquilegensis, sed solum nomine Castoni de la Turre. Et si alii de Budrio nolent vendere partem suam, saltem cum Raimundo compleas forum de medietate Castri et pertinentiis suis. Verum est quod de te multum miramur eo quod ab una parte nobis mittas de emptione facienda Castri de Budrio, et ab alia parte ante adventum Guercii notificatum fuit de Venetiis aliquibus mercatoribus qui sunt in Curia Romana, quod Muschinus frater noster jam emerat predictum Castrum: unde, si ita est, non expedit quod emptio aliqua fiat nomine nostro: imo bene advertas si Muschinus emit predictum Castrum quod consenseris, nec feceris in predicta emptione, quia ad talia potuisses consensisse que cederent ad confusionem nostram perpetuam, et que numquam traderemus oblivioni.

Item super eo quod dicis illos de Castro Osopii, jam est diu, fecisse certas obligationes et promissiones inter se; quod si unus de ipsis expelleret alium de castro predicto, quod ille qui expelleret, aut offenderet alium, cederet de parte sua predicti Castri et juribus suis Patriarche, qui esset pro tempore: et quia predicti de Osopio, jam est diu, fecerunt contra predicta pacta et promissiones expellendo et interficiendo unus alium, et hodie faciunt

idem; et ideo dubitantes ne in adventu nostro velimus petere predictum Castrum, procurant secreto predictum Castrum velle vendere etiam Comiti Goritie, quod esset Ecclesie nimis periculosum, petis a nobis quid volumus per te super hoc fieri, cum dicas posse auferre eis omni die predictum Castrum. Ad que sic tibi respondemus, quod si credis, et vides nullum periculum imminere super hoc Ecclesie Aquilegensi usque ad adventum nostrum, libenter volemus quod diferreretur usque ad adventum nostrum, quia non libenter videremus quod tales novitates fierent in Terra in absentia nostri, et specialiter isto tempore: sed si tu omnino videres periculum subitum imminere, et pro certo etiam videres quod omnino vellent vendere predictum Castrum, tunc habito bono Consilio et deliberatione cum illis qui pro certo diligunt honorem nostrum et bonum statum Ecclesie Aquilegensis et totius Terre Forijulii, procedes ad accipiendum dictum Castrum in manibus tuis, aut in manibus Communitatis nostre de Glemona, nomine nostro, primo inventis et inquisitis coleribus et occasionibus justis et rationabilibus ad excusationem nostri et tui contra predictos de Osopio, ita quod non appareat quod ista fiant contra eos, eo quod voluerint vendere castrum Comiti, ad hoc ut Comes inde non assumeret aliquam indignationem nobiscum.

Item ut nobis mittere possis de presenti quantitatem pecunie nobis necessariam pro expeditione nostra, hinc mittimus tibi per latorem presentium unum Procuratorium novum cujus auctoritate poteris affictare de novo Mutas nostras et Gastaldias, cum non credamus posse nos hinc expedire nisi adhuc habeamus XVIII. millia

Florenorum ad minus; unde procura incontinenti nobis mittere pecuniam necessariam ad hoc, ut usure, et reprehensiones Cardinalium taliter non reddent nos, quod quando volemus opponere remedium, non possemus. Et scias quod parum defuit quando a tribus Septimanis citra non fuit processum taliter contra nos, quod semper remansissemus confusi et vituperati.

Item scias quod Guercius applicuit ad nos die Veneris xxiv. Februarii, quod, ut nobis dixit, non potuit venire citius, quia oportuit eum morari Pisis et expectare bene per xv dies propter malam et adversam tempestatem et turbedinem que fuerat in mari, ita quod non potuit facere se traduci, quod satis credimus.

Item scias quod Rex Robertus expectatur venturus, ut creditur, citra Pascha: unde si continget dictum Dominum Regem venire ante recessum nostrum, non possemus postea ita de levi recedere cum honore nostri, sicut celeriter expediret; et ultra id oporteret necessario nos subire multa onera expensarum.

Item mandamus tibi, quod licet tibi committamus auctoritatem dandi licentiam, sive committendi potestatem Episcopis pro consecratione Ecclesiarum, et reconciliationibus earum que forent violate, caveas tamen ne in danda predicta licentia multum laxes habenas pro omni Ecclesia campestri. Et procura omnino quod die Jovis sancti in officio et solempnitate Penitentium, et in aliis solempnitatibus, que consueverunt tunc fieri in Ecclesia Aquilegensi, nihil omittatur de contingentibus.

Datum Avenione die v. Martii. A. C. U. o.

Note del P. Rubeis

estratte da un manuscritto esistente nella Biblioteca di S. Marco di Venezia.

Datas anno 1318 prædictas Castoni Litteras evincunt verba illa queis dies XXIII Februarii appellatur dies Veneris: littera namque Dominicali A. annus 1318 insignitus *erat.*

Factum quod indicatur *Artuici de Castello* spectat confirmationem qua ejus electio in Episcopum Concordiensem per obitum Jacobi de Ungrispaco rata, firmaque haberetur. Monumentum certissimum habes quo Ughellianam Antistitum ejus Ecclesie seriem corrigas.

Robertum quem memorat Castonus Regem Siciliæ intellige.

Quænam fuerint Dynastarum de Budrio deque Osopo molitiones plenissime litteræ docent.

Canis grandis Scaligeri dissidia cum Patavinis, memoriæ posterorum servarunt Chronica varia Tomo VIII. Scriptorum Italiæ a Muratorio vulgata. In mantissa ad Chronicum Rolandini ex Codice Dominici Molini etc. habentur: = M. CCC. XVII. Mense Julii Paduani voluerunt furtive accipere Vicentiam Domino Cani contra pacem. Paduanis vero fugatis, capitur Comes S. Bonifacii... Nocte precedente S. Thomam (Canis) intravit furtive quibusdam proditoribus mediantibus Montemsilicem cum auxilio Comitis Goritiæ et

deinde accipit Estem: et data sibi fuit Montagnana. M. CCC. XVIII. Communis Tarvisii magnifice fuit in auxilium Paduanis contra Dominum Canem: qui D. Canis cum suo exercitu transivit, et posuit exercitum suum in Plebatum Sacci.=

Illa denique verba in calce Epistolæ posita *in die Jovis Sancti in Officio*, et *solemnitate Penitentium*, illustrare integra adjecta nota liceat, que legitur in Missali Aquilejensis Ecclesiæ anno 1517 typis edito. » In Cæna Domini finitis horis, Dominus Pontifex vadat ad Sacrarium cum Ministris, et induatur ornamentis nigris, Stricta, Dalmatica, Cappa ejusdem coloris. Ibidem convenientibus Clericis, ordinatur Processio cum Cruce, Candelabris, et Thuribulo præcedentibus, ceterisque more solito subsequentibus usque in Porticum Basilicæ ante valvas principales cum silentio: et illic statione facta, atque Pœnitentibus prostratis, Dominus Pontifex incipiat Officium Pœnitentium; quo incepto, et ordine libri Pontificalis imposito circa orationes et misteria inibi facienda, intret Basilicam: ubi in medio Navis ante Altare S. Crucis prosternant se circumquaque Pænitentes: et facta a Pontifice super eis benedictione et absolutione cum disciplina et ceremoniis, secundum Ritum Pontificalis, revertantur ad chorum. Et tunc D. Pontifex cum Ministris induantur prœparamentis albis et solemnibus, et Missa inchoatur. » Paucis verbis ritum Patriarchalis Aquilegensis Ecclesiæ expressum habes.

N.° 56.

1318 *Avignone.*

Carta di generale Procura trasmessa dal Patriarca Gastone a Rinaldo di lui Vicario.

Borrino di Nicolò Not.

Anno Dominice Nativitatis millesimo tercentesimo decimo octavo, Indictione I.ª die vigesimo ...

Castonus Dei, et Apostolice Sedis gratia, S. Sedis Aquilegensis Patriarcha, suo et ejusdem Ecclesie nomine, fecit, constituit, et ordinavit suum Procuratorem, Actorem, factorem ... venerabilem virum D. Raynaldum de la Turre, Thesaurarium Ecclesie Aquilegensis absentem tamquam presentem, ad agendum et defendendum cum omnibus suis Clausulis opportunis, nec non ad petendum, exigendum et recipiendum a magnifico et potenti viro D. Duce et Communi Venetiarum, et eorum Officialibus, et quibuscumque aliis personis, et Communitatibus ac universitatibus omnia et singula jura ... satisfactiones et commoda in quibuscumque rebus consistant, et quocumque nomine censeantur, predicto D. Patriarche, et Patriarchatui prefato ab eis quomodocumque et quocumque Jure debita, tam pro tempore preterito, quam presenti et futuro: et ad affictandum, locandum, et dislocandum possessiones, fructus, et redditus et proventus, et decimas, et etiam pedagia ... honores, et quecumque bona et jura dicte Sedis et Patriarchatus: et ad petendum, exigendum, et recipien-

dum... que sibi debentur et pertinent pro predictis, tam pro tempore preterito, quam presenti, et futuro: et ad faciendum quibuscumque ... omnibus et singulis, videlicet de hiis tantum que ex predictis, et de predictis receperit confessionem, et finem ... remissionem et pactum de ulterius non petendo, cum promissionibus, stipulationibus, renuntiationibus, clausulis et solempnitatibus opportunis, et ad obligandum usque ad summam quinque millium marcharum argenti partem fructuum pendentium sui Patriarchatus predicti in ea quantitate, et in illis partibus de quibus cum Conductoribus potuerit melius convenire. Et generaliter ad omnia et singula faciendum que in predictis, et circa predicta, et quolibet predictorum fuerint opportuna. Dans et concedens eidem plenam et liberam potestatem, et generale mandatum premissa omnia et singula faciendi, et supra ipsis omnibus, et eorum singulis, quotiescumque voluerit, et expedierit, Procuratores unum aut plures, simul et successive, ac etiam in solidum, et ita quod occupantis conditio potior non existat, substituendi quem, vel quos ex nunc constituit, et eum, vel eos quando, vel quotiens voluerit revocandi: ac promittens sub obligatione omnium suorum et Patriarchatus sui bonornm mihi Notario infrascripto, tamquam persone publice stipulanti et recipienti, nomine, et vice omnium quorum interest, vel interesse contigerit, se perpetuo habere rata, grata, et firma quecumque per dictum Procuratorem suum, et quemlibet Substitutum ab eo in predictis, et circa predicta facta fuerint, sive gesta.

Actum Avenione, in domo videlicet habitationis dicti D. Patriarche. Presentibus venerabili viro D. Laurentio

de Sartoribus Preposito Baptisterii Parmensis Vicario, Fratre Nicolao de Cassano Plebano Plebis de Flambro Aquilegensis Diocesis Capellano, ac Nobili viro D. Napino de la Turre fratre dicti D. Patriarche ad hoc vocatis testibus specialiter et rogatis.

Ego Borrinus de Nicolao Clericus Mediolanensis publicus Imperiali auctoritate, et nunc suprascripti D. Patriarche Notarius, predictis interfui, et rogatus; ac de mandato dicti D. Patriarche hoc Instrumentum tradidi, publicavi, scripsi, et me subscripsi, signumque meum apposui consuetum. A. T. o.

N.° 57.

1318 8 *Aprile Faedis.*

Pace tra Federico e Vergendo di Attems.

Lupo Not.

D. Federicus et Wargendus fratres, filii q.m D. Janisi de Attems amicabiliter condescenderunt ad tale Concordium. In primis quod omnis mala voluntas inter eos sit sedata, et sint de cetero veri amici et fratres.

Item promisit D. Federicus reddere omnia bona que abstulit super massarios D. Wargendi, et super massarios D. Philippi de Castillerio in villa de Forano, usque ad proximum Festum S. Michaelis. Ita tamen quod bona de Samerdenga, que reguntur per Martinucium, et expectat habere post mortem D. Henrici q.m D. Leonardi de Gle-

mona, equanimiter inter dictos Fratres per venerabilem virum D. Warnerum de Cucanea Canonicum Aquilegensem, condividantur. Et ex nunc remisit dictus D. Wargendus dicta bona in manu D. Warneri predicti: ita quod in dicto termino bona que sunt ad presens, et expectat habere in dicta villa de Samerdenga, dictus D. Warnerus usque ad dictum terminum, reddere teneatur juxta taxationem, et extimationem Leonardi dicti Clerici de Cucanea. Et si dictus D. Federicus non reddet dicta bona ad terminum, dictus D. Warnerus non teneat, nec habeat libertatem dividere dicta bona de Samerdenga. Presentibus Fhilippo filio D. Federici predicti, Heverardo q.^{m} Derchani, Valentino, filio Gyrardi de Aquilegia, Pellegrino q.^{m} D. Jacobi D. Hemigli commorante in Fagedis, et aliis.

Actum in Fagedis, in domo D. Warneri predicti. A. N. U. o.

N.° 58.

1318 28 *Maggio Marsiglia.*

Contratto di una Trireme per trasportar Gastone della Torre Patriarca da Marsiglia a Napoli.

In nomine Domini amen... Anno nativitatis ejusdem M. CCC. XVIII. Indictione prima, quinto calendas Junii; hora ipsius diei circa Tertiam. Notum sit cunctis presentibus et futuris quod discreti viri Bertrandus Emtelmi, et Hugo de Longres socii, ut asserunt, in

hoc presenti viagio versus partes ultramarinas presentialiter faciendo, quilibet cum una Galea, bona fide, ac sine omni dolo naulisaverunt, seu locaverunt unam ex dictis Galeis, illam videlicet dicti Hugonis de Longres, vocatam Sancta Catharina, nunc in portu Massilie existentem, discreto viro Loto Boche de Florentia, et mihi Thomasio Sobrancerio notario infrascripto, tanquam publice persone, presentibus, et conducentibus predictam Galeam totam cum sarcia sufficienti, et bene armatam marinariis et armis bonis et sufficientibus nomine, loco, et vice Reverendissimi in Christo patris et D.D. Castoni Patriarche Aquilegensis, et pro eo, ad vehendum et portandum de portu Massilie apud Neapolim, ipsum D. Patriarcham cum quadraginta hominibus de familia ipsius D. Patriarche cum omnibus arnesiis suis, que in Civitate Massilie, aut in civitate Janue transeundo prope eam, idem D. Patriarcha caricare voluerit in dicta Galea, sub pactis et conditionibus infrascriptis: videlicet quod dicti Patroni et socii promiserunt et convenerunt dicto Loto Boche, et mihi Thomasio Sobrancerio notario infrascripto, tanquam publice persone, solempniter stipulantibus, portare dictum D. Patriarcham cum quadraginta hominibus de familia sua cum dicta Galea apud Neapolim bene et fideliter, dictum D. Patriarcham, dictamque ejus familiam, ac arnesia salvare et custodire pro posse suo, naulo videlicet trecentorum quinquaginta florenorum auri de Florentia boni, fini, justi et legalis ponderis: quorum trecentorum quinquaginta florenorum auri nauli predicti, dicti Bertran-

dus Emtelmi et Hugo de Longres socii et patroni confessi fuerunt dicto Loto Boche, et Brunello de Pussolo domicello et familiari dicti D. Patriarche presentibus, et hanc confessionem recipientibus, se ab eis, aut eorum altero tradente, seu tradentibus, numerante, seu numerantibus nomine, loco, et vice D. Patriarche, et pro eo habuisse, et numeratione continua integraliter recepisse, et in veritate habuerunt in presentia mei infrascripti notarii, et testium subscriptorum, ducentos florenos auri de Florentia, occasione particularis solutionis nauli prefati. De quibus ducentis florenis auri dicti nauli, dictos Lotum Bocham, et Brunellum de Pussolo, et me Thomasium Sobrancerium notarium, ut publicam personam, presentes, stipulantes et recipientes nomine dicti D. Patriarche et suorum aquieverunt, liberaverunt, et penitus absolverunt, et per nos, dictum D. Patriarcham et ejus bona. Residuum vero dicti nauli, dictus Lotus et Brunellus, dicto Bertrando Emtelmi ac Hugoni de Longres presentibus, stipulantibus, et recipientibus pro se et suis, solvere in illo portu a civitate Neapoli citra, ubi dictus D. Patriarcha elegerit remanere. Et si dictus D. Patriarcha de civitate Massilie versus Januam, et de inde versus Neapolim, et interim ubicumque cum familia sua et rebus suis portum aliquem applicare voluerit, et ibi descaricari, quod dicti patroni id facere ex pacto expresso inter partes predictas habito, teneantur. Item fuit actum, et in pactum deductum solempni et valida stipulatione vallatum inter partes predictas, quod dicti patroni possint

in dicta Galea onerare triginta tres solum, aut triginta quinque ad eorum omnimodam voluntatem. Item fuit actum et in pactum deductum solempni et valida stipulatione vallatum inter partes predictas, quod dicti patroni hinc ad octavum diem proximum intrantis mensis Junii debeant cum dictis Galeis de civitate Massilie recedere supradicta, justo tamen impedimento temporis in omnibus semper salvo. Ita quod nullus alius, seu alia persona, nisi dumtaxat marinarii dicte Galee, ipse D. Patriarcha, et familia ipsius in dicta Galea ire debeant, aut etiam navigare. Et quod dicti patroni, dicto D. Patriarche, ac toti ejus familie de aqua ad potandum per totum viagium sufficienter debeat providere. Et predicta omnia et singula promiserunt dicte partes sibi ad invicem, et mihi Thomasio Sobrancerio notario infrascripto, tamquam publice persone stipulantibus et recipientibus, nominibus quibus supra, et vicissim, scilicet altera pars alteri ad invicem, solempnibus stipulationibus hinc inde intervenientibus attendere, complere, et observare, et non contra facere aut venire de jure, aut de facto per se, aut per interpositam personam, sub pena dupli dicti nauli a parte, parti stipulata solempniter et promissa; totiens committenda, quotiens per partem alterutram partium earundem contra fieret quoquo modo. Qua pena exacta, vel non exacta, presens contractus, et omnia et singula in hoc instrumento contenta, robur obtineant perpetue firmitatis, et observentur illesa. Preterea promiserunt dicte partes sibi ad invicem reficere et resarcire altera pars alteri, et suis, omnes sumptus et expensas, dampna, gravamina, et interesse

quos, quas, et que, seu quod alterutra ipsarum partium facere oporteat, incurrere, et sustinere in judicio, aut extra litigando, aut alio quoquo modo, si contra predicta aut aliquid predictorum alterutra ipsarum partium faceret aut veniret, et inde ex pacto credere altera pars alteri ad invicem solempniter stipulanti et suis, solo suo, aut suorum simplici verbo tantum, sine Sacramento et testibus, et omni alio genere probationis, obligantes sibi ad invicem, solempniter stipulantibus et suis omnia sua bona presentia et futura. Renuntiantes ipse partes omni dilationi viginti dierum et quatuor mensium, forique privilegio, ita quod ubique locorum, et coram quibuscumque judicibus convinci possint, nulla fori declinatoria, seu qualibet alia exceptione obstante, et omni alii juri, et sic, ut dictum est, attendere, complere, et contra in aliquo non facere, aut venire juraverunt dicte partes ad sancta Dei Evangelia, ab eisdem corporalibus manibus sponte tacta: volentes et consentientes dicte partes quod de predictis omnibus et singulis possint et debeant fieri duo, aut plura consimilia publica Instrumenta, dictanda consilio D. Alberti de Thisonis infrascripti.

Actum Massilie in platea palatii, in presentia, et testimonio dicti D. Alberti de Thisonis, D. Leonis de Cazolis jurisperitorum, Paynhi, Girardi, Danielis, Johannis, Hugonis, Burgondionis, et Nicolai de Thisonis testium ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum, et mei Thomasii Sobrancerii auctoritate imperiali et D. regis Jerusalem et Sicilie illustris in Comitatibus Provincie et Forçalquerii, notarii publici, qui ad requisitionem

dictarum partium rogatus, hanc publicam cartam inde scripsi, et signo meo signavi. A. C. U. o.

N.° 59.

1318 1. *Giugno.*
Il Cavallo del Vescovo di Concordia è dovuto ai Signori di Meduno.

Dall' inventario di Odorico Susanna.

Domini de Meduno habere debent palafrenum D. Episcopi Concordiensis in die sui obitus, quia sunt illi qui ponunt eum in Sede Episcopatus. Ex Ant. a Civit. Notario. C. P. c.

N.° 60.

1318 4 *Giugno Cordovado*
Conferma dell' elezione di Artico di Castello Vescovo di Concordia.

Stefano Guglielmini Not.

In Dei nomine amen. Anno Nativitatis ejusdem millesimo trecentesimo decimo octavo. Indictione prima, die quarto intrante mense Junii, in Castro Cordevadi Concordiensis Diocesis, in viridario Domine Belle de dicto loco. Presentibus viris venerabilibus Dominis Guidone de Manzano Archidiacono, Henrico de Prata, Odorlico de

Strassoldo, et Mazio de Toppo Canonicis Ecclesie Concordiensis, nobili viro D. Muschino de le Turre Glemone Capitaneo et Carnie Gastaldione, et aliis. Discretus vir D. Bernardus de Civitate, Ecclesie Civitatensis Canonicus ex parte venerabilis viri, D. Raynaldi de la Turre Aquilegensis Thesaurarii, Reverendi patris et D. D. Castoni Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, Vicarii generalis presentavit et dedit quasdam patentes literas, non vitiatas, non abolitas, nec corruptas in aliqua parte sui, venerabili viro D. Lombardino de la Turre Aquilegensi Canonico benigne recipienti, quarum tenor per omnia talis erat:

Reynaldus de la Turre Thesaurarius Aquilegensis Ecclesie, Reverendi patris et D. D. Castoni Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche Vicarius generalis, venerabili viro D. Lombardino Canonico Aquilegensi salutem in Domino.

Cum nos in omnibus debita juris observantia adhibita, Electionem de venerabili viro D. Artico de Castello in Concordiensis Ecclesie Episcopum, celebratam tanquam Canonicam, exigente justitia, auctoritate predicti D. Patriarche nobis specialiter tradita in hac parte, duximus confirmandam: prudentie vestre, tenore presentium, auctoritate qua fungimur, committimus et mandamus, quatenus eumdem Electum confirmatum, in tenutam et possessionem, aut quasi Concordiensis Episcopatus, et omnium jurium, et pertinentiarum ipsius, auctoritate nostra, imo verius D. Patriarche predicti, inducatis, et defendatis inductum; facientes ab universis ejus subditis tam Clericis, quam Laycis sibi de omnibus juribus Episcopatus predi-

cti, et pertinentiarum suarum integraliter, ac per omnia responderi: et reverentiam, obedientiam et fidelitatem debitam exhiberi: contradictores et rebelles per Censuram Ecclesiasticam compescendo. Datum Utini die secundo Aprilis prime Indictionis.

Que quidem litere erant ipsius D. Vicarii sigillo illeso et integro roborate. Lecteque ibidem fuerunt per me Guilelminum notarium infrascriptum. R. o.

N.° 61.

1318 5 *Giugno Concordia.*
Artico di Castello è messo al possesso del Vescovado di Concordia.

Stefano Guglielmini Not.

Die Lune, quinto intrante dicto mense Junii. In majori Ecclesia Concordiensi. Presentibus venerabilibus Patribus Dominis Pertholdo Abbate monasterii Mosacensis, Aquilegensis Diocesis, Hermanno Abbate Sextensis monasterii, et Branche Abbate monasterii Sumaquensis, Concordiensis Diocesis, et viris venerabilibus Dominis Candido de Varmo Vicedecano, Guidone de Manzano Archidiacono, Mazio de Toppo, Nicolao Sacrista, et Odorlico ejus fratre de Midea: Nobilibus viris Federico de Purciglis, Pellyo de Prata, Bernardo de Strassoldo, Prehogna de Spegnimbergo, et Henrico de Manzano, et aliis. Venerabilis vir D. Lombardinus de la Turre Canonicus Aquilegensis auctoritate, ac potestate sibi

tradita a venerabili viro D. Raynaldo de la Turre Thesaurario Aquilegensis Ecclesie, Reverendi patris et D. D. Castoni Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche Vicario generali, prout patentibus literis ipsi D. Lombardino presentatis et traditis, ut supra, plenius continetur, Reverendum patrem et D. D. Articum de Castello Dei gratia Concordiensem Electum, Confirmatum in tenutam et corporalem possessionem, aut quasi Episcopatus Concordiensis predicti, et omnium jurium temporalium et spiritualium pertinentium ad eundem legittime, prout in talibus moris est, imposuit et induxit: ipsum D. Electum post aram dicte Concordiensis Ecclesie insellando. Quo facto, Canonici ejusdem Ecclesie, et alii Clerici ibi astantes immediate: Te Deum laudamus, altis vocibus decantarunt. R. o.

N.° 62.

1318 5 *Giugno Concordia.*

I Canonici di Concordia promettono obbedienza e fedeltà ad Artico di Castello lor Vescovo.

Stefano Guglielmini Not.

Eisdem die et testibus. In Ecclesia Concordiensi prescripta. Ante altare dicte Ecclesie. Venerabilis vir D. Guido de Manzano Archidiaconus Concordiensis, venerabili patri et D. D. Artico de Castello Electo prefato, reverentiam, obedientiam et fidelitatem, petente

ipso D. Artico Electo, exhibuit et promisit, intervenientes oris osculo inter eos.

Item D. Candidus Vicedecanus, D. Mazius de Toppo, et Hermannus ejus frater, D. Henricus de Prata, Nicolaus de Midea Sacrista, et Odorlicus ejus frater, Johannes Plebanus Albe Ecclesie, Bertuluscius de Concordia, Bertuluscius q.m D. Mathei, Barbarus de Venetiis, Bellonus de Trevisio, magister Gerardus Scolasticus, et Wolricus de Civitate, et ego Guilelminus subscriptus fecerunt, exhibuerunt et promiserunt reverentiam, obedientiam, et fidelitatem debitam singulariter, et pro se dicto D. Electo, prout D. Guido predictus. R. o.

N.° 63.

1318 6 *Giugno Portogruaro.*
Il Comune di Portogruaro giura obbedienza e fedeltà ad Artico di Castello Vescovo di Concordia.

Stefano Guglielmini Not.

Die VII. intrante Junio mense predicto. In domo Communis Portusgruarii. Presentibus viris venerabilibus Dominis Lombardino de la Turre, et Laurentio de Civitate Canonicis Ecclesie Aquilegensis, Henrico de Prata, Odorlico de Strassoldo, Guidone de Manzano Archidiacono, Wolrico filio D. Pauli de Civitate, omnibus Canonicis Ecclesie Concordiensis, nobilibus viris Muschino de la Turre, Bernardo de Strassoldo, Prehogna de Spi-

guimbergo, et D. Jocobozanno de Fontebono, Nicolao et Paglia fratribus de Varmo, et aliis.

Discreti viri D. Jacobus notarius de Budrio, nunc vicarius illustris D. Henrici Comitis Goritie, ac Potestatis Portusgruarii, nec non Nicolaus Vidosse, Dominicus notarius, Nicolaus Zibilinus notarius, Consules dicte Terre Portus, Procuratores, seu Sindici ad infrascripta per Commune et universitatem dicte Terre ad sonum campane more solito congregatam, specialiter constituti, jurantes ad Sancta Dei Evangelia in animas suas, et omnium, et singulorum dicte Terre, prestiterunt fidelitatem debitam, et fidem Reverendo in Christo patri et D. D. Artico Electo prescripto, contra quascumque personas, sicut in talibus fieri moris est. Et e contra idem D. Electus, prefatis Sindicis et Procuratoribus in verbo veritatis, fidem et fidelitatem prestitit, et promisit recipientibus vice et nomine Communis et universitatis Portus predicti. R. o.

N.° 64.

1318 7 *Giugno Portogruaro.*
Sicurtà prestata al Vescovo di Concordia da Enrico Squarra di Portogruaro.

Stefano Guglielmini Not.

Die VII intrante dicto mense Junio. In Ecclesia S. Christophori de Portugruario. Presentibus Nobilibus et potentibus viris Dominis Odorlico de Strassoldo, Guidone de Man-

zano, et Bernardo de Civitate Canonicis Ecclesie Civitatensis: Henrico de Prata Canonico Concordiensi, Brizaglia de Purziglis, Bernardo de Strassoldo, Jacobozanno de Fontebono, Fulchero et Paglia fratribus de Varmo, et Sperantio de Utino, et aliis.

Cum Henricus Squarra filius q.m D. Petri Squarre de Portugruario, Reverendo in Christo Patri et D. D. Artico de Castello Dei gratia Concordiensi Electo, accusatus foret, quod ipse quedam procuraverat, ac perpetraverat, seu procurare et perpetrare non cessabat contra D. Electum predictum, seu ipsius honorem et statum; idcirco dictus Henricus coram dicto Domino Electo constitutus, dixit se aliqua contra ipsum D. Electum, sive ipsius honorem et statum nullatenus procurasse, seu etiam perpetrasse; nec contra ipsum, aut suos tractare, aut machinare ullo unquam tempore intendebat. Quinimo sibi servire intendebat et obedire, tanquam patri suo, et Domino speciali, et si tempore aliquo reperiri posset quod ipse Henricus contra dictum D. Electum, aut suos faceret, aut perpetraret, ex nunc personam suam eidem D. Electo obligabat; et ulterius ei omnia sua bona obligabat, et obligata esse volebat ad penam, et in pena ducentarum Marcharum denariorem Aquilegensis monete pro predictis observandis per Henricum predictum persolvendarum ipsi D. Electo, si contra ipsum, ut premittitur, dictus Henricus faceret, aut veniret. Pro quo quidem Henrico, et ejus precibus et mandatis, de dictis ducentis marchis fidejusserunt pro rata penes D. Electum predictum, Nobiles viri, Domini Henricus de Prata, Brizaglia de Purziglis, Bernardus de Strassoldo, Jacobuszannus de Fon-

tebono, Fulcherus et Paglia de Varmo, et Sperantius de Utino testes predicti. R. o.

N.° 65.

1318 7 *Giugno Portogruaro.*

Compromesso de' Signori di Meduno e di Cordovado nella contesa tra loro insorta pel Cavallo del Vescovo di Concordia.

Stefano Guglielmini Not.

Dio VII. Intrante dicto mense Junii. In Ecclesia S. Cristophori de Portugruario. Presentibus Revereudo in Christo patre et D. D. Artico de Castello Dei gratia Concordiensi Electo, viris venerabilibus Dominis Lombardino de la Turre, et Odorlico de Strassoldo Canonicis Ecclesie Aquilegensis; nobilibus viris Dominis Muschino de la Turre Glemone Capitaneo, Bernardo de Strassoldo, Jacobozanno de Fontebono, Fulchero et Paglia fratribus de Varmo, Guilielmo nepote q.m Magistri Walteri de Civitate, et Sperantio de Utino, et aliis. De omni lite, controversia, et questione vertente inter Nobiles viros Dominos Thomasuttum, Franciscum, et Articum de Meduno, eorumque consortes ex parte una, et Dominos Gerardinum, et Rodulfum fratres de Cordevado ex altera; occasione juris, seu consuetudinis habere Palafredum quem D. Episcopus Concordiensis equitat, quando primo insellatur, seu intrat tenutam et possessionem Episcopatus Concordiensis predicti; quem quidem Palafredum,

prefati Domini de Miduno ad se de jure, et consuetudine asserunt pertinere; dicti vero Fratres de Cordevado, dicunt ipsum Palafredum, non ad eos de Miduno, sed ad se debere pertinere totaliter pleno jure: unanimiter et concorditer compromiserunt in nobiles et discretos viros Dominos Guidonem de Manzano Archidiaconum Ecclesie Concordiensis, Franciscum de Pinzano, et Gregorium Squarram de Portugruario, tanquam in arbitros, arbitratores, amicabiles compositores, et bonos viros, usque ad instans Festum S. Petri, presentis mensis Junii, hoc modo, quod si dicti Domini Franciscus de Pinzano, et Gregorius Squarra usque ad dictum Festum S. Petri ad diffiniendum, et terminandum questionem hujusmodi concordes existerent, bene quidem: sin autem se concordare nequirent, tunc prefatus D. Guido Archidiaconus, una cum predictis dominis Francisco et Gregorio Squarra ad ipsam litem seu questionem terminandam et deffiniendam usque ad proximum festum S. Stephani tunc sequentis, debeat convenire. Ita quod ubi ipsorum duo concordes fuerint ad sententiam proferendam, sententia, sive dictum eorum, tertii discrepantis nullius penitus roboris aut firmitatis existat. Nec etiam ipsi arbitri hujus compromissi terminum, seu terminos valeant prorogare. Promittentes dicte partes ad invicem inter se solempnibus stipulationibus hinc inde intervenientibus, per se, eorumque heredes, et cum obligatione etc. ipsis arbitris, arbitratoribus pro omnibus quorum interest, aut interesse poterit stipulantibus et recipientibus, et nihilominus ad sancta Dei Evangelia nomine Sacramenti stare, parere, ac integraliter obedire, et non contra facere, aut venire in aliquo, de

jure, aut de facto, ratione aliqua, dolo, ingenio, sive causa; omni eorum, aut duorum ipsorum laudo, arbitrio, sententie, dicto, difinitioni et pronuntiationi, quod, et quam inter predictas partes super premissis, aut premissorum aliquo, seu aliis qualitercumque predictorum occasione spectantibus aut emergentibus, laudaverint, dixerint, sententiaverint, pronuntiaverint, et diffinierint, seu arbitrati fuerint cum scriptis, et sine scriptis, semel et pluries, alte et basse, amicabiliter et de jure, diebus feriatis et non feriatis, sedendo, stando quomodocumque, et qualitercumque, et utcumque voluerint; cognitione, et solempnitate juris servata, et non servata, partibus presentibus aut non presentibus, dum tamen citatis, nulloque pretermisso obstante. Sub pena centum marcharum denariorum Aquilegensis monete inter se a dictis partibus ad invicem stipulata et promissa; que toties peti, et exigi valeat cum effectu, quoties committetur in ipsam; et ea soluta, aut non, hoc compromissum et laudum, seu arbitrium ferendum nihilominus obtineat plenum robur. Juraverunt insuper dicte partes ad Sancta Dei Evangelia nomine Sacramenti, et sub dicta pena, quod ab hujusmodi ferenda sententia, arbitrio, seu laudo non appellabunt, nec eam reducent ad arbitrium boni viri. Pro quibus omnibus attendendis, et firmiter observandis, pro parte illorum de Miduno, et eorum precibus et mandatis Nobiles viri Domini Prehogna de Spegnimbergo, Mathias de Ragonia, Arnoldus de Vendoy, et Walteruscius de Nonta de Carnia fidejusserunt pro rata. Pro parte vero illorum de Cordevado, et eorum precibus et mandatis, Domini Prehogna de Spegnimbergo et Mathias de Ragonia antedicti, Arnaldus de Portugrua-

rio, et Adalprettus de Campelyo, nunc Civitate Austria commorans, fidejussores pro rata etiam extiterunt. Juraverunt quoque ad Sancta Dei Evangelia Domini Franciscus et Gregorius arbitri, arbitratores prescripti, quod litem, seu questionem predictam inter terminum, seu terminos suprascriptos terminabunt et diffinient, nec ipsas partes absolvent, nisi prius inter eas dicta questio fuerit terminata. R. o.

N.° 66.

1318 8. *Giugno Portogruaro.*

Il Vicario del Vescovo di Concordia rimette Mizano ed altri carcerati nelle mani del Podestà di Portogruaro.

Stefano Guglielmini Not.

Die VIII. intrante dicto mense Junio. In dicta Ecclesia S. Christophori. Presentibus Dominis presbiteris Sythimino et Daniele, et Amadeo de Civitate, Gerardino de Cordevado, et aliis. Venerabilis vir D. Guido de Manzano Vicarius etc. motu proprio, et voluntate tribuit, relaxavit, et dedit quendam captivatum, nomine Mizanum, in manibus D. Jacobi Vicarii D. Comitis Potestatis Portusgruarii, mandans quod ipse Jacobus, tam contra dictum captivatum, quam illos quoscumque captivatos, exercere possit suam auctoritatem, justitia mediante, in bonis pariter et personis. R. o.

N.° 67.

1318 15 *Giugno Somaga.*
Inquisizione fatta a Branca Abbate di Somaga, e sua assoluzione.

Stefano Guglielmini Not.

Die Jovis xv. intrante dicto mense Junio. In Choro Ecclesie S. Marie Monasterii Sumaquensis Concordiensis Diocesis. Presentibus venerabilibus viris Dominis Guidone de Manzano Archidiacono, Mazio de Toppo et Odorlico de Midea Canonicis Ecclesie Concordiensis, et aliis. Cum Reverendus pater et D. D. Articus de Castello Dei gratia Concordiensis Electus eodem die Jovis inquisitionem diligentem fecisset in dicto Monasterio Sumaquensi tam in capite, quam in membris, et venerabilem virum D. Fratrem Brancham, divina permissione, ejusdem Monasterii Sumaquensis Abbatem invenisset bonum et idoneum, ac penitus absque culpa: Idem D. Articus Electus, dictum D. Brancham Abbatem, tanquam virum bone vite et conversationis, de hiis omnibus, quibus diffamatus extitit apud ipsum, absolvit libere in hunc modum. In Christi nomine Amen. Cum nos Articus de Castello Dei gratia Concordiensis Electus et confirmatus, propter varia et diversa nobis de venerabili viro D. Brancha Abbate atque Monachis Monasterii Sumaquensis denuntiata sinistra, volentes descendere et videre utrum Abbas, et Monachi antedicti clamorem qui ad nos pervenerat, opere complevissent, diem certam statuimus Abbati et monachis prelibatis

qua intendebamus inquirere, et inquisita punire. Verum non valentibus nobis die prefixo ad inquirendum, legittime adinvenire que contra Abbatem et Monachos dicti Monasterii nobis fuerant nuntiata; et quia indignum esset quod penam luerent postquam culpabiles nullatenus reperiuntur, cum melius sit nocentem absolvere, quam innocentem condempnare: Idcirco nos, jure ordinario, sepedictum Abbatem super hiis, de quibus usque ad presentem diem nobis fuerat nuntiatus, libere absolvimus et pacifice. Volentes et mandantes quod dictus Abbas, facta et negotia dicti monasterii, tanquam verus Prelatus, pure et integre valeat exercere. Et nihilominus dicto Abbati in virtute sancte obedientie districte precipiendo mandamus, quatenus de cetero a Consortio Abbatisse S. Agnetis de Portugruario, cum qua dicitur rem illicitam contraxisse, et de qua nobis denuntiatus existit, libere, et modis omnibus debeat desistere. Ita quod de cetero nobis super hoc sinistra suspitio non valeat pervenire R. o.

N.° 68.

1318 10 *Giugno Portogruaro.*
L' elezione di Enrico Co. di Gorizia a Podestà di Portogruaro è abrogata.

Stefano Guglielmini Not.

Die Sabbati decima intrante Junio mense predicto, in Portugruario, in Ecclesia S. Christophori. Presentibus venerabili viro D. Guidone de Manzano Archidiacono

Concordiensi, et Nicolao notario filio Pertholdi Blanche de Portugruario, et aliis. Discreti viri Domini Jacobus de Budrio Vicarius pro nobili viro D. Federico de Hebrinstayn milite, Potestate Portusgruarii, et Consules ac Consilium dicte Terre Portus ibi ad sonum campane more solito congregati, per se ipsos, et vice ac nomine dicti Communis Terre Portus, videntes et considerantes quod electio Potestarie nuper facta per Commune predictum in Magnificum D. D. Henricum illustrem Goritie ac Tirolis Comitem, effectum debitum sortiri non poterat, maxime quia Potestas ipse in Garictu sedere non poterat, nec facere rationem absque nutu et licentia venerabilis in Christo patris et D. D. Artici de Castello Concordiensis Electi et confirmati, cum jura spiritualia et temporalia in Portugruario et districtu ad eundem D. Electum, et Episcopatum suum predictum integre spectare noscatur: nolentesque jura et jurisdictiones Concordiensis Ecclesie usurpare, nec eis detrahere ullo modo, sed ea potius, veluti filii obedientie, manutenere, et augere pro posse: electionem ipsius Potestarie in dictum D. Comitem factam, ut predicitur, coram ipso Reverendo Patre totaliter ac penitus revocarunt, volentes ipsam cassam esse et inefficacem, nulliusque momenti, nec eidem electioni de cetero aliquatenus assentire. Asserentes etiam dictum Commune Portus, posse quem vellet accipere Potestatem pro faciendo negotia, et agendo omnia et singula que ad dictum Commune pertinent pleno jure, garictu tamen et aliis juribus dicti D. Concordiensis Electi successorisque ejus in omnibus, et per omnia semper salvis, et juribus Communis predicti. Nomina predictorum Consulum sunt hec.

Nicolaus Vidosse, Domenicus Notarius, et Nicolaus Zibilinus notarius de Portugruario.

Nomina vero Consiliariorum hec sunt. D. Gregorius Squarra, D. Anestasius, D. Utusius, Pellegrinus Vidosse, Gaspardus, Henricus Squarra, Damyanus, Arnaldus, Pertholdus Blanche, Almericus, Benedictus Savariscii, et Donatus Gruellus. R. o.

N.° 69.

1318 11 *Giugno.*

Il Patriarca Gastone approva il Rendiconto presentatogli dai Frati Pace e Nicolò.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Die Dominico XI. Junii. In presentia fratris Nicolai, Brunoli, et Loti, D. Castonus Patriarcha Aquilegensis confessus fuit se audivisse plenariam rationem a Fratre Paxio etc. de omnibus que pervenerunt ad manus ipsius Fratris Paxii de bonis ipsius D. Patriarche, postquam fuit Patriarcha; et etiam de hiis que gessit nomine ipsius, dum fuit Archiepiscopus Mediolanensis, et ipsum Fratrem Pasium quietavit.

Item presentibus dictis Fratribus Pasio, Loto, et Brunolo quietavit dictum Fratrem Nicolaum de omnibus receptis et expensis per eum, usque ad diem Lune XXIX Maii proxime preteriti. C. F. o.

N.° 70.

1318 23 *Giugno Cividale.*

Filippo di Quonzio invia Giovanni Cazeta a prender possesso del Marchesato dell' Istria.

Benvenuto q.m Corrado Not.

Die VIII. exeunte Junio. In Civitate Austria. Ante domum Francisci Chosize. Presentibus Nicholao filio Manfiutti de Civitate, Herbordo pellipario Civitatensi, Nichulussio Cirolago q.m Scofolotti de Civitate, Pertoldo servitore q.m D. Leonardi Canonici Civitatis testibus, et aliis.

Discretus vir D. Philippus q.m D. Contii de Civitate, Marchio Istrie, fecit, constituit et ordinavit Johannem dictum Cazetam q.m Artusini de Civitate, licet absentem, tamquam presentem, suum certum nuntium et procuratorem legitimum ad excipiendum ab hominibus de Bulgiis omnia sua jura ad dictum Marchionatum pertinentia de Istria: petendum, recipiendum condepnationes, et generaliter ab omnibus subditis dicti Marchionatus etc. Promittens ratum et firmum habere, atque tenere quidquid per ipsum Johannem factum fuerit, aut modo aliquo procuratum tam in perdendo, quam in lucrando etc. Et si necesse fuerit ad agendum, defendendum etc. Sub bonorum suorum omnium ypotecha. A. N. U. o.

N.° 71.

1318 28 *Giugno Portogruaro.*

Corrado Becchajo di Portogruaro è prosciolto dalla Scomunica in cui era incorso per non aver pagate le Decime.

Stefano Guglielmini Not.

Die tertio exeunte dicto mense Junio. In ambitu Claustri Fratrum Minorum de Portugruario. Presentibus discretis viris Dominis Odorlico de Midea, et Bertulussio Plebano de Portu Canonicis Ecclesie Concordiensis, Gregorio Squarra, Stefano Zivolini, Dominico notario, et Michaele q.m Vitussii, et aliis. Reverendus pater et D. D. Articus Electus Concordiensis, Conradum Beccharium de dicto Portu, qui diu in excommunicatione, occasione detentionis decimarum, et aliorum jurium, extiterat animo indurato, libere absolvit, recepto ab eo corporali juramento et ydonea cautione de parendo mandatis Ecclesie, et de retentis integre usque ad instans festum S. Stephani persolvendo. Pro quo, et ejus precibus et mandatis, D. Dominicus notarius, Stefanus Zivolini, et Michael testes predicti fidejussores fuerunt. R. o.

N.° 72.

1318 1 *Luglio Cucagna.*

Questioni tra Vergendo e Federico di Attems pel Castello di Attems.

Lupo Not.

Presentibus D. Warnero et Odorlico fratribus de Cucanea, D. Warnero filio D. Adalpretti ejusdem loci, Pertoldo de Fagedis q.m D. Ingalpreti, Hermanno de Attems q.m D. Purciti, Hermanno filio Biasii testibus, et aliis.

D. Vargendus de Attems q.m Janisi rogavit D. Federicum fratrem suum, ut dimitteret similiter suos custodes in Castro de Attems, sicut debebat, et sicut continetur publico instrumento facto manu presbiteri Benevenuti notarii de Utino commorantis in Attems; protestans quod nolet hoc fieri in suo prejudicio; et quod dictus D. Federicus non dimittet suos in custodia dicti castri, si custodes dicti D. Wargendi non essent presentes; cum dicta Turris cum custodibus utriusque partis communiter debeat custodiri, sicut in Instrumento facto manu dicti notarii publice continetur; offerens se paratum dictum suum fratrem relevare ab omni suspecto quod posset in dicto D. Wargendo haberi, prout melius patere sciebat mediante justitia M. CCC. XVII. Indictione XV. in prima die Julii: et omnia predicta petiit sub pena contenta in instrumento scripto manu dicti Presbiteri Benevenuti.

Actum in Cucanea ante Castrum.

Eodem die, in eodem loco, eisdem presentibus. D. Federicus de Attems dixit et protestatus est, quod D. Wargendus frater suus concesserat sibi et suis consortibus, videlicet D. Artuicho et D. Federico q.m Grespulini, quod dictam Turrim absque custodibus dicti D. Wergendi debeat costodire D. Musatinus de Civitate, in quem dicti fratres de dicta questione compromiserunt inter eos : sententiam dederat, et lata sententia, se obtulit facere quod ordo juris requirit. A. N. U. o.

N.° 73.

1318 4 *Luglio S. Odorico.*

Convenzione per la custodia della fiera di S. Odorico tra Napino della Torre Preposito di quel Capitolo e Preogna, e fratelli di Spilimbergo.

Stefano Guglielmini Not.

Die quarto intrante Julio. In Cortina S. Odorici de prope Tulmentum, sub lobia domus D. Napini subscripti. Presentibus Reverendo patre et Domino Artico Concordiensi Electo, venerabili viro D. Guidone de Manzano Archidiacono Concordiensi, ipsius D. Electi Vicario generali, Religiosis viris fratre Albertino de Mantua, et fratre Antonio de Padua Ordinis Heremitarum, nobilibus viris Dominis Johanne de Castello, fratre dicti D. Electi, et Leonardo de Cassacco, et aliis.

Cum magnificus vir D. Henricus illustris Goritie et Tirolis Comes, occasione seu causa cujuscumque sedande discordie, aut ranchoris, que oriri possit et verti occasione custodie festi S. Odorici, inter venerabilem virum D. Napinum de la Turre Prepositum Ecclesie S. Odorici de prope Tulmentum ex parte una, et nobiles viros dominos Prehognam et Bartholomeum fratres, ac Fulcherum eorum consanguineum de Spegnimberch ex altera, ad custodiendum dictum festum S. Odorici, nobilem virum D. Pellegrinum de Hebinstayn, nunc habitantem Belgradi, personaliter transmisisset; idem D. Napinus Prepositus, dicens ad se, et Ecclesiam suam dictam pertinere custodiam pleno jure, protestatus fuit et dixit, quod ob reverentiam dicti D. Comitis, et presertim ad instantiam venerabilis viri D. Raynaldi de la Turre Reverendi patris et D. D. Castoni Dei, et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, Vicarii generalis, se pro die hodierno, de dicta custodia sufferre et sustinere volebat, juribus suis, et dicte sue Ecclesie in omnibus et per omnia semper salvis. R. o.

N.° 74.

1318 4 *Luglio Turrida.*

Martino Longo di Casteons promette di non recar offesa ai Massari di Napino della Torre Preposito di S. Odorico.

Stefano Guglielmini Not.

Die quarto intrante Julio, in Turrida. In area Martini de Turrida massarii nobilis viri D. Gerardi de

Castello. Presentibus venerabili viro D. Guidone de Manzano Archidiacono Concordiensi, Nepote de Utino, et Amadeo de Civitate domicellis D. Electi subscripti, et aliis. Martinus Longus de Castelono, et Pedrusius ejus nepos prestiterunt securitatem in manibus Reverendi patris et D. D. Artici Dei gratia Concordiensis Electi, stare et obedire omni sententie et arbitrio ipsius D. Electi, si potest reperiri eos in aliquo offendisse Dominum Napinum de la Turre Prepositum S. Odorici, aut ejus massarios de Castelono, sub pena centum librarum veronensium parvorum, obligando bona omnia et personas; fidejussit autem unus pro altero. Quo facto, idem D. Electus districte precipiendo eisdem mandavit, quod per se, aut eorum amicos novitatem aliquam facere non presumant contra massarios D. Napini predicti, sub dicta pena. R. o.

N.° 75.

1318 11 *Luglio Portogruaro.*

L' Abbate di Somaga paga la colletta da' Legati Pontificj recentemente imposta.

Stefano Guglielmini Not.

Die XI. Intrante dicto mense Julii. In refectorio Fratrum Minorum de Portugruario. Presentibus Religiosis viris Fratre Odorlico et Fratre Gerardo de Portunaonis et aliis. Symon Tuscus commorans in Portugruario con-

fessus fuit se recepisse, ac sibi integre solutum esse de duobus Florenis auri et dimidio a...dante et solvente pro D. Brancha Abbate Sumaquensi pro Collecta Legatorum nuper imposita D. Abbati predicto. R. o.

N.° 76.

1318 14 *Luglio Portogruaro.*

Manumissione di Antonio di Carnia, a condizione che entro cinque anni venga promosso al Sacerdozio.

Stefano Guglielmini Not.

Die Veneris XIV. intrante Julio predicto. In Episcopali Curia Portusgruarii, sub frascheto. Presentibus Reverendo in Christo patre D. Artico Dei gratia Concordiensi Electo, Jacobo filio D. Mathei de Ragonia, Nicolao Plebano de Dornech, et Vincentio Custode Ecclesie Civitatensis Capellanis, Stephano de Civitate, et Pace de Ferraria domicellis dicti D. Electi, Odorlico de Vado commorante cum nobili viro D. Gerardo de Castello testibus, et aliis. Nobilis vir D. Johannes de Castello, frater supradicti D. Electi Concordiensis, per se, suosque heredes pure, libere et simpliciter donationis nomine, que dicitur inter vivos, dedit, tradidit, et donavit Sancte matri Aquilegensi Ecclesie Antonium filium q.m Nasinguerre de Carnia suum hominem de Masnata cum toto suo futuro peculio, atque prole. Promittens dictam donationem firmam, ratam et gra-

tam habere perpetuo etc. cum omni plenitudine. Hac tamen conditione et pacto, quod ipse Antonius infra presentem annum ad sacros Ordines se debeat promoveri, quo anno elapso, ipse usque ad quinque annos continuos subsequentes promoveri teneatur ad Sacerdotis dignitatem. Alioquin ipso facto, ad servitutem pristinam revertatur; et nuntius datus est Odorlicus testis predictus, qui eum ponat in tenutam, et offerat cui vult Altari recipienti, nomine et vice Ecclesie Aquilegensis predicte. R. o.

N.° 77.

1318 17 *Luglio Portogruaro.*

Il Capitolo di Concordia nomina un Procuratore onde essere prosciolto dalla Scomunica, in cui era incorso per non aver a tempo debito pagate le Collette.

Stefano Guglielmini Not.

Die xv. Exeunte dicto mense Julii. In Ecclesia S. Christophori de Portugruario: Presentibus discretis viris presbitero Leonardo Vicario in Tremontio, et presbetero Matheo qui se gerit per Plebanum Tremontii, et aliis. Venerabiles viri D. Petrus Decanus, Mazius et Hermannus fratres de Toppo, presbiter Johannes Plebanus Ecclesie nove, Barbarus de Venetiis, et Albertus Bellonus, omnes Canonici ejusdem Con-

cordiensis Ecclesie, ibidem tamquam Capitulum, et vice et nomine totius Capituli supradicti, fecerunt et constituerunt magistrum Federicum scriptorem ipsorum, et totius Capituli Concordiensis verum, et legittimum Procuratorem, sindicum et nuntium specialem ad postulandum et recipiendum absolutionis beneficium a Reverendo Patre et D. D. Artico Electo predicto, si quod excommunicationis vinculum incidissent, occasione cujusdam Collecte quinque florenorum auri, eisdem imposite nuperrime, et per eos in termino, ut dicitur, non solute.

Item eodem die, in Episcopali Curia sub frascheto. Presentibus dictis testibus. Idem Reverendus Pater D. Electus auctoritate ordinaria absolvit ipsum Procuratorem recipientem nomine Capituli prelibati ab hujusmodi excomunicatione ut supra, si quam incurrissent.

Item eisdem die, loco et testibus, ut supra, scilicet in dicta Ecclesia S. Christophori. Cum prefati Domini Petrus Decanus et Capitulum dicerent se gravatos ab illa impositione quinque florenorum auri: Idem D. Electus, eisdem respondens, dixit et promisit, quod ad presens solvant de dicta Collecta quinque florenos, et primo quo eis deinceps aliqua imponeretur Collecta, tres florenos subtrahet eis a recompensatione juste impositionis que fieri deberet eisdem: statuens eis octo dierum terminum ad persolvendum dictos florenos.

Die XIV. exeunte ipso mense Julii. In orto Fratrum Minorum de Portu. Presentibus Dominis fratre Albertino de Mantua, et fratre Antonio de Padua, Vincentio Capellano, et aliis. Reverendus pater, et

D. Articus Electus prefatus, vocans sibi fore bene satisfactum a D. Odorlico Plebano S. Johannis de Casarsa de uno floreno auri sibi imposito pro Collecta nuperrime imposita, promisit eidem Plebano quod prima Collecte impositione que fiet, subtrahet sibi XII. grossos, recompensando justam impositionem que fieri sibi possit. R. o.

N.° 78.

1318 18 *Luglio Portogruaro.*

La vendita di alcune Decime della Chiesa di Concordia non è riconosciuta valida.

Stefano Guglielmini Not.

Die XIV. exeunte ipso mense Julii. In Curia Episcopali de Portugruario. Presentibus venerabilibus viris Dominis Fratre Brancha Abbate Sumaquensi, Guidone de Manzano Archidiacono Ecclesie Concordiensis, Odorlico de Midea Canonico ejusdem Ecclesie Concordiensis, discretis viris Arnaldo Gastaldione, et Benedicto q.^{m} Savarissii de dicto Portu, et aliis. Constituto coram Reverendo Patre et D. D. Artico Electo Concordiensi, Donato Gruello de Clugia, qui nunc moratur in dicto Portu, idem Donatus Gruellus proposuit dicens. Domine, verum est me emisse ab Andrea dicto Rubino de Portugruario certas Decimas solvendo pro eis annuatim, nomine livelli, Episcopatui Concordiensi unam libram cere ad balanzam, prout

publico Instrumento inde confecto per Nicolaum filium q.[m] Martini plenius continetur: super quibus Decimis me molestatis, seu intenditis molestare, dicentes ipsas Decimas ad vos, seu vestram Ecclesiam pertinere. Ad que prefatus D. Electus respondens inquit, quod universe Decime totius Episcopatus Concordiensis debentur Episcopatui Concordiensi, et Ecclesie ipso jure; nec cadere, seu devenire aliqualiter possunt in secularem personam, nisi hoc fieret per modum feudi, et illa persona talis sit que manum feudi valeat obtinere: dicens, et proponens dictus D. Electus nomine suo et Ecclesie sue Concordiensis predicte, quod postquam Decime devenientes in Laycum sint, et devenient per modum feudi, bona feudalia nuncupantur; quod si aliquis hujusmodi feuda obtinens in parte, aut in toto ipsa feuda, inscio Domino potestatis, emphytehotizat, seu ad livellum concedit, aut etiam venditionem facit de eisdem talibus personis, que manum feudi obtinere non possint; petiit a vassalis suis, seu dicte Ecclesie seu Concordiensis ad hoc ibi specialiter convocatis, sententialiter diffiniri quid inde juris esset, cum dicta venditio in prejudicium suum et dicte Ecclesie sue facta esse non possit tam ratione feudi allivellati, quam et ratione ipsius Donati Gruelli, qui manum feudi, ut dicitur, obtinere non potest. Super quibus per universos vassallos ibi astantes sententiatum fuit et diffinitum, nullo eorum penitus discrepante, quod postquam ille Decime sunt feuda, et allivellata sunt in prejudicium Domini, ac etiam de ipsis feudis facta est venditio in talem personam que manum

feudi non obtinet, quod ipsa feudalia bona debent unde exiverunt totaliter devenire. R. o.

N.° 79.

1813 24 *Luglio Cordovado.*

Il Vescovo di Concordia mette termine alle differenze insorte fra il Capitolo e la Comune di Portogruaro.

Stefano Guglielmini Not.

Die VIII. exeunte dicto mense Julii, in Cordevado sub lobia domus Domine Belle uxoris q.m D. Tobias. Presentibus Dominis Guidone de Manzano Archidiacono Concordiensi, Magistro Johanne de Feltro, presbitero Benevenuto Vicario in Cordevado, Gerardino de dicto loco et Lanzallotto dicto Buttafollo, et aliis. Reverendus pater et D. D. Articus de Castello Dei gratia Concordiensis Electus confirmatus, sedens pro tribunali, presentibus Domino Mazio de Toppo Canonico Concordiensi ex una parte, et Stephano Cevolini procuratore et sindico Dominorum Consulum, Consilii et Communis Portusgruarii ex altera, et hanc diffinitivam instanter feri petentibus, talem inter eos sententiam diffinitivam protulit, in hunc modum.

In Christi nomine amen. Nos Articus de Castello Dei gratia Concordiensis Electus, cognoscentes summarie ordinaria, et arbitraria potestate de predictarum

partium voluntate de causa et questione vertente inter dilectos filios Capitulum Concordiense ex una parte, et Commune Portusgruarii ex altera, occasione cujusdam rixe facte in Episcopatu Concordiensi, seu quorumcumque aliorum dependentium ab eadem; visis et auditis, et diligenter inspectis juribus et rationibus utriusque partis, ac eis etiam examinatis, nec non Statuto Portusgruarii, in quo cavetur de ipsis, dicimus sententiam, et in hiis scriptis pronuntiamus sententialiter et diffinimus; quod vigore perallegati Statuti, illi duo Massarii dicti Capituli, qui hujus excessus auctores fuerunt, iniiciendo manus violentas, duo singulariter in duos, ratione predicti excessus, sex marchas denariorum Aquilegensis monete, ut in ipso cavetur Statuto, et unam marcham cum dimidia, ratione expensarum factarum per dictum Commune Portus in causa predicta Communi Terre Portusgruarii antedicti in terminis infrascriptis dare et solvere teneantur: medietatem scilicet in festo Assumptionis Dominice proxime nunc future, et residuum in festo S. Michaelis proxime nunc sequentis. Mandantes etiam quod si qua pignora propter hoc aliquibus sunt accepta, quod illa libere restituantur, ne afflicto addatur afflictio. Imponentes quoque supradicto Capitulo super injuriis quibuscumque, predictorum occasione exortis, perpetuum silentium, ne lites in litibus inculcentur. Et hanc nostram sententiam volumus, et mandamus ab ipsis partibus inviolabiter observari sub pena ducentarum librarum veronensium parvorum. Cujus pene medietas nobis, seu Ecclesie nostre, altera vero dictam observanti sententiam persolvatur. Quam

quidem sententiam ipsi Sindici et procuratores sindicario et procuratorio nomine supradicto, ratificarunt, omologarunt, et libere confirmarunt. R. o.

N.° 80.

1318 29 *Luglio Siena.*

Taddeo da Palude è eletto Parroco di Circhniviz.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Castonus Dei, et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha dilectis Nobilibus discretis viris Raynaldo Thesaurario Ecclesie Aquilegensis Vicario nostro, et Lombardino Archipresbitero Ecclesie Modoetiensis Mediolanensis Diocesis, salutem in Domino sempiternam.

Laudabilibus probitatis meritis, quibus dilectus nobis discretus vir presbiter Tadeus de Palude Capellanus noster, Plebanus Plebis de Circhneviz Aquilegensis Diocesis juvari dignoscitur; nec non gratis et acceptis servitiis, que nobis ab olim impendit, et impendere non desistit, jam dictum Plebanatum Plebis predicte de Circhneviz vacantem, ad collationem nostram spectantem, cum omnibus juribus et pertinentiis suis eidem Tadeo Rectoriam Parrochialis Ecclesie de Masero, et Canonicatum et prebendam Ecclesie de Massalia Mediolanensis Diocesis obtinenti, contulimus et providemus de illo de gratia speciali, investientes ipsum

per nostrum annulum presentialiter de eodem. Ita tamen quod cum ipsius Plebanatus fuerit pacificam possessionem adeptus, Rectoriam predicte Ecclesie de Masero, utpote de jure vacantem, dimittere teneatur. Quo circa discretioni vestre presentium tenore committimus et mandamus, quatenus vos, aut alterum vestrum per vos, aut alium, seu alios eundem Tadeum, aut procuratorem ejus pro eo, in corporalem Plebanatus, jurium et pertinentiarum predictarum possesionem inducatis, et defendatis inductum, facientes eidem, aut procuratori predicto pro eo, de ipsius Plebanatus fructibus, redditibus, proventibus et juribus universis integre responderi, contradictores auctoritate nostra per censuram Ecclesiasticam compescendo.

Data Senis, quarto Kalandes Augusti, anno Dominice Nativitatis M. CCC. XVIII. A. N. U. O.

N.° 81.

1318 29 *Luglio Maniago.*

I Signori di Pinzano e di Maniago dichiarano che la Tregua tra loro conchiusa non è infranta per la prigionia di Cuccitino e di Corrado di Montereale.

Antonio di Ailino di Maniaco Not.

Die XV. intrante Julio. In presentia D. Walterii de Miduno, D. Goldi de Montereyali, Vignudi et Gufredi ejusdem loci, Francisci dicti Gorzia de Pulzinico, Aintussio de Ragonia et aliis.

Cum D. Almericus de Maniaco captivasset, seu cepisset Cucittinum et Conradum de Montereyali, tamquam adjutores Francisci et Pinzanutti, de Pinzano, pugnantes pro dictis Dominis in castro de Pinzano, juraverunt et steterunt in manu D. Mattei de Ragonia, quod per dictam captionem aliquam contra eos treviam non fregerant.

Actum Maniaci, ante portam Castri. A. N. U. o.

N.° 82.

1318. 16. *Agosto. Portogruaro.*

Decime Papali pagate.

Stefano. Guglielmini Not.

Die xvi. intrante mense Augusti. In domo Hospitalis S. Christophori de Portugruario. Presentibus D. Nicolao de Midea Civitatensi Canonico, et Gerardino de Cordevado et aliis. D. Guido de Manzano Archidiaconus Concordiensis, Colector Papalis Decime pro D. Artico Concordiensi Electo constitutus, fuit confessus et contentus se a D. Mazio de Toppo Canonico Concordiensi, dante et solvente pro se et D. Hermanno ejus fratre, habuisse et recepisse xx. libras parvorum, quas dicebat idem D. Mazius solvere debere et debuisse pro quinque terminis, hoc est pro duobus annis cum dimidio de dicta Decima papali de eorum prebendis Ecclesie Concordiensis. Item centum

solidos veronensium parvorum, quos dixit etiam se dare debere occasione dicte decime pro quinque annis.

Item eisdem die, loco, et testibus. Recepit eodem modo dictus D. Guido ab Alberto de Campo, Canonico Concordiensi, occasione dicte Decime, x. libras parvorum pro quinque terminis.

Item dictis die, loco et testibus. Idem D. Guido Vicarius et Archidiaconus Concordiensis absolvit predictos, nec non D. Nicolaum Sacristam Canonicum Concordiensis Ecclesie ad cautelam, ab omni vinculo excommunicationis, si quam incurrissent, pretextu dicte Papalis Decime non solute etc.

Item eisdem die, loco, et testibus. Presentibus Dominis Candido de Varmo, et Barbaro de Venetiis Canonicis Concordiensibus, et aliis. Idem D. Guido de Manzano, ut supra, recepit de Papali Decima a presbitero Bertulussio et Matheo Canonicis Concordiensibus pro quinque terminis novem libras cum dimidia parvulorum.

Die xiv. exeunte dicto mense Augusti. In Bagnarola, in domo Sacerdotis de dicta villa. Presentibus presbitero Ade de Savorgnano, Vincentio Capellano, Nepote de Utino, et Blancharino de Glemona familiaribus D. Electi subscripti, et aliis. Reverendus pater et D. D. Articus Dei gratia Concordiensis Electus et confirmatus confessus fuit se recepisse et habuisse a D. Guidone de Manzano Archidiacono Concordiensi collectori suo Papalis Decime, centum et sexaginta libras veronensium parvulorum de Papali Decima supradicta. R. o.

N.° 83.

1318 17 *Agosto Cividale.*

Mattiusso di Moimacco riceve in feudo da Folchero di Savorgnano la villa di Sauria.

Benvenuto q.m Corrado Not.

Die XVII. intrante Augusto. In Civitate Austria, sub domo Communis. Presentibus nobilibus viris D. Hesendrico de Rodelyano, D. Nicholao q.m Candidussii de Cauussio, Nicholao q.m D. Utulini de Canussio, Nicholao de Pinzano, Civitate commorante, Zanulussio filio Federici D. Hendriottis de Utino, et aliis.

Mattiussius q.m D. Volvini de Moymacco, nunc Spegnimbergo commorans, confessus et contentus fuit se habere jure recti et legalis feudi a D. Fulchero de Savorgnano Civitate commorante, dominium ville que dicitur Saurya, et totum Gerbasinum dicte ville; ac unum mansum situm in dicta villa, rectum per...quod quidem feudum dictus D. Fulcherus per se, suosque heredes, prefatum Mattiussium pro se suisque heredibus recipientem, cum fimbria sue tunicæ investivit, recepto ab eodem Sacramento fidelitatis, prout vassallus, suo Domino facere consuevit. A. N. U. o.

N.° 84.

1318 20 *Agosto.*

Cenni storici intorno al Patriarca Gastone della Torre desunti dalle Cronache Patriarchali.

Castonus de la Turre Patriarcha, existens Mediolanensis Archiepiscopus anno Domini M. CCC. XVII. per D. Johannem Papam XXII. factus est Patriarcha, circa Festum S. Silvestri. Non venit ad Ecclesiam suam: sed ipso veniente, dum esset Florentie, et equitaret, cecidit cum equo: de quo casu mortuus est, et Florentie fuit sepultus, anno Domini M. CCC. XVIII. de mense Augusti.

N.° 85.

1318 20 *Agosto Aquileja.*

Necrologia del Patriarca Gastone della Torre. Necrologio Aquilejese.

Decimo tertio Kalendas Septembris M. CCC. XVIII. Indictione I. Reverendus Pater D. Castonus bone memorie, Patriarcha Aquilegensis, obiit in Florentia; qui vixit in Patriarchatu unum annum, menses septem et dies XXI. Pro cujus anima discretus vir Thaddeus de Palude ejus Capellanus, hujus Ecclesie Mansionarius, et Plebanus de Circhiniz dedit Capitulo decem Marchas, de quibus empta fuit una Marcha in redditibus super domo

q.^m Vincentii Barberii, et custodis supradicte Ecclesie ad hoc, ut singulis annis fiat ejus Anniversarium in Capella S. Ambrosii super tumulum bone memorie D. Patriarche Raymundi, cum vino, et oblatione. Et tres dinarii dentur tribus Sacerdotibus, qui ipso die celebrent Missas tres pro ejus anima: et inter pauperes Clericos quinque denarii dividantur. Reliqui vero denarii inter Canonicos et Mansionarios, qui in Anniversario suo presentes fuerint, dividantur. c.

N.° 86.

1318 *Firenze.*

Epitaffio posto sul monumento di Gastone in S. Croce.

Plange tuam de la Turre, parens domus inclyta, prolem:
Plange tuum tu sole carens, Aquilegia, solem.
Sol rutilans Castonus erat, tuus hic Patriarcha:
Sol rutilans hac, ecce, jacet contectus in archa.
Ter senis annis conjunctis mille trecentis
Lux fuit Augusti sex bina dies morientis.
Qui legis, ut vivas, fuge vivens res fugitivas:
Dum patet hora fuge de Babilone fuge.

N.° 87.

1318 28 *Agosto Cividale.*

I Signori di Spilimbergo e di Zuccula chiedono che, durante la vacanza della sede Patriarchale, sia loro affidata la custodia delle Canipe del Patriarcato.

Antonio da Cividale Not.

In Dei nomine amen. Anno ejusdem Nativitatis M. CCC. XVIII. Indictione I. die quarto exeunte Augusto. In Civitate Austria, ante portam Curie Patriarchalis. Presentibus Nicolao filio Tailaleni de Pinzano, Bartolomeo D. Biliarde de Civitate, Possino Vitoje, Stephano genero Cotiani de Civitate, et aliis.

D. Presbiter Antonius Vicarius Ecclesie de Spegnimberch, tanquam nuntius Dominorum Pregonie, Bartholomei, Fulcherii de Spegnimberch et de Zuccula, protestatus fuit, et dixit, quod nomine dictorum Dominorum de Zuccula, ex officio eorum, cum vacet Sedes Patriarchalis, intromittere volebat Canipam, que fuit q.m D. Castoni, et quod ad eorum officium pertinebat, sed porta erat clausa, et non poterat introire.

Die tertio exeunte Augusto. In Civitate Austria. In Capitulo Ecclesie majoris Civitatis. Presentibus D. Morandino Mansionario Civitatensi, Leonardo Budine, Dominico de Torryano, et aliis.

D. Presbiter Antonius Vicarius de Spegnimberch,

tanquam nuntius Dominorum Pregonie, Bartholomei et Fulcherii de Spignimberch, coram venerabilibus viris Dominis Guilielmo Decano Aquilegensi, Bernardo, Philippono de la Turre, Lodovico et Laurentio de Civitate, Guidone de Villalta, et Odorlico de Strasolt Canonicis Aquilegensibus comparens, sede Aquilegensi vacante, supplicavit eis, ut ordinent, et faciant quod ipse, nomine dictorum Dominorum de Zuccula, habeat in custodia Canipas Patriarchatus Aquilegensis, pro ut ad eos dignoscitur pertinere. A. C. U. o.

N.° 88.

1318 *Settembre.*

Procura di Guarnero di Cucagna per l'elezione del novello Patriarca.

Lupo Not.

In nomine Domini etc. Nobilis vir D. Warnerus de Cucanea Canonicus Aquilegensis propter inimicitias, et metum, qui potest cadere in constantem, propter quem, et quas non potest absque periculo sui capitis personaliter accedere ad Ecclesiam Aquilegensem, neque interesse termino a Decano et Capitulo ipsius Ecclesie assignato ad electionem futuri Patriarche celebrandam, et ad alia que in dicto Capitulo agenda fuerint: fecit, et constituit suum certum et specialem procuratorem, venerabilem virum D. Gillonem Archidiaconum Aquile-

gensem, sibique commisit quo ad instantis Electionis negotium, et quo ad alia que in dicto Capitulo agenda imminent, totaliter vices suas: dans eidem generalem et liberam potestatem nominandi, eligendi, et postulandi vice et nomine ipsius, personam ydoneam in Patriarcham et Pastorem Aquilegensis Ecclesie; ac jurandi in animam suam, si opus fuerit, juxta formam Concilii generalis, quod ipse impedimento hujusmodi tenetur, et, ut credit, tenebitur in termino supradicto. Et nihilominus alia omnia et singula facienda, que per ipsum, si presens esset, posset in predictis omnibus et singulis fieri, aut quomolibet expediri. Promittens se ratum, et firmum habiturum quidquid per dictum Procuratorem actum fuerit in premissis, et quolibet premissorum. A. N. U. o.

N.° 89.

1318 *Settembre.*

Guarnero e fratelli di Cucagna nominano un Procuratore che li reppresenti nel general Parlamento.

Lupo Not.

Nobiles viri D. Warnerus et Odorlicus fratres, et Rizzardus et Odorlicus fratres de Cucanea fecerunt, constituerunt, et ordinaverunt Leonardum dictum Clericum de Cucanea suum certum et specialem nuntium et procu-

ratorem ad comparendum coram venerabilibus viris Dominis Decano et Capitulo Aquilegensi in Colloquio apud Manzanum per eosdem super statu Ecclesie et Terre Forijulii ordinato, ad agendum, proponendum, deliberandum, consulendum, et firmandum quidquid pro statu et libertate dicte Aquilegensis Ecclesie, et Terre Forijulii melius et utilibus videbitur expedire: nec non ad opponendum, obviandum, et contradicendum si quid contra libertatem, statum et sublevamen dicte Aquilegensis Ecclesie, et dicte Terre Forijuli, et suum in dicto Colloquio ordinatum et factum fuerit, aut quomolibet acceptatum. Promittentes etc. A. N. U. o.

N.° 90

1318 4 *Settembre Avignone.*

Il Pontefice Giovanni XXII. riserva a se la nomina del futuro Patriarca.

Johannes XXII. ad futuram rei memoriam. Sicut intelleximus, Ecclesia Aquilegensis per obitum bone memorie Castonis ipsius Ecclesie Patriarche vacare noscatur ad presens; nos ad bonum statum ipsius Ecclesie intendentes, provisionem ejusdem Ecclesie hac vice certis ex causis, que ad id nostrum animum induxerunt, ordinationi et dispositioni Sedis Apostolice, de Fratrum nostrum consilio, auctoritate presentium plenarie reservamus, decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super his a quoquam contra hujusmo-

di Constitutionis tenorem per quoscunque scienter, vel ignoranter quoquo modo contigerit attemptari. Nulli etc. nostre Reservationis et Constitutionis infringere. etc.

Datum Avenioni, secundo Nonas Septembris, anno M. CCC. XVIII. Rubeis.

N.° 91.

1318 6. *Settembre. S. Giovanni di Manzano.*

Feudo accordato dal Vescovo di Concordia a Giovanni di Villalta.

Simeone da Gemona Not.

Die sexto intrante Septembrio. Presentibus discretis viris D. D. Lombardino de la Turre Archipresbitero de Monza, Philippono della Turre Canonico Aquilegensi, Hendriguccio de Villalta, Johanne filio q.m Determani de Vendoyo, Vincentio Sacrestano de Concordia, et aliis.

Nobilis vir D. Johannes de Villalta comparuit coram venerabili viro D. Articho de Castello Electo et confirmato in Ecclesia Concordiensi, et flexis genibus petivit ab ipso D. Electo, ut eum investire deberet feudum, quod ipse et domus sua de Villalta, in Uruspergo habebat ab Ecclesia Concordiensi. Qui vero predictus D. Electus eum investivit de jure suo, salvo omni jure dicte ville: et idem D. Johannes eidem Domino juravit fidelitatem, sicut vassallus suo Domino etc.

Actum sub villa S. Johannis de Manzano, in pratis ubi erat Colloquium Domini Comitis. A. N. U. o.

N.° 92.

1318 23 *Settembre Trevigi.*

Sospensione della Scomunica slanciata dai Legati Pontificii contro il Capitolo di Aquileja.

Gabriele da Cremona Can. P.

In Christi nomine amen. Anno Domini M.CCC. XVIII. Indictione I. die XXIII. Mensis Septembris. Tervisii, super Episcopali Palatio. Presentibus discretis viris magistro Petro de Vincentia Canonico Tervisii, Presbitero Symone de Placentia plebano S. Martini de Crenviz Tergestine Diocesis, Antonio Notario D. Episcopi infrascripti, et aliis.

Cum discretus vir D. Guido de Villalta Canonicus Aquilegensis procurator venerabilium virorum, Dominorum Gulielmi Decani et Capituli Aquilegensis a venerabili in Christo patre D. Castellano, Dei gratia Episcopo Trivisino peteret humiliter et instanter, ut sententiam, si sententia dici posset, per dictum D. Episcopum latam per litteras suas patentes in dictos Dominos Decanum et Capitulum Aquilegense, auctoritate sibi tradita per venerabiles patres D. D. Bernardum Atrebatensem, et Gibertum Bononiensem Episcopos, ac magistrum Aymericum de Castelluccio Archidiaconum Transigenensem

in Ecclesia Turonensi D. Pape Capellanum, Apostolice Sedis Nuntios, super certis pecunie quantitatibus persolvendis, revocare deberet, et effectum dictarum litterarum suspendere: Idem D. Episcopus, ipsius D. Guidonis precibus benigne consentiens, prefatam sententiam revocavit, dictarum litterarum effectum, ab hodierna die, usque ad unum mensem proxime venturum suspendens, infra quod tempus prefati Canonici et Capitulum omnino persolvent pecuniam antedictam. C. F. o.

N.° 93.

1318 25 *Settembre Aquileja.*

Carta di procura per la riscossione dell' annuo censo che il Doge e la Comune di Venezia pagavano a' Patriarchi in compenso della giurisdizione loro concessa su alcuni luoghi dell' Istria.

Gabriele da Cremona Can. P.

In Christi nomine amen. Anno Domini M. CCC. XVIII. Indictione I. die XXV. mensis Septembris. In Capitulo Majoris Ecclesie Aquilegensis. Presentibus discretis viris Dominis Savio Canonico Tergestino, Presbitero Tadeo Plebano Plebi de Circhiniz Aquilegensis Canonici, et Guilelmino de ... Domicello D. Bernardi Aquilegensis Canonici.

Venerabiles viri Domini Guido de Villalta Vicedecanus et Capitulum S. Aquilegensis Ecclesie, Patriar-

chali Sede vacante, ad infrascripta more solito in Capitulo, et ut Capitulum, specialiter congregati fecerunt, constituerunt, atque ordinaverunt suo, Patriarchatus, et Ecclesie Aquilegensis nomine venerabilem virum D. Guilielmum, suum et dicte Ecclesie sue nunc vacantis, certum nuntium, sindicum, actorem et procuratorem legitimum specialiter ad comparendum coram Magnifico D. D. Suprano, Dei gratia illustri Duce, Consilio et Commune Venetiarum, et ad petendum, exigendum, et recipiendum ab eis suo, et ipsius Ecclesie Aquilegensis nomine, Marchas ducentas et viginti quinque denariorum Aquilegensis monete, quas dicti Domini Dux, Consilium et Commune Venetiarum persolvere tenentur et dare D. Patriarche et Ecclesie Aquilegensi pro termino presentis mensis Septembris, pro jurisdictione, juribus, et terris Istrie, quas dicti Domini Dux et Commune Venetiarum tenent et possident, juxta conventiones et pacta inter ipsos, et D. Patriarcham et Ecclesiam Aquilegensem inita et contracta; et ad confitendum nomine que supra, et de hiis que receperit, finem, quietationem, remissionem, absolutionem, cessionem, et pactum de ulterius non petendo faciendum, et ad vallandum contractum hujusmodi pactis, penis, obligationibus, renuntiationibus, et solempnitatibus opportunis; et ad substituendum unum procuratorem, et plures loco sui, et revocandum. Et generaliter ad omnia et singula faciendum, et liberaliter exercendum, que in predictis, et circa predicta fuerint opportuna, et necessaria videbuntur. Dantes et concedentes eidem

procuratori suo plenum, liberum, et generale mandatum, et administrationem in omnibus et singulis supradictis: promittentesque stipulatione solempni mihi notario infrascripto pro omnibus quibus interest, aut interesse poterit stipulanti, firmum, ratum et gratum habere et tenere perpetuo quidquid per ipsum procuratorem, aut quemvis substitutum ab eo, in predictis, et circa predicta factum fuerit, aut quomolibet procuratum, sub obligatione suorum omnium, et dicte Aquilegensis Ecclesie bonorum. In cujus rei testimonium etc. C. F. o.

N. 94.

1318 27 *Settembre Gemona.*

Tregua tra Simone di S. Daniele e Nicolò di Forgaria.

Stefano Guglielmini Not.

Die quarto exeunte Septembri. In Glemona sub lobia. Presentibus nobilibus viris Dominis Wolvino et Artico fratribus de Pramperchο, Federico milite de dicto Prampercho, Hermanno Capitaneo, Josepho et Mathiussio, dicto Frexoria de Glemona, Antonio notario de Civitate, et alis. Providus vir Symon de S. Daniele per se, et amicos suos omnes et propinquos, et cum obligatione etc. ad instantiam et requisitionem venerabilis viri D. Odorici de Strassoldo Aquilegensis Canonici, magnifici D. Henrici illustris Goritie et Tirolis Comitis, Patriarchatus Aquilegensis

Capitanei, Vicarii generalis securitatem recipientis, vice et nomine suo, sive D. Comitis antedicti, fecit et firmavit Trevuas, usque ad instans festum S. Georgii per totam diem in manibus dicti D. Vicarii, Trevuas hujusmodi stipulantis et recipientis, Nicolao filio q.m Blarisii de Forgaria, qui nunc moratur in dicto S. Daniele, et amicis suis omnibus ac propinquis: sub pena ducentarum Marcharum denariorum Aquilegensis monete: super illa rixa, seu discordia, que inter ipsos hodie facta fuit. Pro quibus omnibus attendendis, et firmiter observandis, precibus et mandatis dicti Symonis, et pro ipso, Domini Nicolaus, Conradella et Marassius de dicto S. Daniele, Floritus de Pinzano, et Petrus de Altaneto de Glemona fidejussores extiterunt pro rata.

Die tertio exeunte dicto Septembri. In Glemona, in loco prescripto. Presentibus testibus proxime suprascriptis. Nicolaus q.m Blarisii de Forgaria predictus per se et amicos suos ac propinquos, versa vice fecit, ac firmavit Treovas usque ad dictum festum S. Georgii per totam diem, prefato Simoni et amicis suis ac propinquis omnibus, in manibus dicti D. Vicarii, sub pena ducentarum marcharum, ut supra. Cui fidejussores fuerunt pro rata, Domini Wargendus de Mels, Asquinus de Colloreto, Henricus de Faganea, Nicolaus de Brazaco et Bartholomeus de Dercano. R. o.

N.° 95.

1318. 28. *Settembre Gemona.*

Sigurtà di Nicolò di Forgaria.

Stefano Guglielmini Not.

Die tertio exeunte Septembri. In choro Ecclesie S. Marie de Glemona. Presentibus prudentibus viris Dominis Antonio Notario de Civitate, Henrico dicto Wel, et Mathiussio dicto Frexoria de Glemona, et aliis. Nicolaus q.^{m} Blarisii de Forgaria pro se et ... fratre suo, licet absente, prestitit securitatem et fecit in manibus venerabilis viri D. Odorlici de Strassoldo Vicarii prelibati, de stando et parendo juri coram quovis dominio, seu coram quavis Segnoria, cui obedire tenetur et debet, sub pena ducentarum Marcharum Aquilegensis monete, occasione cujusdam ratti, seu cujusdam accuse hominis mortui, ut dicitur. Fidejusserunt pro eo, et ejus precibus et mandatis, Domini Wargendus et Fulcherus de Mels, Asquinus de Colloreto, Henricus de Faganea, Nicolaus de Brazaco, Floritus de Pinzano, et Bartolomeus de Dercano pro rata. R. o.

N.° 96.

1318. 28. *Settembre Gemona.*

Compromesso per un aggiustamento tra Bonacursio e Folchero di Osopo.

Stefano Guglielmini Not.

Die tertio exeunte Septembri. In choro Ecclesie S. Marie de Glemona. Presentibus nobilibus viris Do-

minis Ulvino et Artico fratribus de Prampercho, Federico milite de Prampercho, Wargendo de Mels, Asquino de Colloreto, Hermanno Capitaneo, Josepho, Henrico dicto Wel, Mathiussio dicto Frexoria de Glemona, et Antonio notario de Civitate, et aliis. Constitutis in presentia venerabilis viri D. Odorlici de Strassoldo Aquilegensis Canonici, Magnifici D. Henrici Illustris Goritie et Tirolis Comitis, Patriarchatus Aquilegensis Capitanei, Vicarii Generalis, Fulchero pro se et fratribus suis de Osopio ex parte una, et Bonacursio de dicto Osopio ex altera. Idem D. Odorlicus Vicarius pro se, seu nomine et vice D. Comitis Capitanei antedicti, requisivit instanter dictas partes, sive mandavit eisdem, quatenus ipse amicos suos pro parte sua eligant et assumant pro faciendo compromisso super facto illius questionis, seu discordie diu orte, et ventilate inter ipsum Bonacarsium, ejusque fratres ex parte una, et dictum Fulcherum, et ipsius fratres ex altera, cum ipse D. Vicarius paratus sit dare tertium communem amicum, si illi duo sic assumpti, dictam questionem deffinire et terminare non possent, qui dictam questionem, una cum aliis, valeat fine debito terminare. Qui Bonacursius, dicens predicta in mandatis a suis fratribus non habere, ea facere recusavit. Cui dictus D. Vicarius terminum prefixit a die lune proxime nunc venturo usque ad octo dies in Civitate Austria, apud domum Communis in hora None, electuro, et assumpturo amicum suum pro se et Fratribus suis, nec non facturo Compromissum super quistione predicta, prout superius continetur. Quo facto, immediate Fulcherus predictus pro se et

fratribus prescriptum D. Asquinum de Colloreto, tanquam in arbitrum, et amicum suum assumpsit, offerens se paratum, et promptum in hiis et aliis semper obedire mandatis tam ipsius D. Vicarii, quam et D. Comitis antedicti. R. o.

N.° 97.

1318

Proposta del Re Roberto a Cane della Scala per la nomina del nuovo Patriarcha d' Aquileja rigettata. Monitorio di Giovanni XXII. *al Conte di Gorizia, Cane della Scala, Uguccione della Faggiola e Guecello da Camino; e Lettera dello stesso Pontefice con cui si sforza di dar coraggio a' Trivigiani, e rende conto di quanto ha fatto in loro favore.*

Videns Rex Robertus se obsessum, verecundia et confusione plenus, misit Franciscum della Turre ad Canem Dominum Verone, promittens sibi dominium omnium Terrarum, quæ sunt inter Veronam et Padum, et quod faceret in Aquilegia Patriarcham quem vellet, si Mathæi Vicecomitis ligam frangeret, sibique et parti Guelfæ faveret: quod nullo modo facere voluit.

Galv. Fiamma A. I. T. XI. col. 725.

Johannes Papa XXII. venerabilibus fratribus Atrebatensi et Bononiensi Episcopis, ac dilecto filio Americo de Castro Lucii Archidiacono Trasvigenensi in Ecclesia Turonensi Apostolice Sedis Nuntiis.

Gravibus onusta querelis dilectorum filiorum nobilis viri Rambaldi Comitis et Communis Tervisini clamosa nuper insinuatione percepimus, quod Comes Guritie, Canis de la Scala, Ugucio de Fajola, et Guccellus de Camino adversus eosdem Comitem, et Commune, ac Civitatem Tervisii nequiter conspirantes, et ad invasionem Civitatis ejusdem, ut illam eorum dominio subjugarent, sub federe securitatis et pacis conatus dire tyrannidis exercentes, illam conflatis viribus, et exercitu congregato, subito ex insperato hostiliter sunt aggressi, ipsosque, bonorum et rerum dampnis multiplicibus et jacturis, ac duris molestiis irrogatis, et quibusdam Castris occupatis ipsorum, non absque maximo scandalo regionis illius, hostilis et violente obsidionis instantia coartaut dampnabili temeritate, et subjugare presumunt. Cum igitur Romani Imperii hoc tempore quo ipsum vacat, Imperium, regimen, cura et administratio; nec non et defensio fidelium ejusdem Imperii oppressorum, ac punitio subjectorum eidem, cum ad alium preter quam ad Romanum Pontificem recursus haberi non possit, ad nos pertinere noscatur, nosque parati simus Comiti Guritie, Cani, Ugucioni, Guecello et quibuslibet aliis conquerentibus de dictis Rambaldo, et Communi Tervisino, ac singulis de ipsa Communi facere justitie complementum; discretioni vestre per Apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos, aut unus vestrum per vos, vel per alium, seu alios Comitem Guritie, Canem, Ugutionem et Guecellum supradictos, ac omnes et singulos complices, sequaces, adjutores, valitores et fautores eorum, et in hac parte adherentes eisdem, et quemlibet de prefato

exercitu ex parte nostra moneatis attentius et etiam inducatis, expresse mandantes eisdem, ut ab obsidione Rambaldi Comitis, Communis et Civitatis predictorum, infra limites Imperii consistentium supradicti, Castris prefatis restitutis eisdem, infra terminum peremptorium competentem, quem eis ad hoc duxeritis prefigendum, a quibuslibet eorum abstinendo, dampnis et injuriis omnino recedant, dicteque Civitatis exeant territorium et districtum; ad eos, occasione alicujus molestie, Rambaldo Comiti, Communi et Civitati predictis per se, vel alios inferende, nullatenus redituri; dictisque Comiti Guritie, Cani, Ugucioni ac Guecello et quibusvis aliis de prefatis Rambaldo Comite, et Communi Tervisino, et singularibus personis de ipso Communi conquerentibus, plenam justitiam faciatis. Quod si forte Comes Guritie, Canis, Ugucio, et Guecellus, et alii supradicti monitionibus et mandatis vestris in hac parte contempserint obedire, vos in Comitem Guritie, Canem, Ugutionem et Guecellum antedictos, omnesque complices, sequaces, adjutores, valitores et fautores predictos, ipsisque quomolibet adherentes, et singulos de dicto exercitu, seu alias dantes in premissis eisdem auxilium, consilium vel favorem, publicum vel occultum, tam Clericos, quam Laycos cujuscumque conditionis, Ordinis, status vel dignitatis existant, etiamsi Pontificali, vel quavis alia premineant dignitate, Excommunicationis; et in Civitates, Castra, Terras, et loca ipsorum, seu eorum ditioni subjecta, Interdicti sententias proferatis quotiens, et quando vobis expedire videbitur, in circumvicinis et aliis illarum partium

locis solempniter publicari; contra eos nihilominus per alias graviores spirituales et temporales penas, de quibus expedire videritis, procedendo; non obstantibus si Comiti Guritie, Cani, Ugucioni, Guecello et aliis supradictis, et quibusvis aliis a Sede Apostolica sit indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut quibusvis aliis penis ac sententiis ligari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem quod Comiti Guritie, Cani, Ugucioni, Guecello et aliis supradictis predicatis aperte, quod si hujusmodi monitionibus et mandatis nostris parere contempserint, nos contra gravius eos spiritualiter et temporaliter, prout inobedientia ipsorum exegerit, et qualitas facti suaserit, procedemus. Quod si forte ad presentiam Comitis Guritie, Canis, Ugucionis, Guecelli, et exercitus, ac aliorum predictorum tutus vobis non pateret accessus, vos hujusmodi monitionem et mandatum in loco, seu locis de quibus ad ipsorum facilius notitiam valeat pervenire, facere et publicare curetis. Diem autem hujusmodi monitionis et mandati, et quidquid super premissis duxeritis faciendum, nobis per vestras patentes litteras, harum seriem continentes, fideliter studeatis quantocius intimare.

Datum Avenioni, Decimo Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno tertio. B. S. D. c.

Johannes Papa XXII. Dilectis filiis Communi et Populo Tervisino. Audivimus nuper, nec immerito fuimus vehementer turbati, quod Comes Guritie, Canis

de la Scala, Ugucio de la Fajola, et Guecellus de Camino vestri, et civitatis vestre Tervisine persecutores et hostes, vos, et Civitatem eamdem, dire hostilitatis irruptionibus impetentes, conflatis viribus, et exercitu congregato, subito ex insperato civitatem predictam existentem cum Cane predicto sub federe securitatis et pacis, hostiliter sunt aggressi; illam, vobis bonorum et rerum dampnis multiplicibus et jacturis, ac duris molestiis irrogatis, et quibusdam vestris, et Civitatis ejusdem Castris, per violentiam occupatis, violente obsidionis instantia, temeritate dampnabili coarctando; sperantes forsitan constantie vestre, illatione dampnorum, deicere firmitatem. Profecto, filii, stabilitatis vestre commendabilis fortitudo in presentis adversitatis fornace decoquitur, ut hec omnia in vobis parata resplendeant, sicut olim in progenitoribus vestris similia splenduerunt. Succrescat igitur in vobis inter has oppressionum angustias inclytus animus, et erectus, lucro singula deputantes, que a vobis pro vestro et Civitatis predicte decore servando, ac celebritate nominis sustinetis. Recolat etiam magnanimitatis vestre prudentia quanta, quam periculose, et quam strenue pro defensione patrie libertatis egerint hactenus patres vestri, ut proprie strenuitatis exempla in posteros propagarent : si enim per virtutis constantiam celebris fama nominis vobis fuerit conquisita, illa procul dubio in secula non peribit. Habetis autem Romanam Ecclesiam matrem vestram, et nos Christi Vicarium Patrem vestrum, qui vos, et Civitatem predictam gerentes in visceribus Charitatis, et pro vobis, ipsaque

Civitate, que possunt auxilia prodesse perquirentes, venerabilibus Fratribus nostris Atrebatensi et Bononiensi Episcopis, ac dilecto filio magistro Americo de Castro Lucii Archidiacono Transvigenensi in Ecclesia Turonensi Apostolice Sedis Nuntiis, damus per nostras sub certa forma litteras in mandatis, ut dictos Comitem Guritie, Canem, Ugucionem, Guecellum, et omnes de dicto exercitu, et quosvis alios Civitatem obsidendes eamdem ad recedendum de obsidione predicta sub gravibus spiritualibus et temporalibus penis, prout in eisdem continetur litteris, compellere non obmittant.

Datum Avenioni v. Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno tertio. B. S. D. c.

N.° 98.

1318 1 *Ottobre Rivosa.*
Tregua fra Ettore di Savorgnano e Federico ed Ermanno di Attems.

Lupo Not.

M. CCC. XVIII. Indictione I. Primo die intrante Octubri. In prato, quod dicitur sub Custodia de Rivosa. Presentibus Warnero filio Conradi Pelicie, Paulo filio q.^{m} D. Hermanni de Utino, Leonardo dicto Clerico filio q.^{m} Adalprety de Cucanea testibus, et aliis. Nobilis vir D. Hector de Savorgnano, petitione instanti D. Warneri de Cucanea, fecit Trevuas in manu D. Warneri predicti, recipientis vice et nomine

D. Ulvini de Pramperoho et sui, pro suis coadjutoribus, parentibus et amicis D. Federico de Attems D. Hermanno ejusdem loci, et eorum coadjutoribus, parentibus, et amicis: et hoc sub pena centum marcharum denariorum monete Aquilegensis, et fide prestita manuali nomine Sacramenti; medietas cujus cedat parti observanti dictas Trevuas, reliqua medietas Dominis Warnero et Ulvino; et hoc usque ad proximum festum Resurrectionis Domini. Pro quibus omnibus attendendis, et firmiter observandis, et precibus D. Hectoris, dictus D. Warnerus extitit fidejussor.

Die secundo Octubri intrante. Presentibus Presbitero Benevenuto Vicario Ecclesie de Attems, Berthulo filio q.m D. Odorlici commorante in Attems, D. Johanne filio D. Thome de Cucanea, Petro filio D. Federici subscripti, Symone de Pertistagno filio q.m Derchani testibus, et aliis. Nobiles viri Domini Federicus q.m D. Janisi, Hermannus q.m D. Purziti de Attems, petitione instanti D. Warneri de Cucanea Canonici Aquilegensis, fecerunt Trevuas pro se, suis parentibus, coadjutoribus et amicis D. Hectori de Savorgnano suisque herentibus, parentibus, et amicis, et etiam super bonis, hinc ad proximum festum Resurrectionis Domini, in manibus dicti D. Warneri recipientis vice et nomine D. Ulvini de Prampercho, et sub fide prestita manuali, nomine sacramenti; et nihilominus sub pena centum marcharum denariorum monete Aquilegensis, cujus medietas cedat parti dictas Trevuas observanti; reliqua medietas dictis D. Ulvino et Warnero. Pro quibus omnibus attendendis et firmiter observandis, et precibus dictorum Dominorum Federici et

Hermanni, Johannes filius D. Thome de Cucanea, Symon q.m Derchani de Pertistagno, Berthulus filius q.m D. Odorlici de Attems, Lupoldus de Attems, D. Henricus q.m D. Brandi fidejussores extiterunt pro rata.

Actum in Pertistagno, in via ante domum in qua moratur Mathiussius. A. N. U. o.

N.° 99.

1318. 3 *Ottobre Maniago.*
Tregua tra i Signori di Maniago e di Montereale.

Antonio di Ailino di Maniaco Not.

Die tertio intrante Octubri. Presentibus Curado Vicario, Francisco Barberio, Warnerio milite, Laurentio, et aliis.

Sub tali forma et conditione volunt Domini Wolvenus et Nicolussius de Maniaco jurare treguas Dominis de Monteregali. Primo et principaliter, quod illi de Monteregali non debeant favere Dominis de Pinzano, videlicet Francisco et Pinzanutto, nec eorum servitoribus et adjutoribus; deinde neque Jacobo ac Prinzavali de Maniaco, nec alicui de eorum servitoribus et adjutoribus, aut hominibus volentibus offendere predictis Dominis de Maniaco tam in Castro, quam in villa, in Griz, et in Malnins, nec intrando, nec exeundo de dictis locis, hinc ad proximum festum S. Martini per totam diem, salvo precepto et voluntate D. Comitis; et hoc in pena cc. Marcharum: et quod non mutuarent eis etiam equos, nec

per se, aut alios offenderent ipsos de' Maniaco, et quod D. Galvanus confirmabit.

Actum Maniaci ante portam. A. N. U. o.

N.° 100.

1318 10 *Novembre Gemona.*

Formalità praticate da un figlio nella sua emancipazione.

Stefano Romano Valconio Not.

M.CCC.XVIII. Die x. intrante Novembre. Ad pr[illegible]tiam Juliani Toderi de Glemona pervenit Blasinus ensis filius, flexis genibus, absque pileo et cingulo, et spoliatus etc. renuntians in manibus dicti Juliani sui patris omnem hereditatem, quam ab ipso habere posset, tam patrimonii nomine, quam matrimonii etc. rogans dictum suum patrem, ut ipsum a se debeat emancipare. Qui Julianus a dicto Blasino suo filio dictam refutationem recepit, et ipsum Blasinum cum voluntate Cautini ejus filii emancipavit a se, dans eidem liberam auctoritatem, et generale mandatum, ut a modo in perpetuum ipse Blasinus gerere et agere debeat vices suas ad suum libitum, tam in aquirendo, quam et in amittendo in sua utilitate etc. absque contradictione dicti Juliani et Cautini ejus filii etc.

Actum Glemone in Foro ante Stationem... A.N.U.o.

N.° 101.

1318 14 *Novembre Maniago.*
Tregua fra i Signori di Maniago e di Montereale.

Antonio di Ailino di Maniaco Not.

Die xiv. Intrante Novembri. In presentia magnifici viri D. Henrici Comitis Goricie, D. presbiteri Nicolai Vicarii Maniaci, D. Mathei de Ragonia, Oluradi q.^m D. Purfilii de Maniaco, et aliis.

Domini Wolvenus et Nicolaus de Maniaco juraverunt ad sancta Dei Evangelia habere et observare trewas et pacem Dominis Aleotto, Stephanutto et aliis Nobili- [illegible]le Monteregali, hinc ad festum S. Georgii proximi [illegible]a totum diem, sub pena cc. marcharum denariorum Aquilegensium. Que pena in dicto D. Comite pervenire debeat.

Actum in Castro Maniaci ante hostium Canipe Oluradi. A. N. U. o.

N.° 102.

1318 14 *Dicembre Aquileja.*
Pagano della Torre Vescovo di Padova e Amministratore del Patriarcato conferisce a Vorlico di Paolo Bojani il Benefizio di Peylstain.

Paganus Dei, et Apostolice Sedis gratia Episcopus Paduanus, Administrator Ecclesie Aquilegensis in spiri-

tualibus et temporalibus a Sede Apostolica deputatus, dilecto nobis, discreto viro Worlico Pauli Bojani Plebano Plebis S. Michaelis de Peylstain Aquilegensis Diocesis, salutem in Domino.

Literarum scientia, morum et vite honestas, aliaque tue probitatis merita, quibus juvari dignosceris nos inducunt, ut ad personam tuam nostre liberalitatis dexteram extendamus. Cum Igitur Plebanatus Plebis S. Michaelis de Peylstain Aquilegensis Diocesis per obitum q.m Pernardi Plebani ipsius Plebis vacet ad presens, nos volentes tibi premissorum consideratione, nec non ut tua, et tuorum devotio erga nos, et Aquilegensem crescat Ecclesiam, gratum habere sperantes, Plebanatum predictum, sic vacantem cum omnibus juribus et pertinentiis suis tibi, qui Canonicatum et Prebendam in Civitatensi, Aquilegensis Diocesis ac locum et perpetuum beneficium in de Fossalto Concordiensis Diocesis, Ecclesiis obtines, auctoritate qua in hac parte fungimur, duximus conferendum: ac discretum virum D. Guilielmum Decanum Aquilegensem pro te investimus per nostrum anulum de eodem; presentes tibi super hoc in testimonium dirigentes.

Datum Aquilegie, in Patriarchali palatio XIX. Kalendas Januarii. Anno Dominice Nativitatis M. CCC. XVIII. Indictione I.a A. C. C. O.

N.° 103.

1318 18 *Dicembre Cividale.*

Il Decano e Capitolo di Cividale permettono a Federico di Heberstayn ed a Filippo q.m Quoncio che si faccian erigere un monumento nella Chiesa di S. Giovanni Batista.

Giovanni da Cividale Not.

Die quarto decimo exeunte Decembri. In Capitulo majoris Ecclesie Civitatensis. Presentibus D. D. Gilone Archidiacono Aquilegensi, Johanne Bernardi, Nicolao de Portis, Manno de Florentia, Warnero de Pulzinico, Fulchero de Goritia, Fulchero de Zuccula, Bernardo de Civitate, Johanne Custode Canonicis Civitatensibus, et aliis. Venerabiles viri D. D. Bernardus Decanus, et Capitulum Ecclesie Civitatensis in dicto loco ad hoc specialiter more solito congregati, volentes preces, quas eis D. Federicus de Heberstayn Mareschalus D. Henrici Comitis Goritie, et D. Philippus q.m D. Quontii de Civitate fuderunt pro habendo quoddam monnmento, sito in Ecclesia B. Johannis Baptiste, ante altare B. Nicolai ad se sepeliendum in eodem, exaudire benigne; predictum monumentum extruere, eisdem D. D. Federico et Philippo, eorumque heredi ac heredibus ab ipsis descendentibus ad sepeliendam in eo, et non alias personas, devote et libere concesserunt. A. N. U. o.

N.° 104.

1318 28 *Dicembre Gemona.*

Per ordine di Pagano Vescovo di Padova e Amministratore del Patriarcato vien denunciata la Scomunica a varj Parrochi che non avean pagate le Collette.

Givanni Sottile Not.

In nomine Domini nostri Jesu Christi, et ejus Sanctissime Genitricis Virginis Marie, Amen. Anno Domini 1319 *(a)* die vero quarto exeunte Decembri. Presentibus Dominis Nicolao, Candido, Hectore Sacerdotibus, Venuto Calcifice, Petro dicto Tunisutto, Juliano Toderi, Stephano, Gregorio, Jacobo filio q.^{m} Ardussi, Florito dicto Abbate, Wuecillo dicto Tiraculino, Jacobo dicto Rafaello de Glemona, et aliis.

Cum D. Blasius Sacerdos in Ecclesia S. Marie majoris Plebis Glemone, Vicarius D. Widonis de Callio Plebani Glemone ex parte Reverendi Patris et D. D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia Episcopi Paduani, Administratoris Aquilegensis Ecclesie in spiritualibus et tem-

(a) Cominciando l'anno, come allora usavasi, a Nativitate Domini, i sette ultimi giorni del 1318 appartenevano al 1319. È perciò che quest' atto porta la data del 1319, quantunque sia stato rogato nell' anno precedente. Si esamini il Protocollo di questo Notajo, e resterà chiarito ogni dubbio.

poralibus a Sede Apostolica deputati, litteras recepit infrascriptas ejus sigillo de cera rubea integro et illeso impressas et munitas, continentes in hunc modum:

Paganus Dei, et Apostolice Sedis gratia Episcopus Paduanus, Administrator Aquilegensis Ecclesie in spiritualibus et temporalibus a Sede Apostolica deputatus, discretis viris Plebano Glemone, aut ejus Vicario, salutem in Domino.

Cum plures Collecte, que Apostolice Sedis Legatis debentur per Dominos Wilielmum Decanum et Capitulum Aquilegensis Ecclesie, Patriarchali Sede vacante, Clericis infrascriptis fuissent imposite, quas quidem Collectas in terminis eis statutis, nec etiam post, solvere minime curarunt, vobis tenore presentium, auctoritate qua fungimur districte precipiendo mandamus, quatenus ipsos Clericos diebus Dominicis et festivis in Missarum Solempniis excommunicatos fore, et ipsorum Ecclesias interdictas debeatis publice nuntiare, eosdem ex parte nostra monentes, ut infra quindecim dierum terminum post publicationem et presentium denuntiationem publice promulgatam, pecuniam de ipsis Collectis cuilibet contingentem, discreto viro D. Widoni de Villalta Aquilegensi Canonico, cui hoc est commissum Officium, solvere et assignare procurent. Quem terminum pro duobus editis, et uno peremptorio duximus statuendum. Alioquin ad privationem Beneficiorum et Ecclesiarum ipsorum procedere curabimus, sicut de jure nobis videbitur expedire: eis super istis non citatis ulterius, aut requisitis. De quarum publicatione et denuntiatione fidem nobis fieri volumus per publicum Instrumentum. Volumus insuper et mandamus per vos de man-

dato nostro publice prohiberi, ne quis, donec ipsi Clerici portiones persolverint de Collectis eis impositis, ipsis de redditibus et proventibus aliquibus Ecclesiasticis debeat responderi.

Datum Aquilegie VII. exeunte Decembre.

Qui non solverunt sunt hii; Plebes Artinee, Plebes Forgarie, Plebes Tercenti, Plebes Tricosimi, Plebes de Nimis, Plebes Furni, Hospitale Glemone, Hospitale Volti, Hospitale Susani etc.

Qui Dominus Blasius Sacerdos et Vicarius in Ecclesia Plebis Glemone predicte, secundum tenorem dictorum, in pergulo ipsius Ecclesie, predictos omnes ex parte ipsius D. Pagani Episcopi Paduani et Administratoris Domini Pape, denunciavit excommunicatos, et eorum Plebes interdictas, donec quilibet ipsorum persolverit suam portionem de impositis Collectis antedictis; et fecit, et singula omnia et universa complevit, et adhuc complere paratus fuerat, secundum quod in litteris antedictis plenius continetur.

Actum Glemone, in Ecclesia S. Marie Plebis majoris. A. N. U. o.

N.° 105.

1319

Cenni Storici intorno al Patriarcato di Pagano della Torre.

Cronaca Patriarcale.

Anno Domini M.CCC.XIX. Sanctissimus Papa Johannes providit de Patriarchatu Aquilegensi D. Pagano Episcopo Paduano.

Anno Domini M.CCC.XX. Die XII. Novembris, fuit prælium magnum in Utino apud domum Communis inter Dominos Hectorem, et Federicum, fratres, de Savorgnano, et eorum amicos ex parte una; et D. Sperantium et Vincilinum fratres, cum amicis suis ex altera; qui venientes ad injurias, cæperunt dictæ partes inter se acriter præliare; in quo dictus D. Hector per D. Sperancium fuit vulneratus, et Hermolaus et Daynetius interfecti. Dominus ... Patriarcha existens Civitate, statim cum sibi prædicta notificata sunt, cum festinatione equitavit Utinum cum Civitatensibus: qui Civitatenses una cum Utinensibus adierunt ad domos prædictorum D. Sperancii et Vincilini, et eas ceperunt, et ipsos fratres, et filium D. Thomasini, et alios quam plures circa XXVI. interfecerunt, et eorum bona abstulerunt. Ita quod pars D. Hectoris obtinuit cum adjutorio Civitatensium.

Anno Domini M.CCC.XXIII. D. Henricus Comes Goritiæ in festo S. Georgii hora vespertina venit ei quædam infirmitas, de qua statim ex improviso mortuus est Tervisio, et ibi honorifice sepultus.

Anno Domini M.CCC.XXIV. Venerunt in Forojulii magnifici Domini Duces Austriæ et Karinthiæ cum maxima hominum comitiva, facientes maximum damnum in Forojulii.

Anno Domini M.CCC.XXVII. Indictione decima. In festo Nativitatis Virginis Mariæ, in nocte, circa mediam noctem fuit subito tanta aquarum inundantia quod Natissa in tantum crevit, quod ivit per totum burgum Portæ Bressanæ ad portam usque Civitatis; et plures domos destruxit, et intravit aqua per cancellos Ecclesie

S. Petri in dicto burgo ... et omnia molendina destruxit, et præ nimia multitudine aquarum plura saxa maxima revoluta sunt....

Anno Domini M . CCC . XXXI. Indictione XIV. die XV. intrante Septembri, Domini Preogna de Zuccula, et Bartholomeus ejus frater, una cum D. Johanne de Villalta, et alia non pauca comitiva, furtive circa horam matutinam Dominorum majoris Ecclesie Civitatensis, per portam Leprosorum apposuerunt scalas ad murum burgi Pontis: et ii qui primo intraverunt burgum, fregerunt portas, et residui intraverunt. Qui statim ceperunt meliores et ditiores de dicto burgo, et eos in Turri q.m Salomonis carceraverunt, ipsos prius affidantes. Postmodum venerunt ad Pontem, et inciderunt dictum pontem, ponentes vasa versus Civitatem; et ultra pontem fecerunt fortilicium magnum a capite pontis. Et hora matutina homines Civitatenses sciverunt hæc: et facta die homines Civitatenses, et adversarii eorum se hinc et inde fortiter ballistabant, et extrinseci ballistabant cum sclopo versus Terram, et nihil nocuit. Porta aperta existente demum, plures de Civitate ibant super pontem, præcipitantes casas, quæ positæ erant super pontem in Natissa; et contra adversarios audacter pugnantes, et non potuerunt transire ad eos propter pontis fractionem. Circa vero horam Primæ, prædicti qui erant in burgo, voluerunt comburere pontem, portantes oleum, stuppam, et stramen, ut comburerent dictum pontem, quod homines Civitatenses scientes, et videntes, posuerunt se periculo; et violenter transeuntes pontem pauci de Civitate, eos in fugam verterunt; extrinseci vero videntes vexillum Virginis gloriosæ statim ver-

terunt, quorum tres interfecti fuerunt, cæteri vero vix abierunt.

N.° 106.

1319

Indice degli Atti contenuti in uno de' Protocolli di Eusebio da Romagnano, che non si è rinvenuto, o che esisteva un tempo in Archivio veteri Civitatis Utini.

2 *Gennajo.*

Confirmatio Plebis S. Marie in Sleuntz facta Wizmano de Legemburch.

Collatio Plebis S. Laurentii in Castro Stayn.

30 *Gennajo.*

Collatio Plebis S. Crucis in Scherphimberch vacantis per obitum P...., facta Naytardo q.^{m} Georgii de Vaustriz.

Possessio ei data a D. Alberto Archidiacono Saoniæ.

Possessio ab eodem Archidiacono data Volrico Pauli Bojani de Civitate, de Plebe S. Michaelis de Peilstayn.

Commissio Archidiaconatus Saoniæ discreto viro Alberto de Scherphimberch.

1 *Febrajo.*

Collatio Clericatus, seu Beneficii simplicis S. Mariæ prope Villam, quæ ab aliquibus dicitur S. Jacobi Villacensis, vacantis per resignationem Syuridi de Altemburch, facta Odorico de Strassoldo.

7 *Febrajo.*

Collatio Plebis S. Stephani prope Gillam vacantis per obitum Presbiteri Henrici, facta presbitero Paulo Eslario de Ulasperch obtentu Nobilis viri D. Caroli de Ulasperch militis Capitanei de Luntz; qui Presbiter Paulus obtinebat Capellaniam, seu perpetuum beneficium in Capella S. Johannis de Ulasperch.

9 *Febrajo.*

Paganus Administrator Aquilegensis confert Lanterio Canonico de Vicomercato Vicariam, quam habet D. Patriarcha Aquilegensis in Ecclesia Aquilegiæ, usque ad beneplacitum suum.

16 *Febrajo.*

Paganus revestivit illum, qui debet spazzare salam, et mundare fabam, de feudo suo.

19 *Febrajo.*

Collatio Canonicatus in Ecclesia Tridentina devoluti ad sedem Patriarchalem.

20 *Febrajo.*

Collatio Plebis S. Crucis prope Landestrot vacantis per obitum Nicolai q.m D. Pertoldi de Reutemberch, facta Francisco q.m Gaiselberti de Laybaco.

24 *Febrajo.*

Dispensatio super illegitimitate ad obtinendam Tonsuram et Beneficium.

7 *Marzo.*

Præsentatio facta Patriarchæ a Canonicis Civitatensibus de Electione ad Decanatum Civitatensem.

8 *Marzo.*

Edictum pro Electione Decani Civitatensis.

9 *Marzo.*

Paganus relaxat quoad officium, sententiam suspensionis latam contra Syuridum Canonicum S. Petri de Carnia.

Confirmatio Electionis factæ a Ramberto Plebano in Choltz de perpetuo Vicariatu S. Mariæ Magdalenæ in Littore, filiali ipsius Plebis vacantis per obitum presbiteri Herbordi in persona presbiteri Ottonis de Windisgraz.

15 *Marzo.*

Collatio minorum Ordinum cum Dimissoriis Aycardi Mediolanensis Archiepiscopi.

16 *Marzo.*

Protestatio Thadei Plebani in Circhniz, et presbiteri Henrici Plebani de Forgaria pro Decima.

17 *Marzo.*

Edictum pro electione Decani Civitatensis.

18 *Marzo.*

Commissio Causæ Monialium Aquilegiæ facta Decano Aquilegensi.

19 *Marzo.*

Collatio Plebis S. Nicolai in Nichleindorst vacantis per obitum presbiteri Ottonis, facta Hermanno q.^m^ Pertoldi de Rantayn, ad presentationem D. Meynardi Comitis de Ortemburch.

Possessio ei data a Waisperto Plebano in Vaustriz.

21 *Marzo.*

Collatio, seu Collationis Confirmatio Plebis S. Martini prope Craymburch in persona Presbiteri Henrici de Craymburch intuitu illustris D. Beatricis Goritiæ et Tirolis Comitissæ.

28 *Marzo.*

Commissio Causæ Episcopatus Veronensis in appellatione.

1 *Aprile.*

Procuratorium Pagani Episcopi Administratoris ad recipiendum a Commune Civitatis Venetiarum cc.xxv. marchas juxta pacta.

5 *Aprile.*

Collatio Plebis S. Mariæ novæ vacantis per resignationem Magistri Rolandi Scholastici Aquilegensis, facta Presbitero Nicolao Pratilini de Pleyburch.

12 *Aprile.*

Absolutio Philipponi de la Turre Canonici Aquilegensis ab excommunicatione, quam incurrerat non solvendo Decimas.

13 *Aprile.*

Collatio Vicariatus ad nutum Plebis S. Michaelis de Juna.

6 *Agosto.*

Commissio Causæ Vicentinæ in appellatione.

Commissio Causæ Paduanæ in appellatione.

8 *Agosto.*

Instrumentum Confessionis Dominorum de la Turre se recepisse centum et quinquaginta Marchas a Monialibus S. Mariæ Majoris de Aquilegia.

12 *Agosto.*

Litteræ Pagani Episcopi Administratoris Artuico Episcopo Concordiensi super Iconomatu Concordiensi, Sede vacante.

14 *Agosto.*

Investitura Habitantiæ in Viano.

16 *Agosto.*

Venditio fructuum Præbendæ Civitatensis.

18 *Agosto.*

Concessio Marchionatus Istriæ Franciscbino de la Turre.

19 *Agosto.*

Investitura Feudi ministerialis Magistro Bono de Utino Carpentario.

Prorogatio Trequarum Philippucci et ceterorum extrinsecorum.

22 *Agosto.*

Concessio Notariæ Civitatis Austriae pertinentis ad Patriarchatum, Zurlino q.m Vincentii de Civitate.

Investitura quorumdam bonorum in Attems.

23 *Agosto.*

Collatio Scolasteriae Civitatensis.

25 *Agosto.*

Praeceptum factum cuidam Johanni, qui morabatur in Monasterio Sororum S. Agnetis de Glemona ne unquam, sub paena excommunicationis appropinquet ipsi Monasterio per duas balistras.

31 *Agosto.*

Procuratorium in causa Paduana.

1 *Settembre.*

Investitura Dominorum Sergii et Nasinguerræ de Pola.

Investitura Johannis q.m Guerci de Justinopoli, et D. Guiscardi de Petra Pilosa.

Collatio Plebis S. Mariæ in Cheinirich vacantis per obitum Presbiteri Pertoldi, facta Georgio Meynardi de Geriach.

Intimatio Synodi.

4 *Settembre.*

Indulgentia concessa Ecclesiae Hospitalis Beati Thomae de Susano.

12 *Settembre.*

Fidejussio pro relaxatione cujusdam carcerati.

13 *Settembre.*

Commissio Causae Tridentinae in appellatione.

18 *Settembre.*

Citatio Presbiteri Stephani apud Zuchonesinum commorantis.

Concessio unius piscationis Odorlico Longo de Civitate in aquis de Chirniz, Brisa, Idria, Lisoncio, Tulmina, Jdrisca etc.

6 *Ottobre.*

Litterae Pagani Electi Aquilegensis, quibus conceditur Bertaldino de Glemona sequestrandi, et occupandi bona de Mercatoribus subditis illustrissimi D. Henrici Regis Boemiae, Ducis Karinthiae, Tirolis etc.

22 *Ottobre.*

Litterae Pagani Patriarchae Henrico Comiti Goritiae, quibus in sua protectione recipit bona ipsius Comitis commorantis in Civitate Tarvisii.

4 *Novembre.*

Collatio Plebis de Lok Einconi de Alzein ad praesentationem Chonradi Episcopi Frisingensis.

19 *Novembre.*

Resignatio Presbiteri Absalonis de Plebe Pribacii juxta Goritiam, et Collatio ejusdem, Presbitero Leonardo de Los.

29 *Novembre.*

Intimatio quibusdam fidejussoribus pro locatione Mute Sclusae et Montisfalconis.

1 *Decembre.*

Monitorium Clero pro solvendis Decimis.

Procuratorium ad recipiendum pecuniam a Conductoribus Mutae Sclusae et Montisfalconis.

2 *Decembre*

Finis remissio CL. Marcharum Verardi de Civitate.

13 *Decembre.*

Resignatio Abbatiae Rosacensis facta per Johannem Abbatem, et Electio D. Fratris Johannis de Osenago Abbatis Monasterii de Carraria, Paduanae Dioceseos.

18 *Decembre.*

Edictum super eadem Electione. A. C. U. c.

N.° 107.

Degli Atti che seguono non è indicata l' epoca; sembra ciò non ostante ch' essi per la maggior parte piuttosto che al 1319, *appartengano al* 1320.

8 *Gennajo.*

Compromissum inter Dominos Articum et Fratres de Pramperch, ac Commune de Gemona ex parte una, et nobiles viros Dominos Johannem, Petrum, Durigussium de Mels fideicommisarios q.m D. Duringi de Mels, super usuris.

13 *Febrajo.*

Concessio quatuor Mansorum in Pavia Guilielmo de Verdanio de Mediolano.

Concessio Speranti de Tulmino villarum de Zacharisio et Lubigna.

Commissio causae Feltrinae in appellatione.

23 *Febrajo.*

Dimissoriæ concessæ cuidam Subdiacono.

25 *Febrajo.*

Dimissoriæ pro ordinandis Monachis Monasterii S. Mariæ de Piro Ordinis S. Benedicti.

3 *Marzo.*

Investitura Arveri q.[m] D. Albertini de Monteregali.

Investitura quinque mansorum in Villanova.

17 *Marzo.*

Commissio Causæ Tarvisinæ in appellatione.

24 *Marzo.*

Permutatio Clericatus Quadruvii cum Plebanatu S. Michaelis de Gilla cum resignatione respectiva.

28 *Marzo.*

Litteræ Pagani Patriarchæ ad Johannem XXII Papam quibus significat se recepisse Pallium ab Artico Episcopo Concordiensi.

31 *Marzo.*

Concessio Communi Muglæ, quod Potestas ipsius Terræ gerat officium Gastaldionis Patriarchalis.

Aprile.

Aliae litterae ad Papam, ut supra, de Pallio.

27 *Aprile.*

Confirmatio Plebis S. Pancratii in Windisgraz facta Hyurico, olim institutae ab Ottobono Patriarcha.

20 *Settembre.*

Dispensatio cum Tremontano Plebano Plebis de Craymburch et Vorlico Bojani Plebanis Scholaribus Subdiaconis.

26 *Settembre.*

Investitio in generali Colloquio Dominorum de Prata, et de Polcenico cum vexillo.

27 *Settembre.*

Investitura Johannis dicti Fanti de S. Paulo.

Solutio Decimae D. Lemisti de campo S. Petri Plebani S. Michaelis de Juna.

Citatio Donati de Florentia Utini commorantis facta a Johanne Brico Communis de Utino.

Resignatio Officii Prebendariae in Ecclesia Aquilegensi; et collatio ejusdem Rosano de Modoetia Diacono.

6 *Ottobre.*

Compromissum inter Gualinum de Mediolano commorantem in Montefalcono ex una parte, et presbiterum Franciscum q.^{m} Antonii Moroni, et alios litis consortes ex altera.

8 *Ottobre.*

Commissio in causa appellationis Tarvisinae.

Deputatio Carletti de Ragonia in Tutorem Lorenuccio q.^{m} D. Armani de Ragonia minori.

13 *Ottobre*

Investitura Vermilii filii q.^{m} D. Cicognini de Mantua habitantis in Meduna de duobus habitantiis in Meduna.

14 *Ottobre.*

Confirmatio eorum, quae D. Henricus Comes Goritiae fecerat supra Muta de Tulmetio.

16 *Ottobre.*

Fidejussio quorundam reorum de Civitate cum prorogatione terminorum ad comparendum.

Comissio in causa appellationis Tarvisinae.

20 *Ottobre.*

Patentes concessae Priori, et fratribus Hospitalis S. Spiritus in Saxia de urbe pro colligendis elemosinis.

23 *Ottobre.*

Citatio Pancratii Plebani S. Danielis de Gilla.

25 *Ottobre.*

Investitura concessa Nicolao, Friderico, Chonardo, et Pertoldo, filiis q.m D. Eberardi de Altemburch militis, olim ministerialis Ecclesiæ Aquilegensis.

26 *Ottobre.*

Solutio Collectae facta a Reverendo Patre D. Fratre Alexandro Episcopo Feltrensi et Cenetensi.

28 *Ottobre.*

Confessio Petrae filiae q.m Ainguini de la Turre de Mediolano sponsae D. Bernardi de Strassoldo de Forojulio, et finis remissio de Dote recepta.

29 *Ottobre.*

Citatio Ulvini de Pramperch Canonici Civitatensis in causa civili.

8 *Novembre.*

Commissio causae Abbatis et Monasterii S. Justinae de Padua in appellatione.

In nostra proposuisti presentia constitutus, quod olim in dicta Plebe S. Marie in Sleuntz Aquilegensis Diocesis, per obitum q.m Ottonis Plebani ipsius loci, venerabilis noster frater Albertus Abbas Monasterii Somaquensis, tunc Vicarius Generalis bone memorie D. Ottoboni Patriarche Aquilegensis, habens super hoc ab eodem Patriarcha plenariam potestatem, Plebanatum dicte Plebis, sic vacantem cum omnibus juribus et pertinentiis suis, tibi, qui tunc Plebanatum Plebis S. Crucis de Rohatz dicte Diocesis obtinebas, de gratia speciali contulit et providit de illo; ac te per discretum virum Presbiterum Conradum Plebanum in Uraslau fecit in ipsius corporalem possessionem induci, quem acceptum tenes et habes, tenuisti et habuisti pacifice. Postmodum relicto Plebanatu dicte Plebis S. Crucis, illum, ut pote de jure vacantem, S. Mariæ assumpsisti: et ad majorem fidem eorum que asseruisti superius, quasdam litteras patentes dicti Abbatis ostendisti, per quas committebat jam dicto Conrado Plebano, ut te in possessionem mitteret Plebanatus predicte S. Marie, tibi per eum collati. Nunc vero timens, cum casu perdidisti litteras, sive instrumentum collationis hujusmodi tibi facte, ne super dicta Plebe malitiose, aut de facto aliquo tempore questio moveretur, supplicasti a nobis humiliter, ut providere super hoc de salubri remedio dignaremur. Nos igitur cupientes tue in hac parte providere quieti, et molestantium malitie obviare, tuis supplicationibus inclinati, possessionem dicte Plebis S. Marie in Sleuntz, quam habes ex concessione predicta, legitimo ratam, et gratam habentes, et quidquid per eam

habitam nomine ipsius Plebis rite fecisti, auctoritate Administrationis nobis commisse, quanto melius de jure possumus confirmantes, tibi, tuis suffragantibus meritis, Plebanatum hujusmodi Plebis cum omnibus juribus et pertinentiis suis iterum, et de novo conferimus, teque de ipsis per nostrum anulum presentialiter investimus. In quorum testimonium presentes litteras tibi concedimus sigilli nostri appensione munitas.

Datum Aquilegie, quarto nonas Januarii, anno Dominice Nativitatis M.CCC.XIX. Interfuerunt testes D. Frater Johannes Abbas Carrariensis, D. Francischinus de la Turre, magister Condeus de Calio medicus, et plures alii. A. N. U. o.

N.° 109.

1319 2 *Gennajo.*

Il Preposito di S. Pietro di Carnia ordina a Federico di Buja di rilasciare al Capitolo i suoi proventi.

Stefano da Cividale Not.

Mannus Prepositus S. Petri de Carnia, Federico de Buja Officiali Capituli Ecclesie salutem in Domino.

Dilectus noster Vicarius presbiter Syuridus Concanonicus noster nobis de te deposuit querimoniam, quod tu, temeritate propria, caseum et carnes, et quedam alia ad nos, et ad dictum Vicarium nostrum spectantia, in te retinere presumpsisti, et eidem Vicario no-

stro, ut tenebaris, dare recusasti, non attendens Constitutiones Provinciales, ac etiam statuta propria nostre Ecclesie, que tu, et alii debetis pro posse et honore Ecclesie observare. Quare te per presentes requirimus, et precipiendo mandamus sub excommunicationis pena, quatenus predicta per te retenta, nobis et Vicario nostro restituere usque ad diem Veneris proximum et venturum procures. Alioquin procedemus juxta Statuta nostra, et Constitutiones Provinciales, prout videbimus expedire honori Ecclesie nostre, et Ordo juris dictaverit.

Datum secundo intrante Januario. A. N. U. o.

N.° 110.

1319 11 *Gennajo Aquileja.*

Pagano chiama i Canonici di Cividale a render ragione dei frutti della prebenda del loro confratello Tiberio della Torre, già promosso al Vescovado di Tortona.

Stefano da Cividale Not.

Paganus Dei, et Apostolica gratia Episcopus Paduanus, Administrator Ecclesie Aquilegensis in spiritualibus et temporalibus a Sede Apostolica deputatus, discretis viris Bernardo Decano et Capitulo Ecclesie Civitatis Austrie Aquilegensis Diocesis, salutem in Domino sempiternam.

Cum, sicut nobis legitime constat, venerabilis pater D. Tyberius de la Turre Canonicus Ecclesie vestre, licet sit in Episcopatum Terdonensem assumptus et consecratus, nondum tamen, quorundam faciente malitia, ejusdem Episcopatus potuit pacificam possessionem habere, quamvis ipse per se, et alios fecerit, et faciat ad eam habendam totaliter posse suum. Quare cum maneat in jure, quod possint qui taliter ad Episcopatum assumpti, quousque pacificam potuerint Episcopatuum ad quos assumpti sunt, possessionem habere, et priora debeant beneficia obtinere, discretioni vestre, presentium tenore, monendo semel, secundo, tertio et peremptorie, ac nihilominus, auctoritate qua fungimur, districte sub excommunicationis pena in personas, et interdicti in Ecclesiam precipiendo mandamus, quatenus Paxino de la Turre nepoti et procuratori ejusdem D. Tyberii Episcopi de fructibus, redditibus et proventibus prebende, quam idem D. Episcopus in Civitate vestra obtinere dignoscitur, integraliter infra sex dies a receptione presentium computandos, respondere curetis, aut ipsa sexta die, si feriata fuerit, alioquin proxima sequenti non feriata, compareatis per Syndicum ydoneum coram nobis, prefato Paxino de justitia responsuri; facturi et precepturi super predictis, que ordo dictaverit juris. Alioquin contra vos in hoc negotio, prout de justitia fuerit, procedemus. Quare terminum unum pro tribus, et peremptorie assignamus ut parcamus partium laboribus et expensis.

Datum Aquilegie in Patriarchali palatio, die undecimo Januarii, Indictione Secunda. A. N. U. o.

N.° 111.

1319 12 *Gennajo Gemona.*
Tregua tra i Signori di Osopo.

Nicolò Boccapilosa Not.

Die xii. Intrante Januario. Presentibus D. Arnaldo de Vendoyo, Rodulphuccio de Cauriacho, Francisco Tusco commorante Glemone, Jacomino de Lecho, Wilgelmo filio ejus de Glemona, Sandulo Precone de Glemona testibus, et aliis.

D. Jacobus, D. Wolcherus, et D. Fortunatus de Osopio fecerunt Trevuas etc. D. Bonacosio, D. Bialo, et Pelavisino hinc ad Purificationem S. Marie per totum diem etc. A. N. U. o.

N.° 112.

1319 14 *Gennajo Aquileja.*
Guarnero di Pordenone crede di non potere di diritto tenere il Beneficio Ecclesiæ Albæ *finchè Tiberio della Torre, di lui antecessore, non è posto al possesso del Vescovado di Tortona.*

Stefano Guglielmini Not.

Die xiv. intrante Januario mense predicto. Aquilegie, in Patriarchali palatio. Presentibus viris venerabilibus Dominis Philippono Preposito Civitatis, Reynaldo,

Napino, et Lombardino de la Turre, et Lantherio de Uldrugio, et aliis.

Protestatus fuit in scriptis in hunc modum D. presbiter Warnerus coram Reverendo in Christo patre et D. D. Pagano Dei et Apostolice Sedis gratia Episcopo Paduano, Administratore etc. Cum ego presbiter Warnerus de Portunaone, pretextu litterarum Apostolicarum, et gratie mihi facte de primo vacante beneficio cum cura, aut sine cura, usque ad certam summam pecunie in eisdem litteris comprehensam, Plebem Ecclesie Albe in Marchia Sclavonie, quam credebam vacare per promotionem venerabilis Patris D. Tyberii quondam predicte Plebis Plebanum, ad Episcopatum Terdonensem, post ipsius D. Tyberii consecrationem coram vobis acceptassem, si mihi deberetur de jure, quia post acceptationem predictam ipsius plebis, a pluribus fidedignis viris certam notitiam de statu et conditione ipsius D. Tyberii et sui Episcopatus habentibus, didici et intellexi quod idem D. Tyberius pro certo nondum est assecutus possessionem Episcopatus sui, nec administrationem ipsius habet pacificam et quietam, nec per ipsum remaneat quominus possessionem assequatur predictam; sed propter inimicitias capitales vigentes inter ipsum, et domum suam de la Turre, et D. Matheum Vicecomitem dominum Terdone, et dominium ipsius Civitatis, Episcopatus, et Diocesis dicti D. Episcopi habentem; ex qua causa ad Ecclesiam suam, et ad bona ipsius Episcopatus in Civitate et Diocesi aditum hucusque non potuit habere securum, nec in persona sua, nec procuratoribus, aut familiaribus suis; propter quod sapientes videntur asserere pre-

dictam Plebem primo habitam, nec ejus priora beneficia vacare de jure: ego presbiter Warnerus coram vobis protestor, quod ab acceptatione hujusmodi Plebis et ejus assecutione, ex quo mihi non debetur de jure, intendo desistere et abstineri, et intendo permanere sub expectatione alterius primi vacantis beneficii, quod mihi de jure debeatur, secundum formam litterarum mearum. Si autem interim apparebit quod predicta Plebes de jure vacet, et quod de jure mihi posset deberi, et nullum sim aliud beneficium interim assecutus, in acceptatione ipsius Plebis, si mihi valere poterit, intendo persistere, aut ipsum beneficium, alias, si mihi de jure debebitur, et mihi videbitur, de novo iterum acceptare. R. o.

N.° 113.

1319 15 *Gennajo Flagogna.*

Simone di Flagogna promette di vendere la parte del Castello a lui spettante ad Enrico Conte di Gorizia.

Antonio di Ailino di Maniaco Not.

Anno Domini M.CCC.XIX. Indictione secunda, die XV. intrante Jannario. In presentia D. Odorici de Aviano, D. Jacobi, D. Jacutii extrinseci de Civitate, Bentivegna de Florentia, et aliis.

D. Simon de Flagonia stetit et promisit in manu D. Galvani de Maniaco vendere suam partem Flagonie cum omnibus juribus et bonis que habet in ea, juditio

duorum amicorum suorum, D. Com'ti Goritie, et hoc in pena centum marcharum etc.

Actum Flagonie, in quodam bajarcio D. Nicolai generi D. Putti, sito ante Ecclesiam, et recto per Musuluttum. A. N. U. o.

N.° 114.

1319 17 *Gennajo.*

Pagano ordina che gli venga presentata una copia del Privilegio col quale Enrico Conte di Gorizia avea dato in feudo a Febo e Raimondo della Torre il Castello di Flambro e sue adjacenze.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Die XVII. Januarii. In Patriarchali palatio predicto. Presentibus testibus D. Guilielmo Decano, et Lombardino de la Turre Canonico Aquilegensi, presbitero Johanne de Portis Rectore Ecclesie S. Martini de Campodarsico Diocesis Paduane, et Materno de Opreno, Capellano subscripti D. Episcopi Administratoris, ac multis aliis.

Idem D. Episcopus Administrator ad instantiam nobilis viri D. Philipponi de la Turre Prepositi Ecclesie Civitatis Austrie, volens probationibus subvenire, viso et undique diligenter inspecto quoddam Privilegio publico Magnifici Principis D. Henrici Goritie et Tirolis Comitis, ejus sigillo pendenti sano et integro sigillato, non abraso, non corrupto, nec in aliqua sui parte suspecto,

cujus tenor infra scribitur, precepit mihi Eusebio de Romagnano, publico Imperiali Auctoritate notario, ut illud transcriberem, et tenorem ipsius in publicam formam redigerem, ad fidem perpetuam faciendam: decernens et statuens ut hoc ejus exemplum eandem vim habeat, eundemque vigorem, et idem robur obtineat per omnia, quod Originale predictum noscitur obtinere, et si illud nunquam de cetero appareret. Ejus tenor talis est.

In nomine Domini nostri Jesu Christi, amen. Nos Henricus Goritiae et Tirolis Comes, Aquilegensis, Tridentine et Brixinensis Ecclesiarum Advocatus, et totius Forijulii Capitaneus generalis, presentibus profitemur, quod viri Nobiles Domini Febus et Raymundus fratres de la Turre prosequi intendentes, et volentes operum ostendere profectum, per nos, et nostros heredes dedimus, tradidimus, et concessimus eisdem pro se et eorum heredibus, tam masculis, quam feminis, et cui jus suum dare voluerint recipientibus, ad rectum et legale Feudum tam in masculis, quam in feminis, Castrum Flambri cum burgo adjacente, nec non campis, pratis, silvis, nemoribus, terris cultis et incultis quocumque nomine censeantur: cum arboribus, vitibus, et plantis, aquis, et aquarum decursibus, piscationibus, venationibus et districtibus ad ipsum Castrum, seu ad nostrum Comitatum ratione dicti Castri spectantibus de jure aut de facto. Et de hiis omnibus eos ad rectum et legale feudum in masculos et feminas, ut dictum est, manu propria investimus ad habendum, tenendum, possidendum, et quidquid eis placuerit faciendum, hujusmodi jure feudali in omnibus semper salvo: cum liberis accessibus et egressibus suis

usque in vias publicas, omnique jure, actione, usu, requisitione, servitute, dominio, et honore, commodo et utilitate ad dictum Castrum et burgum, seu ad nos ipsorum ratione pertinentibus de jure aut de facto. Constituentes nos dictorum Dominorum Febi et Raymundi Fratrum de la Turre predictas res precario nomine possidere, donec ipsarum tenutam et possessionem accepeerint corporalem: quam accipiendi et retinendi, et auctoritate propria aprehendendi eisdem licentiam omnimodam conferimus, atque damus: eis nihilominus Albertum Notarium de Goritia, Plebanum de Laucinicho tenute Nuncium, qui ipsos in earundem rerum tenutam et corporalem possessionem inducat, quandocumque de eorum prestiterit voluntate. Promittentes nos Henricus Comes Goritie supradictus per nos et nostros heredes memoratos, Dominis Febo et Raymundo fratribus de la Turre, pro se ac suis heredibus, aut cui jus suum dare voluerint stipulantibus, nunquam per se aut interpositam personam de predictis rebus, aut earum aliqua movere litem, nec questionem, nec contra predicta, aut eorum aliquod dicere, facere, aut venire ratione aliqua, dolo, vel ingenio, sive causa; sed ea universa et singula firma et rata habere perpetuo, et tenere; ipsaque ab omni homine et persona legitime defendere, manutenere, auctorizare, ac in solidum disbrigare, cum omnium dampnorum et expensarum litis et extra refectione. Dicti quoque Domini Febus et Raymundus fratres de la Turre ipsi D. Comiti fidelitatis juramentum prestiterunt, quod prestari in talibus consuevit: hoc addito, et habito inter nos D. Comitem,

et prefatos Dominos Febum et Raymundum, quod ipsi per se, et suos heredes, et cui jus suum dederint, nobis, ut vassalli Domino suo, solum in Forojulio, et tantummodo inter Tulmentum et Isuntium, teneantur, ratione predicti Feudi, servire.

Datum in Civitate Austria, in domo de Portis, sub anno Domini M.CCC.XIII. Indictione XI. die XI. intrante Martio. In presentia Dominorum Widonis Decani Aquilegensis, Tyberii de la Turre, Napini de la Turre Prepositi S. Odorici, Rauli magistri Curie nostre, Henrici Insulensis, Karoli de Pisino et Henrici de Goritia militum, Deytmarii de Veinserich, Vicardi de Petra Pilosa, Philippussii de Civitate, et Federici de Portis, et aliorum quamplurium ad hoc vocatorum et rogatorum testium. Et ad majorem evidentiam, cautelam, et robur predictorum, presentes fieri jussimus, et nostri sigilli munimine roborari. A. T. c.

N.° 115.

1319 24 *Gennajo Aquileja.*
Pagano ordina che sia pubblicata l' elezione dell' Abbate di Arnolstayn.

Stefano da Cividale Not.

Paganus Dei, et Apostolica gratia Episcopus Paduanus, Administrator Ecclesie Aquilegensis in spiritualibus et temporalibus a Sede Apostolica deputatus, Religiosis viris Fratribus et Conventui Monasterii S. Geor-

gii in Arnolstayn Aquilegensis Diocesis; nec non universis et singulis, quos presens tangit negotium, salutem in Domino sempiternam.

Noveritis, quod Frater Gebardus Monachus Monasterii predicti, et Conventus vestri Procurator et Nuntius specialis ad presentiam nostram accedens, nobis presentavit et dedit Electionem, et Electionis decretum facte de religioso viro Fratre Johanne Monacho Monasterii S. Petri de Rosatio Aquilegensis Diocesis, in ipsius Monasterii vestri per compromissum concorditer celebratum, Abbatem Electum; petens a nobis quatenus, instante auctoritate Administrationis nobis commisse, dictam Electionem, tanquam Canonicam, confirmari. Nos autem in predictis procedere juxta Ordinem intendentes, presens in eodem Monasterio vestro providimus solempniter publicari. Vos igitur primo, secundo et tertio peremptorie, presentium tenore, requirimus et monemus, quatenus, si quis vestrum, aut alius quicumque extra monasterium velit predicte Electioni se opponere, aut contra personam Electi rationabile quidquam obiicere, infra quinque dierum spatium post publicationem presentium in ipso Monasterio factam, per se, aut per procuratorem idoneum coram nobis in Patriarchali palatio Aquilegensi comparere procuret; dicturus, et objecturus quidquid voluerit et potuerit in premissis. Alioquin nemine ulterius expectato, in prefate Electionis negotio procedemus, prout nobis videbitur expedire.

Datum Aquilegie, in Patriarchali palatio, die XXIV. Januarii, secunda Indictione. A. N. U. o.

N.° 116.

1319, 24 *Gennajo Cividale.*
Bernardo di Ragonia Decano di Cividale instituisce due nuove prebende in quel Capitolo.

Stefano Guglielmini Not.

Die octavo exeunte dicto mense Januarii. In Choro Majoris Ecclesie Austrie Civitatis, Aquilegensis Diocesis, Presentibus venerabilibus viris Dominis Manno de Florentia, Guarnero de Pulzinico, Nicolao de Portis, Johanne Thesaurario, et Petro de Orsaria omnibus Canonicis Ecclesie supradicte; discretis viris Guilelmo nepote q.^{m} magistri Gualteri, et Antonio notario de Civitate predicta testibus, et aliis vocatis et rogatis.

Venerabilis vir D. Bernardus de Ragonia Decanus Ecclesie Civitatensis, Aquilegensis Diocesis voluit, ordinavit, instituit, et mandavit nomine Codicilli, ac de novo creavit duas infrascriptas Prebendas in Civitate modo subdistincto, ad honorem Sancti Spiritus et victoriosissime S. Crucis, atque gloriose Virginis Marie Matris Christi cum bonis, et redditibus infrascriptis; tali pacto et conditione, quod Decanus ejusdem Civitatensis Ecclesie, qui pro tempore fuerit, de illis Prebendis providere, ipsasque conferre teneatur infra dies octo post decessum, seu resignationem illius, seu illorum, qui eas habuerint. Quod si non fecerit, Capitulum ejusdem Ecclesie habeat infra alios dies octo auctoritatem liberam conferendi; Si vero Capitulum infra prefatos dies non contulerit, tunc

ad Dominum Patriarcham Aquilegensem, pro illa vice, dictarum Prebendarum collatio devolvatur. Ita tamen quod nec dictus D. Patriarcha, nec Decanus, nec Capitulum ipsas Prebendas conferre possint alicui Canonico, mansionario, aut beneficiato, sed solummodo pauperibus Sacerdotibus, qui nullum sint Ecclesiasticum beneficium assecuti. Quodque primus Sacerdos prebendarius singulis diebus in choro dicte Ecclesie, super altare S. Bartholomei, Missam de S. Spiritu dicere teneatur; in qua quidem Missa secundam Orationem dicat pro anima dicti D. Decani, hanc videlicet: Presta quesumus omnipotens Deus, ut anima famuli tui Sacerdotis etc. et tertiam Orationem de Beata Virgine gloriosa, et si plures Orationes dicere voluerit, dicat ad votum. Ita etiam quod dictus presbiter statim post illam, que secunda Missa nominatur, et que in Capella S. Donati, seu alibi per dictam Ecclesiam celebrabitur, die quolibet sit paratus ad dictam Missam de S. Spiritu, ut predicitur, celebrandam. Secundus vero Sacerdos prebendarius similiter singulis diebus Missam de S. Cruce dicere teneatur super altare S. Crucis Ecclesie supradicte, atque secundam Orationem dicere de B. Maria Virgine gloriosa, et tertiam Orationem: omnipotens, sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum etc. et si plures Orationes dicere voluerit, dicat ad votum. Qui quidem Sacerdos cum incipitur pulsari ad Primam, statim paratus exeat Sacristiam ad dictam Missam de S. Cruce, ut predictum est, celebrandam. Si vero aliquis dictorum Sacerdotum in sua prefata Missa esset negligens, aut remissus, vice qualibet in duobus denariis Aquilegensibus

condempnetur, cum quibus Sacrista, qui pro tempore fuerit Ecclesie supradicte, celebrari faciat unam Missam. Item quod dicti duo Sacerdotes ire teneantur cum aliis duobus prebendariis ejusdem D. Decani singulis diebus feriatis, et non feriatis cum Cruce post exequias Capituli, super ipsius D. Decani sepulchrum, et ibidem dicere Vesperas mortuorum, quodque teneantur in choro ejusdem Civitatensis Ecclesie Officio divino continue interesse, atque diebus singulis dicere Officium gloriose Virginis Marie, juxta majus altare, finita tamen prima Missa, que in eodem Altare de ipsa B. Virgine celebrabitur. Item quod si predicti Sacerdotes predicta non possent facere per se ipsos aliquo impedimento detenti, faciant fieri suis stipendiis per alios Sacerdotes. Item quod correctio dictorum Sacerdotum spectet solummodo ad Decanum, aut Vicedecanum Civitatensis Ecclesie supradicte. Item quod si aliquis dictorum Sacerdotum manifeste cohabitaverit, incontinenti ammoveatur, et pro rata temporis illius anni restituat successori de redditibus infrascriptis. Item quando aliquis ipsorum Sacerdotum decederet, aut forsitan supradictam Prebendam resignaret, teneatur similiter pro rata temporis illius anni de redditibus infrascriptis dimittere successori. Insuper dicti prebendarii Sacerdotes in Institutione sua jurabunt omnia et singula in Instrumento presenti contenta, bona fide, et sine fraude attendere, complere, ac inviolabiliter observare; ita quod nec cultus minuatur divinus, nec etiam dicti D. Decani anima defraudetur. Item quod si aliquis dictorum Sacerdotum institutus excederet, propter quod esset a Prebenda, seu beneficio hujusmodi removendus,

Decanus Ecclesie Civitatensis, qui pro tempore fuerit, absque cause cognitione, ipsum valeat removere, et alium loco ejus instituere Sacerdotem.

Redditus autem ad primam Prebendam altaris S. Bartholomei, sive ad ipsius altaris Prebendarium pertinentes, tales sunt. In primis Brunettus et Frater de Iplis solvunt sex starios frumenti, et quatuor congios vini, duos starios milii, unum starium anone, et octo denarios pro uno edo. Item in eadem villa de Iplis, ille de pastotta solvit sex starios frumenti, duos starios milii, unum starium anone, quadraginta sex denarios, et unum edum. Item mansus Petri de Gallano solvit sex starios frumenti, et sex congios vini.

Secunde vero Prebende redditus ad altare S. Crucis, sive ad ipsius Altaris Prebendarium hii sunt. In primis in Ramanzaco mansus, qui regitur per Franciscum et Laurentium, solvit sex starios frumenti, sex starios anone, tres starios milii, quadraginta quatuor denarios, duas spatulas, unum anserem, quatuor gallinas cum ovis, unum edum, et duos panes de quatuor Veronensibus pro pane. Item alius mansus in eadem villa, qui regitur per Jacobum et Johannem Brati, solvit sex sextarios et medium frumenti, novem starios anone, tres starios et medium milii, quadraginta unum denarium, duas spatulas, quatuor gallinas cum ovis. Item ambo predicti mensi solvunt tres congios vini. Item dicti Jacobus et Johannes pro parte Molendini solvunt unum starium siliginis. Item unus mansus in Bultinico, qui regitur per Viduscium de eadem villa, solvit quatuor starios frumenti, quatuor starios anone, tres starios milii, tres con-

gios vini, quatuor gallinas cum ovis, et sexdecim denarios. Ita quod si non valet jure Codicillorum, valeat saltem jure quocumque potest valere melius et tenere.

Die octavo intrante mense Februarii. In majori Ecclesia Civitatensi. Presentibus D. Johanne Custode, et Francisco Subcustode ejusdem Ecclesie, presbitero Jacobo dicto Pissapoco, et Petro Fondani de Civitate predicta, et aliis.

Venerabilis vir D. Guido de Manzano Canonicus Civitatis, nuncius datus, ut dicitur, ponendi in tenutam et corporalem possessionem, aut quasi, presbiterum Danielem, et presbiterum Bonifacium a D. Bernardo Decano Civitatensi; dictum presbiterum Danielem, accipiendo cornu altaris S. Bartholomei, et dictum presbiterum Bonifacium, accipiendo cornu altaris S. Crucis, eosdem in tenutam et corporalem possessionem, aut quasi, imposuit et induxit. R. o.

N.° 117.

1319 25 *Gennajo Cividale.*

Formalità colla quale venia a taluno duto il possesso di una casa, o di un fondo comprato.

Stefano Guglielmini Not.

Die septimo exeunte Januario. In brayda subscripta. Presentibus Magistro Artuyco Fabro de Porta Broxana et Bernardo ejus filio, Daniele de dicta Porta Broxana fratre D. presbiteri Jacobi de dicto loco, et aliis. Cum

discretus D. Presbiter Odorlicus Mansionarius Ecclesie Civitatensis emisset a Blanzutto Beccario de Civitate et Leonardo nepote ejus quandam braydam, sitam extra Portam Broxanam, confines cujus inferius annotantur, potestas et dominium cujus brayde ad venerabilem Dominam Beatricem Abbatissam majoris Monasterii, seu ipsum majus Monasterium de Civitate dicitur pertinere, discretus vir D. presbiter Jacobus Capellanus Ecclesie S. Marie de Curia de Civitate, nuntius datus tam ab ipsa Domina Abbatissa, quam a venditoribus superscriptis, ipsum D. Odorlicum emptorem in tenutam et possessionem corporalem, accipiendo ramos in manibus cujusdam vitis, legitime imposuit et induxit. Confines vero dicte Brayde sunt hii, ab una parte est terra dicti emptoris, ab alia est terra Danielis testis predicti, et ab aliis duobus lateribus sunt vie publice, aut alii, si qui forent confines.

Die xii. exeunte mense Junii. In villa Sacudelli. Presentibus D. Bernardo de Civitate Plebano de Vigonovo, et Venuto ejus famulo, Nicolao Spadula, et Nicolao Murasina de dicta villa Sacudelli, et aliis. Venutus predictus, datus in nuntium, ut dicebat, a D. Anastasio de Laurenzagla, nunc Portugruarii residente, ponendi in tenutam et corporalem possessionem D. Odorlicum de Midea Plebanum S. Johannis de Casarsa de quodam manso sito in dicta villa, et omnium jurium spectantium ad eundem; qui quidem mansus regitur per Odorlicum q.m Domenis; accipiendo paleas domus dicti mansi, prout in talibus fieri moris est, ipsum in tenutam et corporalem possessionem induxit. R. o.

N.° 118.

1319 27 *Gennajo Cividale.*

Bernardo di Ragonia Decano di Cividale dona cento Marche per la costruzione di una parte del muro della Città.

Stefano Guglielmini Not.

Die quinto exeunte dicto mense Januarii. In Choro Majoris Ecclesie Austrie Civitatis. Presentibus viris venerabilibus Dominis Guarnero de Pulzinico, Nicolao de Portis, Odorlico de Strassoldo, Johanne Custode, et Petro de Orsaria Canonicis ejusdem Ecclesie Civitatensis, Morandino, Johanne Rubo, et Dominico Nigro Mansionariis dicte Ecclesie; prudentibus viris Dominis Fulchero de Savorgnano, Guilielmo nepote q.m Magistri Walteri, et Antonio Notario de Civitate, et aliis. Venerabilis vir D. Bernardus de Ragonia Decanus Ecclesie Civitatensis, Aquilegensis Diocesis, volens dilectionis affectum, quem habuit et habet communiter et singulariter erga homines et Commune de Civitate ostendere per effectum, dictis hominibus et Communi, volentibus murare, seu murari facere Burgum pontis de Civitate predicta, in suffragium et adjutorium dicti muri fiendi dedit, tradidit, et donavit centum Marchas denariorum Aquilegensis monete, quas habet, ut dixit, D. Johannes Custos predictus in deposito, seu servamine ab eodem, prout idem D. Johannes ibidem confessus et contentus fuit tantam esse pecunie quantitatem. LXXII. Marchas scilicet in Venetis

grossis, et residuum in denariis de xx. et xxII. Hiis tamen modo et conditione, quod si dictus murus in circuitu dicti Burgi cum rochis, seu merlis a proximo nunc venturo festo Purificationis Beate Marie Virginis gloriose, usque ad unum annum immediate subsequentem completum ea altitudine et latitudine, qua inceptus fuit murus per filios Salomonis ibi prope domum q.m magistri Venture Sartoris de Civitate, perfectus fuerit et completus, quod dictus D. Custos, dictas centum Marchas eidem Communi libere debeat assignare et dare. Si vero usque ad dictum terminum, dictus murus cum rochis, seu merlis, ut predicitur, in circuitu, perfectus non existeret et completus, tunc idem D. Johannes Custos predictas centum Marchas eidem D. Decano, si viveret, reddere teneatur, aut eas dare, si non viveret, Capitulo Civitatensi; cum quibus denariis Capitulum redditus distribuendos die Anniversarii sui inter Canonicos et Mansionarios presentes, una cum aliis bonis per eum relictis emere teneatur. Que omnia et singula dictus D. Johannes Custos, ad petitionem prefati D. Decani, juxta formam prescriptam, corporali ad sancta Dei Evangelia prestito Juramento, promisit attendere et inviolabiliter observare; protestans quod in se non suscipiebat casus furti, incendii, aut rapine, aut aliquos casus alios fortuitos. R. o.

N.° 119.

1319 3 *Febrajo.*

Nomina del Cursore della Curia.

Die tertia mensis Februarii. Presentibus Jacobo Bojani Ordinis Predicatorum, Presbitero Johanne de Cam-

podarsico, Paduane Diocesis, Capellano subscripti D. Episcopi Administratoris. Idem D. Episcopus Administrator constituit Cursorem suum et Curie sue, Antonium natum q.^{m} Francini Grassi de Mediolano, qui juravit fideliter suum Officium exercere. C. F. o.

N.° 120.

1319 4 *Febrajo Cormons.*
Tregua fra i Signori di Maniago e di Pinzano.

Simeone da Gemona Not.

Die quarto Intrante Februario. In villa de Cormons, in area Magnifici viri D. Henrici Comitis Goritie etc. Presentibus venerabilibus et discretis viris Dominis Odorlico de Strassoldo, Vicario predicti D. Comitis, Widone de Manzano, D. Jacobo de Cormons, Federico de Savorgnano, Federico Verbito de Utino, et aliis.

D. Calvanus de Maniaco juravit in manibus magnifici D. Henrici Comitis Goritie de faciendo, et tenendo bonas Trevuas pro se et domo sua, adjutoribus, amicis, parentibus, et subditis, et pro omnibus quos posset ponere et extrahere, omnibus Dominis de Pinzano, et eorum adjutoribus, amicis, parentibus, subditis, et omnibus eorum servitoribus usque ad proximum festum S. Georgii per totam diem:- exceptis qui fuerunt ad mortem Amerlici fratris sui, videlicet Federicus D. Vilielmi q.^{m} magistri Walteri, et Philippus de Portis filius q.^{m} D. Ossalci, et illi de Fonte bono, sub pena trecentarum

Marcharum solidorum; medietas cujus pene predicto D. Comiti, et alia medietas parti observanti. Tali pacto et conditione apposita, quod si aliquis ex parte dicti D. Calvani, aliquid faceret pro quo dicerentur Trevue forent rupte, aut non observate, communis amicus dicti D. Calvani, una cum amico illorum de Pinzano, coram predicto D. Comite venire, et comparere debeant infra xv. dies: et si aliqua pars noluerit venire, hoc debeat esse ad voluntatem D. Comitis ad comparendum.

Item quod aliquis dictorum Dominorum, aut eorum masnata non debeant venire in villam, aut Castrum de Maniaco usque ad dictum terminum; et e converso illi de Maniaco non debeant venire in villam de Pinzano, neque in Castrum Pinzani.

Item quod dicti Domini de Pinzano non teneantur habere aliquem prope se, vel in suis locis de predictis qui fuerunt ad mortem dicti fratris sui: et si aliquis nunc esset prope eos, ipsi usque ad octo dies habeant eos licentiare, nec amplius usque ad dictum terminum tenere; et ita juravit ibidem corporaliter ad sancta Dei Evangelia, presentibus, ut supra, predictas Trevuas observare, sub pena predicta, cum obligatione omnium suorum bonorum. Pro quibus omnibus attendendis et firmiter observandis, precibus dicti D. Calvani, et pro eo, fidejussores pro rata extiterunt ut infra; videlicet D. Matheus de Ragonia, et Petrus ejusdem loci, Jacomussius filius Vitussii de Ragonia, qui pro patre ejus ratificabit, Hermanucius de Ragonia, Philipussius D. Conraduccii de Civitate, Zuanninus et Virgilius ejusdem loci, Jacomes Ognuben de Civitate, Odorlicus de Aviano,

Fulcherius de Osopio, Leonardus de Flagonia, Johannes de Flagonia. Qui omnes pro rata, ut dictum est, fidejusserunt etc. cum obligatione omnium suorum bonorum mobilium et immobilium etc.

Die predicto, videlicet quarto intrante Februario. Presentibus D. Odorlico Plebano de Strassoldo, Widone de Manzano, Jacobo de Cormons, Federico de Savorgnano, Nicolao et Petrino de Civitate, et aliis.

Franciscus de Pinzano pro se, et domo tota de Pinzano, pro omnibus sequacibus, eorum adjutoribus, servitoribus, parentibus et amicis eorum, et pro omnibus quos posset ponere et extrahere, juravit corporaliter ad Sancta Dei Evangelia, in manibus predicti D. Plebani de Strassoldo recipientis vice et nomine magnifici viri D. Henrici Comitis Goritie et totius Terre Forijulii Capitanei generalis, habere et tenere bonas Trevuas Calvano, omnibus de Maniaco, et omnibus eorum sequacibus, adjutoribus, servitoribus, amicis, et parentibus eorum, usque ad proximum festum S. Georgii proximi venturi, per totam diem, et sub pena trecentarum marcharum solidorum: medietas cujus pene cedat D. Comiti predicto, et alia medietas parti observanti; cum omnibus pactis et conditionibus in singulis Capitulis affirmatis, sicut in alio Instrumento, ut supra, continetur; et ibidem elegit D. Federicum de Savorgnano suum amicum.

Pro quibus omnibus attendendis, et firmiter observandis, precibus ipsius D. Francisci et pro eo, fidejussores pro rata extiterunt D. Federicus de Savorgnano, Odorlicus de Pinzano, Philippus de Portis, Vitussius

de Flagonia, Fantussius frater ejus, Odorlicus de Varmo, Henricus de Varmo, Stephanuttus de Murutio. Qui omnes pro rata, ut dictum est, fidejusserunt etc. cum obligatione omnium suorum bonorum etc.

Actum in villa de Cormons, prope Cortinam S. Marie, in via publica.

Item die predicto, et coram Plebano de Strassoldo, Widone de Manzano et Jacobo de Cormons, et aliis. Cum D. Calvanus protestasset faciendo Trevuas Dominis de Pinzano, et asserendo, quod cum Domini de Porcileis Trevuas cum ipso haberent, que Trevue ante festum S. Gregorii aspirassent, si aliqua eis facere nollet, caderet in pena Trevuarum, cum dicte Trevue non pertineant ad istas; et quia quidam Nobilis ibidem dicebat, quod non esset conveniens, et petebat a Domino sententiari, ut dicte Trevue essent ad predictum terminum; dictus magnificus vir D. Henricus Comes Goritie etc. dictas Trevuas prorogavit usque ad Dominicam Olivarum, asserens quod bene videbat quod dicti D. de Porcileis predictam Trevnam servarent ad petitionem suam, et habebat fidem. A. N. U. o.

N.° 121.

1319 4 *Febrajo Cormons.*
Tregua fra Filippo de Portis e Filippuccio de Gallutiis.

Odorico Not.

Die quarto intrante Februario. In villa de Cormons, ante aryam D. Comitis. Presentibus D. Francisco

de Ungrispach, et Balda ejus cognato, Alberto notario D. Comitis, Jacobo filio D. Johannis magistri Ottonelli de Civitate, Chonno de Florentia, Civitate commorante, et aliis.

D. Philippus q.m D. Johannis de Portis de Civitate juravit Philippuccio q.m Coradutii de Gallutiis de Civitate, et suis parentibus, amicis et coadjutoribus Trevuas usque ad proximum festum S. Georgii. Promittens illas habere ratas et firmas sub pena ducentarum Marcharum denariorum novorum Aquilegensium, obligando ad hoc omnia sua bona tam habita, quam habenda etc. secundum quod dictus Philippussius juravit et fecit. A. N. U. o.

N.° 122.

1319 5 *Febrajo.*
Richiami de' Canonici di S. Pietro di Carnia contro il loro Preposito.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Anno M. CCC. XIX. Indictione secunda. Discreti viri D. presbiter Odolricus suo, et presbiteri Symonis de Valeriano, cujus procurator existit, presbiter Bertholotus, presbiter Petrus, Fredericus de Buya, et Guido de Manzano Canonici Ecclesie S. Petri de Carnia, constituti coram venerabili viro D. Fratre Johanne Abbate Monasterii de Carraria Paduane Diocesis, Auditore et Vicario Reverendi Patris D. Pagani Dei gratia Epi-

scopi Paduani, Administratoris Ecclesie Aquilegensis a Sede Apostolica deputati, presente D. Manno ejusdem Ecclesie Preposito, ac etiam Syurido Canonico ipsius Ecclesie, dederunt et obtulerunt ipsi D. Abbati recipienti nomine dicti Episcopi, supplicationes infrascripti tenoris.

Coram vobis, venerabili in Christo Patre et D. D. Pagano Dei gratia Episcopo Paduano, Aquilegensis Ecclesie in spiritualibus et temporalibus a Sede Apostolica Administratore deputato, proponunt et dicunt Canonici et Capitulum Ecclesie S. Petri de Carnia contra D. Mannum Prepositum dicte Ecclesie, quod licet dicta Prepositura, que curam habet animarum, residentiam exigat personalem, ipse tamen absque causa rationabili, et absque sui Superioris licentia, dictam Ecclesiam deseruit, nec in ipsa, tanquam sue salutis immemor, licet sepius monitus, a decem octo annis citra residentiam fecit, ut tenetur. Propter quod dicta Ecclesia in spiritualibus et temporalibus passa est, et patitur non modicum detrimentum.

Item quod dictus Prepositus est, et fuit majori excommunicatione publice innodatus per processum et sententiam magistri Alberti de Tortona q.m Canonici Aquilegensis a Sede Apostolica Judicis delegati, in qua sententia XVIII. annis permansit, divinis ministeriis se, ut prius, temere immiscendo.

Item quod Prepositus predictus, in ejusdem Ecclesie, et ipsorum Canonicorum non modicum prejuditium et gravamen, Capellas et Ecclesias ipsorum prebendis annexas, nec non quartesia et alia jura dictis

Canonicis deputata, violenter, et contra justitiam occupavit, et occupata detinet, quorum summa ascendit valorem ducentarum marcharum, et ultra. Propter quod dicti Canonici in dicta Ecclesia residere non valent, nec, ut tenentur, possunt dicte Ecclesie in divinis obsequiis, et aliis deservire.

Item quod dictus Prepositus, tanquam innobediens, Constitutiones in Synodo per venerabiles patres Dominos Patriarchas editas non servat, et per ipsius negligentiam a suis Sacerdotibus non servantur: cum dicti Sacerdotes contra Constitutiones predictas, parvulos in Ecclesiis, ubi non sunt fontes deputati, potius in vasis laicorum baptizant, que postmodum ad eorum usu illico convertuntur, et, quod reprehensibilius ést, Chrisma et Oleum Sanctum, quod juxta Constitutiones predictas debent a Sacerdotibus fideliter custodiri, et tractari, sepius per mulierculas et laicos de Ecclesia ad Ecclesiam irreverenter, et temere defferuntur.

Item quod dictus Prepositus, aut is cui committit vices suas, Placitum Christianitatis in Parochia S. Petri exequitur tam de causis ad dictum Placitum spectantibus, quam de excessibus puniendis, et ferendis sententiis, non vocatis, imo contemptis dictis Capitulo et Canonicis, qui consueverunt, et debent dicto Placito cum eodem Preposito interesse, et de ipsorum assensu et consilio procedere in predictis.

Item quod dictus Prepositus crimina Adulterii, Fornicationis et perjurii, et alios excessus, que in dicto Placito, et alias ad ipsius audientiam defferuntur, recepta hinc inde pecunia, in ipsius anime et delin-

quentium periculum, relinquit hujusmodi crimina incorrepta.

Item quod dictus Prepositus quandam Decimam et jura alia Custodibus dicte Ecclesie deputata, pro quibus ad quedam obsequia dicte Ecclesie exequenda ex antiquo obligati noscuntur, videlicet dictam Ecclesiam, res et vasa ipsius custodire, campanas pulsare, luminaria accendere, et alia hujusmodi facere, que ad utilitatem et commodum dicte Ecclesie pertinent, propria auctoritate invasit, et predicta occupata detinet in predictorum Custodum, et ipsius Ecclesie non modicum prejuditium, et gravamen.

Item quod dictus Prepositus fuit negligens et remissus in justitia exhibenda, licet per dictum Capitulum et Canonicos fuerit sepius requisitus, et specialiter contra presbiterum Syuridum Canonicum dicte Ecclesie, qui jura plura ad dictum Capitulum et Canonicos spectantia, occupata detinet: quem presbiterum in suis excessibus dictus Prepositus substinet, eo quod ipse presbiter Syuridus dictum Prepositum fovet in sua malitia, et in omnibus sibi astat; et multa etiam alia, que longum ennarrare esset, et auribus vestre Paternitatis fastidium generarent, sub silentio transeunt, que in processu specificabuntur, de quibus omnibus est publice diffamatus apud bonos et graves. Et quamvis super predictis, juxta Evangelicam veritatem, caritative monuerint, ut se corrigeret circa commissa, nec aliquid apud eum profecerint, non valentes predicta, urgente conscientia, tollerare: Paternitati vestre predicta notificant, humiliter supplicantes, quatenus ex Officio vestro, quod adjuvare paratos se offe-

runt, si fuerit necesse, circa reformationem dicte Ecclesie, et correctionem dicti Prepositi intendere dignemini et velitis, secundum quod tradunt Canonice et legitime Sanctiones. C. F. o.

N.° 123.

1319 5 *Febrajo.*

Richiami contro Siurido Canonico di S. Pietro di Carnia.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Coram vobis venerabili in Christo Patre et D. D. Pagano Dei gratia Episcopo Paduano, Aquilegensis Ecclesie in temporalibus et spiritualibus a Sede Apostolica Administratore deputato, proponunt Capitulum et Canonici Ecclesie S. Petri de Carnia contra presbiterum Syuridum ipsorum Concanonicum, quod ipse perjurii crimine detinetur, pro eo videlicet quod ipse Syuridus corporali juramento, tactis Sacrosanctis Evangeliis, promisit honorem, bonum et pacificum statum dicte Ecclesie, et Massariorum manutenere, defendere et observare; spreto hujusmodi Sacramento, temere occupavit, et usurpavit ordeum quartesii, spatulas porcorum, et agnos dictis Capitulo et Canonicis debitos, contra honorem, et pacificum statum dicte Ecclesie, imo in ipsius Ecclesie et Capituli prejudicium, et gravamen.

Item proponunt contra dictum Syuridum quod ipse alio perjurii crimine irretitus est ex eo videlicet, quod ipse in altare S. Martini de Tulmetio, tactis sacrosanctis

Evangeliis, et in Capitulo S. Petri manuali fide promisit Dominum Guidonem de Manzano in prebenda, eidem per dictum Capitulum S. Petri assignata, manutenere et defendere. Dictus autem presbiter Syuridus, contemptis hujusmodi juramento et fide data, dictam prebendam dicto D. Guidoni per Capitulum predictum collatam et assignatam, temeritate propria, presbitero Jacobo de Plano non erubuit assignare de facto.

Item proponunt contra dictum presbiterum Syuridum, quod ipse contra voluntatem et inhibitionem Canonicorum, qui in Septimanis deputatis Ecclesie predicte servire tenentur, Missas, et alia divina Sacramenta, et maxime in sepulturis mortuorum, percipit oblationes, et alia que dictis Canonicis septimanariis deberentur de jure, in ipsorum prejudicium et gravamen. Prohibet etiam et inducit personas que consueverunt, aut debent Septima, Tricesima et Anniversaria pro suis defunctis apud dictam Ecclesiam celebrare, apud suam Capellam, in contemptum dicte Ecclesie, publice celebrare. Quare predictum presbiterum super predictis Paternitati vestre denuntiant in hiis scriptis, et offerunt se predicta legitime probaturos.

Item proponunt, quod dictus presbiter publice cohabitavit cum Dussa muliere de Arta, ex qua habet filium nomine Nicolussium.

Item dictus presbiter Syuridus accepit sine licentia Capituli tegulas omnes cum quibus cooperire volebamus domum dicte Ecclesie S. Petri, et portavit ad domum suam propriam, et clavos, et posuit in suam utilitatem contra Statutum. C. F. o.

N.° 124.

1319 7 *Febrajo.*

Il Vicario del Patriarca annunzia ai Canonici del Capitolo di S. Pietro di Carnia, che verrà a far loro la visita.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Die Mercurii vii. Februarii. Prefatus D. Abbas Vicarius precepit dictis Preposito et Canonicis constitutis personaliter in presentia ipsius, et litigantibus, quod die lune proxime ventura compareant personaliter coram eo, recepturi visitationem ipsius, quam de speciali dicti D. Episcopi mandato, facere intendit, et reformationem Ecclesie S. Petri predicti sub excommunicationis pena.

Interfuerunt testes D. Philipponus de la Turre Canonicus Aquilegensis, D. Guarnerus Plebanus de Porcinico, et multi alii. C. F. o.

N.° 125.

1319 17 *Febrajo Cividale.*

Armi comprate da Jacobo Zan di Fontana bona.

Benvenuto q.^m Corrado Not.

Die duodecimo exeunte Februario. In Civitate Austria: ante domum q.^m Bartholomei de Senis. Presentibus Danyello filio q.^m Raynerii Cor de Civitate, Petro

Matto, et Johanne familiaribus D. Jacobi Zani de Fonte bono, et aliis.

D. Jacobus Zan de Fonte bono promisit et stetit dare et solvere Hendree Tuscho commoranti in Burgo Pontis, duodecim Marchas Denariorum Aquilegensis monete usque ad festum S. Georgii proxime venturi, pro armis ipsius D. Jacobi Zani et pannis ejus; videlicet uno Gunello cum argento, uno Waferocho, uno sento de panzeria, uno clapo, ac pro universis armis et pannis de colore, que Petrus filius Salomonis de Burgo pontis dicto Hendree obligasset, nomine ipsius D. Jacobi Zani. Ita quod si in dicto termino, dicto Hendree de predictis pecunia non fuerit integre persoluta, libere excidant dicte arme et dicti panni ipsi Hendree; et quod deinceps dictus Hendreas de premissis possit facere omnimodam suam voluntatem, faciens sibi finem et remissionem etc. promittens etc. ratum et firmum habere, et non contrafacere etc. sub pena dupli ejus de quo questio moveretur. A. N. U. o.

N.° 126.

1319 23 *Febrajo Gemona.*

Il Conte di Gorizia ordina al Capitano di Gemona che faccia restituire a Tricesimo da Gemona le cose toltegli da Ottolino detto Virc.

Giovanni Sottile Not.

Die sexto intrante Februario. Presentibus Dominis Nicolao filio D. Federici de Pramperch, Clerico Cleffonis, Martino de Musto de Glemona, et aliis.

Cum Mur Theutonicus, Nuntius D. Henrici Comitis Goritie, ac Capitanei totius Terre Forijulii ex parte ipsius D. Comitis nuntiasset Hermanno Notario, Capitaneo Glemone ad instantiam Tricesimi nepotis q.m Johannis Compagni de Glemona, quod quidquid Ottolinus dictus Virc Ospes de Glemona abstulisset, vel accipi fecisset, vel foret acceptum de domo olim dicti Johannis Compagni, in qua dictus Tricesimus morabatur; quod omnia integra, sine aliqua mutatione, debeat facere restitui D. Tricesimo, ac etiam complere, et ad effectum adduci facere totum id, quod in litteris transmissis a dicto D. Comite per dictum Mur, dicto D. Hermanno Capitaneo, hodierno die predicto, ad instantiam dicti Tricesimi continebatur, et faciat taliter sub obtentu gratie dicti D. Comitis, quod amplius ipse D. Comes de contentis in ipsis litteris querimoniam non audiat, ut dictus Mur asseruit. Ad que dictus D. Hermannus Capitaneus respondit pro se, et Consilio Glemone dictis Mur et Tricesimo, quod dictus Ottolinus Virc non est in Glemona; sed statim cum venerit, quod mittet pro eo, et fieri faciet totum id, quod erit honor dicti D. Comitis, ac ipsius, et hominum de Glemona.

Actum Glemone, in Foro, in Domo Communis. A. N. U. o.

N.° 127.

1319 1 *Marzo Cividale.*
Riforme ordinate dal Patriarca nel Capitolo di S. Pietro di Carnia.

Stefano Guglielmini Not.

Prima die Martii. In majori Ecclesia Civitatensi, apud altare S. Galli. Presentibus venerabilibus viris Dominis Philippono de la Turre Preposito, Guarnero de Pulzinico, Nicolao de Portis et Guido de Manzano Canonicis ejusdem Ecclesie Civitatensis, et aliis. Parussius de Utino, ex parte Reverendi Patris et D. D. Pagani Dei, et Apostolica gratia Episcopi Paduani, sancte Sedis Aquilegensis in spiritualibus et temporalibus Administratoris, presentavit, seu notificavit quasdam patentes litteras sigillo ipsius D. Episcopi integro et illeso munitas, D. Manno Preposito Carnie, quarum tenor per omnia talis erat.

In nomine Domini amen. Nos Paganus Dei, et Apostolice Sedis gratia Episcopus Paduanus, Administrator Ecclesie Aquilegensis, in spiritualibus et temporalibus a Sede Apostolica deputatus. Cum de Manno Preposito, et Canonicis Ecclesie S. Petri de Carnia, Aquilegensis Diocesis predicte, per frequentem clamorem multa insinuata fuissent sinistra, descendere volumus et videre utrum clamorem opere complevissent. Unde facta per venerabilem virum Fratrem Johannem Abbatem Monasterii de Carraria Paduane Diocesis, Vicarium

nostrum contra eosdem Prepositum et Canonicos, quos de mandato nostro visitavit, inquisitione diligenti, tam super insinuatis, quam etiam super universali dicte Ecclesie statu: ex hiis que per visitationem, et inquisitionem hujusmodi reperimus, reformationem, correctionem, sententias et mandata facimus infrascripta.

In primis quod predicti Prepositus et Canonici apud dictam Ecclesiam S. Petri, et per Capellas ipsi Ecclesie subditas, prout Preposilure, et prebendarum suarum onus requirit, residentiam faciant personalem; nisi forte aliquis eorum a D. Patriarcha Aquilegensi, qui pro tempore fuerit, licentiam habuerit specialem. In qua residentia facienda, servent modum quem servabant antiquitus: videlicet quod duo ex ipsis alternatim semper sint apud dictam Ecclesiam S. Petri per unam Ebdomadam; et alii apud dictas Capellas: et ebdomada finita, alii duo accedant ad dictam Ecclesiam, et illi descendant ad capellas hinc serviendas; et sic fiat per circuitum anni successive. Qui autem residentiam non fecerit, ut premittitur, si super hoc dispensationem non habuit specialem, nihil omnino de fructibus Ecclesie predicte percipiat, nisi illam dimidiam marcham, quam per formam Statuti ejusdem Ecclesie juramento firmati, percipere solent absentes.

Predicti Prepositus et Canonici custodiant diligenter sub conclavi Corpus Dominicum, Crisma, et Oleum Sanctum, ne ad illa manus temeraria pertingere valeat.

Prepositus predictus revocet infra x. dies proximos, omnes concessiones per eum factas de Capellis predictis quibuscumque Presbiteris, qui non sint de Canonicis su-

predictis, et eas ipsis Canonicis equaliter, prout solebat antiquitus fieri, recommendet. Dimittat que usurpavit, solita olim assignari Custodibus, et assumat una cum Capitulo suo, aut sine ipso, si consuetum est, predictos Custodes, sicut solebat esse, aut duos tantum, si sufficiunt ad servitium Ecclesie faciendum; eisque det redditus quos solebant habere. Det, et restituat predictis Canonicis suis prebendas, quas eis hoc anno per semetipsum, et quatuor annis proxime preteritis per Presbiterum Syuridum Canonicum ejusdem Ecclesie, Vicarium suum, noscitur subtraxisse, et assignet Massario, sive Officiali ejusdem Ecclesie quidquid ipse percepit hactenus de redditibus solitis dictis Custodibus assignari, in utilitatem dicte Ecclesie convertendum. Placitum Christianitatis, venditiones Decimarum, seu affictationes earum, et alia, Capitulum Ecclesie predicte tangentia, nullatenus faciat absque ipsius Capituli, aut majoris partis consensu. Faciat refici, et reaptari puteum dicte Ecclesie, et muros Cimiterii, qui corruerunt.

Ipsi Preposito, quia per inquisitionem, seu visitationem hujusmodi, invenimus diffamatum, quod per magistrum Bonifacium de Civitate et Tellinum de Nenis consanguineum ipsius Prepositi procuratores electionis ejus ad Preposituram dicte Ecclesie, ut electio ipsa de eo fieret, projecta fuit in Sacristiam ejusdem Ecclesie, in qua erant clausi Canonici pro electione hujusmodi facienda, per quamdam fenestram ipsius Sacristie quedam quantitas florenorum; quos ipsi Canonici recipientes, eundem Mannum in suum Preposi-

tum elegerunt, et postmodum inter se pecuniam predictam electores ipsi diviserunt; purgationem indicimus prestandi legitime, infra quindecim dies coram nobis cum quanta manu sui ordinis Sacerdotum videlicet bone vite et opinionis, qui tempore dicte electionis fuerant in Contrata Carnie, et de predictis, si vera fuerint, aut falsa presumantur verisimiliter audivisse.

Presbiterum Syuridum, ejusdem Ecclesie Canonicum, quia ipsum tam ex confessione sua, quam aliorum Canonicorum invenimus tenuisse Dussam, mulierem publice concubinam, ex qua etiam filios suscepit, ab officio et beneficio suspendimus, ipsumque decernimus manere suspensum, quousque super hoc dispensationem Sedis Apostolice meruerit obtinere. Ei quoque sub pena depositionis districte precipimus, ut eandem mulierem a se prorsus eiciat, ipsamque, aut aliam de cetero nullatenus recipiat. Et quod infra octo dies proximos restituat Ecclesie assides, seu bregas et clavos ejusdem Ecclesie quos subtraxit.

Presbitero Bartholotto precipumus sub pena suspensionis districte, quatenus infra octo dies proximos faciat nobis fidem de dispensatione, quam se dicit habere a Sede Apostolica pro eo quod tenuit pro concubina Islettam.

Presbiter Odorlicus et Federicus Canonici supradicti, qui per aliquos dictorum Canonicorum dicuntur Concubinas tenere, licet de hoc interrogati negaverint, infra eundem terminum procurent, si poterunt, coram nobis, aut dicto Vicario nostro se ostendere innocentes. Alioquin sciant, quod contra eos solepnem inquisi-

tionem facere curabimus, et si culpabiles invenerimus, tam pro delicto, quam pro perjurio, ad punitionem eorum sine mora procedemus.

Datum Aquilegie, in Palatio Patriarchali per manum infrascripti Notarii nostri, anno Dominice Nativitatis M.CCC.XIX. die XXI. Februarii. Presentibus dicto D. Fratre Johanne Abbate Carrarie, presbitero Johanne, Materno, et Venturino Capellanis nostris.

Ego Eusebius de Romagnano publicus Imperiali auctoritate Notarius, et prefati D. Episcopi scriba interfui, et scripsi. R. o.

N.° 128.

1319 8 *Marzo Aquileja.*
Pagano ordina che sia pubblicata l' elezione del nuovo Decano del Capitolo di Cividale.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Paganus, Dei et Apostolice Sedis gratia, Episcopus Paduanus, Administrator Ecclesie Aquilegensis in spiritualibus et temporalibus a Sede Apostolica deputatus, discretis viris Vicedecano et Capitulo Ecclesie Civitatensis, Aquilegensis Diocesis, nec non universis et singulis quos presens negotium tangit, et ad quorum notitiam venerit, salutem in Domino sempiternam.

Nuper discretus vir D. Lombardus de la Turre Canonicus Ecclesie Civitatensis, Aquilegensis Diocesis, suo, et Dominorum Philipponi Prepositi, Nicolai de

Portis, Manni de Florentia, Guidonis de Manzano, Tremontani de Civitate, magistri Gerardi de Vincentia, et Jacobini de Bononia Canonicorum ejusdem Ecclesie, a quibus super hiis speciale mandatum habebat, nomine, in nostra presentia constitutus, nobis ex parte sua, et predictorum presentavit, et obtulit quamdam electionem, seu Decretum electionis pridie publice celebrate per ipsos Prepositum et Canonicos de discreto viro D. Warnero de Pulzinico eorum concanonico in ipsorum, et Ecclesie memorate Decanum; ipsamque electionem petiit humiliter et instanter per nos, auctoritate Administrationis nobis commisse, tanquam canonicam confirmari. Nos autem cupientes in predictis facere quod est juris, et servare Constitutionem bone memorie D. Bonifacii Pape Octavi super hujusmodi electionibus factam, presens Edictum in Ecclesia vestra publice proponi mandamus, et solempniter publicari. Monemus igitur, et requirimus vos, et quemlibet vestrum semel, secundo, tertio et peremptorie, quatenus singuli vestrum, vel alius quicumque vult predicte electioni se opponere, aut contra personam dicti Electi rationabile aliquid obiicere, aut sua crediderit interesse, infra octavam diem non feriatam a publicatione hujusmodi computandam, compareat coram nobis dicturus, et objecturus quidquid voluerit, et potuerit in premissis. Quare terminum unum pro tribus et peremptorie omnibus assignamus. Alioquin ad examinationem electionis predicte, et confirmationem, aut infirmationem ipsius, prout suadebit justitia, procedemus. De propositione vero et publicatione Edicti hujusmodi, quas per latorem presentium fieri volumus et manda-

mus, relationi ipsius latoris cum juramento dabimus plenam fidem.

Datum Aquilegie, in Palatio Patriarchali, die octavo Martii, anno Dominice Nativitatis M.CCC.XIX. Indictione secunda. C. F. o.

N.° 129.

1319 9 *Marzo Portogruaro.*

Il Vescovo di Concordia scomunica Guarnero e fratelli di Pordenone per aver detenute le rendite di quel Piovanato devolute alla santa Sede.

Stefano Guglielmini Not.

Die nono intrante Martio. In palatio Episcopali de Portugruario. Presentibus D. Petro de Venetiis Decano, et Vincentio Thesaurario Ecclesie Concordiensis, presbitero Marco de Vineis de Venetiis, Symutto de Trecento, et aliis.

Reverendus pater D. Articus, Dei gratia Concordiensis Episcopus, infrascriptam in scriptis sententiam promulgavit. Cum presbiter Guarnerus, Bartholomeus, Minyus et Articus ejus Fratres de Portunaone, nostre Diocesis, non curantes excommunicationis sententias in eos juste latas, ex eo quod se illicitos detentores fecerunt, et sunt reddituum et proventuum Plebis de dicto Portunaone, qui pro anno presenti Romane cedunt Ecclesie, easque sustineant animo indurato; quoniam crescente contumacia, crescere debet et pena: Nos Ar-

ticus Dei gratia Concordiensis Episcopus, ut ipsi citius ad correctionem redigantur, excommunicamus, et anematizamus sententialiter in hiis scriptis omnes et singulos, qui eisdem in participationibus, seu alteris eorum negotiis publice, aut occulte consilium dederint, auxilium, aut favorem. Et ne quispiam propter ignorantiam se valeat excusare, mandamus parochialibus Sacerdotibus, ut literas patentes hanc nostram sententiam continentes, in portis majoris Ecclesie affigere debeant, in eorum confusionem, et saltem populi ad cautelam. R. o.

N.° 130.

1319 30 *Marzo Portogruaro.*
Decime Papali pagate al Vescovo di Concordia

Stefano Guglielmini Not.

Penultimo die dicti Mensis Martii. Super Episcopali Sala de Portugruario. Presentibus presbitero Sythimino Capellano D. Episcopi infrascripti, Symutto de Tricento, et Federico q.m D. Gerardi de Castello, et aliis.

Reverendus Pater D. Articus Dei gratia Episcopus Concordiensis fuit confessus et contentus se habuisse et recipisse a D. Johanne Pertholdo Mansionario Ecclesie Civitatensis dante et solvente pro Dominis Guarnero de Pulzinico, et Odorlico de Midea, pro Plebe scilicet Trivesii et Canonicatu et prebenda Concordiensi, sex libras parvulorum: et pro Plebe S. Johannis de Casarsis, et Canonicatu et prebenda dicte Ecclesie Concordiensis,

quatuor libras parvorum pro ultimo termino sexti anni, unam scilicet pro Canonicatu et prebenda, et reliquas pro Plebibus suis.

Primo die Aprilis. Super Sala Episcopatus de Portugruario. Presentibus Presbiteris infrascriptis, prout infra patet. Solute fuerunt Papales Decime pro ultimo termino sexti anni per subscriptas personas, Reverendo in Christo Patri D. Artico Dei gratia Episcopo Concordiensi. In primis D. Matius pro se, et fratre suo D. Hermanno, pro prebendis suis Ecclesie Concordiensis, quatuor libras parvorum, et decem solidos pro Plebe de Das dicti D. Hermanni.

Item xl. solidos pro Canonicatu et prebenda Alberti.

Item xx. solidos pro Decanatu Concordiensi.

Item Bertuluscius Mathei xl. solidos pro Canonicatu et Prebenda.

Item presbiter Johannes Plebanus Ecclesie nove xl. solidos, et totidem pro Plebe sua.

Item Barbarus xx. solidos pro Canonicatu et Prebenda sua.

Item Abbas Sextensis xxxii. libras parvorum.

Item Abbas Sumaquensis xxv. libras parvorum.

Die secundo intrante dicto mense. Presbiter Gervasius pro presbitero Francisco de Spegnimbergo solvit denarios Aquilegenses xxviii. et pro D. Antonio de Spegnimbergo, pro parte Capelle de Spegnimbergo, et pro Capella de Barbiano tres libras, et unum solidum parvorum.

Item idem presbiter Gervasius pro Ecclesia sua de Gayo dedit xiii. solidos et dimidium.

Item Articus de Dardaco pro Plebanatu Dardaci xxxiv. viogintinos de vigintiduobus. De quibus denariis omnibus Symon de Tricento habuit xiii. libras parvorum cum dimidia, et Pax domicellus tres libras parvorum et novem solidos. R. o.

N.º 131.

1319. 30. *Marzo. Aquileja.*

Ordine al Capitolo di Cividale di dover pagare i duecento fiorini d' oro reclamati dal di lui Preposito.

Giovanni da Cividale Not.

Paganus, Dei et Apostolice Sedis gratia, Episcopus Paduanus, Administrator Ecclesie Aquilegensis in spiritualibus et temporalibus a Sede Apostolica deputatus, discretis viris Vicedecano et Capitulo Ecclesie Civitatensis, Aquilegensis Diocesis, salutem in Domino.

Conquestus est nobis discretus vir D. Philipponus de la Turre, vestrum, et Ecclesie predicte Civitatensis Prepositus, quod duceutos florenos auri, quos eidem pro Prepositura predicta annis singulis prestare tenemini, nondum ei assignare curaveritis; propter quod nobis petentibus ab eodem, nomine Romane Ecclesie, fructus et redditus primi anni, illos, occasione predicta assignare non potest. Quare vos tenore presentium requirimus et monemus semel, secundo et tertio, peremptorie vobis nihilominus universis et singulis sub excommunicationis pena

districte mandantes, quatenus infra sex dierum spatium, post presentationem presentium vobis factam, ipsi D. Philippono dictam quantitatem pecunie assignare modis omnibus studeatis. Injungimus nihilominus eidem D. Philippono sub excommunicationis pena, simili monitione premissa, quatenus infra sex dierum spacium, quem terminum ejus perceptioni assignamus, post assignatam sibi dictorum florenorum quantitatem, nobis pro primis dicti anni fructibus Ecclesie Romane prestandis, satisfaciat competenter.

Data Aquilegie, penultimo Martii. Secunda Indictione. A. N. U. o.

N.° 132.

1319 10 *Aprile Marano.*

Quelli di Mortegliano non hanno alcun diritto di pascolare, o di far legna nel territorio di Castions oltre l' Arvoncli.

Onorando Not.

In Christi nomine amen. Anno Nativitatis ejusdem M. CCC. XIX. Indictione Secunda, die Martis decima Aprilis. Presentibus D. Petro fratre D. Berthuliti Mansionarii Aquilegensis, Duolio Francholino, Johanne dicto Montalbano, Bertholussio filio q.^{m} Ser Andree, Nacusio filio q.^{m} Antonii de Palazzolo, Jacobo Mariano manente Marani, et magistro Jacobo de villa Marani, et Jacobino de Pisiliano filio q.^{m} Gerardi, testibus, et aliis.

Coram D. Thomado Rosetta Vicepotestate Marani, et Petro Zardino et Guariento Mazzamille judicibus dicte Terre Marani, comparuit Romanus de Carlino productus Testis, et ad Dei Evangelia juravit de veritate dicenda, remoto odio, amore, et timore, et dixit, quod recordatur et veritas est, quod quando homines de Mortegliano transibant Arbonculum versus Muzzanam, quod erant pignorati a dictis hominibus Muzzane, et dispegnabant pignora a dictis hominibus, si volebant; et fuit ibi, ubi probatum fuit quod dicti homines de Mortegliano non habent jus ultra Arbonculum, neque cum curribus, neque cum aliquo jure, a puteo S. Jervasii. Fuit Decanus Aquilegensis, et fuit pars hominum de Mortegliano, et probatum coram dicto D. Decano quod dicti homines de Mortegliano non audebant transire neque cum curru, neque cum falcibus ad secandum, neque ad laborandum in predicto territorio, et non debent venire, et si venerint, ipsis volentibus, veniunt.

Item Jacobus Zanninus de Carlino dixit suo juramenti, quod recordatur quod fuit apud Crucem S. Jervasii, super ripam de Mulvis, ubi probatum fuit coram venerabili viro Fratre Alberto venerabilis patris D. Ottoboni Patriarche Aquilegensis Vicario, et coram venerabili D. Decano Capituli, quod dicti homines de Mortegliano non debent venire ultra Arbonculum ad faciendum ligna, neque ad secandum, neque ad laborandum super dicto territorio.

Item D. Romanus presbiter de Carlino productus testis dixit, quod recordatur, quod fuit in supradicto lo-

co, ubi dicti homines dicebant laborare, et quod habebant jus ultra Arbonculum versus Muzzanam, et homines de Muzzana defendebant quod non, et vidit, et audivit quod coram dicto D. Alberto, et D. Decano Capituli, et D. Thomado de Pertistagno, et coram Dominis de Strassoldis, et aliis nobilibus viris probatum fuit per bonos homines, quod dicti homines de Mortegliano non habeant jus veniendi ultra Arbonculum ad laborandum, neque ad secandum, neque cum curribus, neque cum falcibus; et si veniunt, violenter veniunt: et sententiatum fuit quod deinceps non debeant venire super dicto territorio ad secandum, neque ad bruscandum.

Item Leonardus Rosta de Puzzinia dixit quod vidit, et fuit ubi homines de Mortegliano venerunt ad dispegnandum dicta bona, et sic quod non habent jus super dicto territorio, et hoc est citra Arbonculum, versus Muzzanam.

Item Articutius filius q.m Mionardi de Puzzinia suo Sacramento dixit de verbo ad verbum sicut dictus Leonardus.

Item Petrus Claudus dixit quod scit, et audivit quod dicti homines de Mortegliano proprio, dicebant quod non habent facere ultra Arbunculum, et si pignorabantur per homines de Muzzana, ipsos oportebat exigere pignora, si volebant ea, et hoc circa tempus quinquaginta annorum.

Item Andreas dictus Gramasius suo Sacramento dixit, quod recordatur quod dicti homines de Mortegliano non habent facere ultra Arbunculum, et quod quando veniebant, ipsi pignorabantur, et pro certo scit quod

non habent aliquod jus citra Arbonculum, versus Muzzanam.

Item Jacobus dixit quod fuit ibi sententiatum, et probatum fuit, quod dicti homines de Mortegliano non habeant facere citra Arbunculum versus Muzzanam, coram dicto D. Alberto, et coram Decano dicti Capituli Aquilegensis, et coram D. Thomado de Pertistagno.

Item D. Dominicus Vidussius dixit de verbo ad verbum sicut dixit Jacobus Zavanis.

Item Ser Dominicus dixit suo Sacramento quod recordatur, et scit pro certo, quod dicti homines de Mortegliano non habent facere citra Arbunculum versus Muzzanam, et si iverunt, violenter iverunt, et per potentiam.

Item Ser Malmartinus de Marano, Venerius Borza, et Jacobus Artichi dixerunt de verbo ad verbum sicut dixit dictus Ser Dando.

Item Ser Alexius dixit de verbo ad verbum sicut dictus Ser Dando.

Item Odorlicus, dictus Rubeus de Marano dixit suo Sacramento de verbo ad verbum sicut dixit dictus Jacobus Zavanis.

Item Johannes Montalbanus dixit de verbo ad verbum sicut dixit dictus Ser Jacobus Zavanis.

Actum Marani, in Ecclesia S. Martini. A. C. U. o.

N.° 133.

1319 12 *Aprile Maniago.*
Tregua fra i Signori di Maniaco e di Montereale

Antonio di Ailino di Maniaco Not.

Die xii. Aprili. Presentibus D. Presbitero Nicolao, Vicario Maniaci, Francisco barbitonsore ejusdem loci, Daniele filio Oluradi ejusdem loci, Antonio de Porta ejusdem loci, Johanne Deolajuto ejusdem loci testibus, et aliis.

D. Wolvenus filius q.m D. Oluradi de Maniaco, et Nicolaus filius q.m D. Odorici ejusdem loci per se, et omnes eorum servitores et adjutores juraverunt in manu D. presbiteri Vietigli de Aviano, recipientis nomine et vice magnifici viri D. Henrici Comitis Goritie, sub pena ccc. marcharum denariorum Aquilegensium, habere et tenere firmas et ratas trewas Dominis Aliotto, Stephanutto, Odorico, Provenzali et Cucittino de Monteregali hinc ad proximum festum Pentecostes per totum diem, tali conditione, quod si trewa predicta infrangeretur per ipsos Dominos de Maniaco, quod medietas dicte pene in dicto D. Comite pervenire debeat, alia vero medietas parti observanti. Cum talibus pactis quod D. Comes predictus alias inter eos trewas firmaret.

Actum Maniaci, ante portam Castri. A. N. U. o.

N.° 134.

1319 12 *Aprile Ragogna*
Pace fra i Signori di Maniaco e di Meduno.

Antonio di Ailino di Maniaco Not.

Die XII. Intrante Februario. Presentibus Dominis Pitero de Ragonea, Casotto, Odorico dicto Testa, Jacobo D. Mathei omnibus de Ragonia, Thomasio notario de S. Daniele testibus, et aliis.

Cum Domini Walterus, Thomasius et Franciscus de Miduno ex parte una, et Galvanus de Maniaco pro se et Wolveno fratre suo, et Nicolaus pro se et fratribus suis, et eorum consortibus, et adjutoribus ex parte altera, juravissent pacem simul in perpetuum, usque ad decem annos proximos; fecerunt securitatem unus in manu alterius sub pena cc. marcharum, et dictam pacem firmam et ratam habere et tenere etc. et non infringere, nec infringenti consentire sub pena predicta: que totiens peti possit et exigi etc. cujus pene si frangeretur per illos de Midnno, medietas sit D. Comitis Goritie, alia medietas D. Galvani et Consortum suorum: et si infringeretur per D. Galvanum, medietas dicte pene sit D. Episcopi Concordiensis, et alia medietas Dominorum de Miduno. Pro quibus omnibus attendendis et firmiter observandis ipse D. Galvanus, et pro eo Domini Piteri, Fanta et Fidrigella fratres de Ragonia, Odoricus de Aviano per se, et tanquam procurator D. Nicolai parvi de Ragonia, ut continetur in Instrumento

scripto manu mei notarii infrascripti, Federicus filius q.m D. Durigussi de Mels, Fortunatus de Osopio, Armaninus de Ragonia, quilibet pro sua rata, fidejussores extiterunt. Et pro parte D. Walterii et Thomasii, Dominus Testa, Nicolaus de Toppo, Piteri, Fanta, Fidrigella de Ragonia, Fortunatus de Osopio, Armaninus de Ragonia, Rodulfus de Corvacho, quilibet pro sua rata, fidejussores extiterunt. Et hoc cum obligatione omnium bonorum suorum.

Actum in plathea ville de Ragonia. A. N. U. o.

N.° 135.

1319 16 *Aprile Aquileja.*

Monitorio di Pagano Patriarca Eletto contro coloro che aveano spogliato il Parroco di Cilla, pretendendo che la di lui istituzione spettasse all' Abbate di Sitich.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia Sancte Sedis Aquilegensis Electus et Administrator, Conrado Plebano in Urazlau, Thome Plebano in Saxenveld, ac Conrado notario de Cunemburch, Aquilegensis Diocesis, salutem in Domino.

Frivolas excusationes, quas super expoliatione presbiteri Henrici Plebani S. Danielis de Cilla, Diocesis Aquilegensis pretenditis, non recipimus, cum nec videamus, nec verum sit, quod Abbas in Sitich, quem teme-

varie Dominum vestrum vocatis, habeat potestatem instituendi vel destituendi aliquem in dicta Plebe de Cilla, que ad nos pertinet pleno jure. Tamen ad vestram malitiam convincendam, presentium tenore vobis terminum peremptorium assignamus usque ad tres Hebdomadas proxime futuras ab hodie computandas, tam ad docendum de jure dicti Abbatis, quod ipsum habere dicitis, quam ad comparendum legitime coram nobis excusaturi vos, si poteritis, super spoliatione Presbiteri memorati. Alioquin contra vos, et vestrum quemlibet per excommunicationis penam, et alias quantum de jure poterimus, procedemus. Quod si dies termini in diem inciderit feriatam, sequens non feriata suppleat vices suas.

Datum Aquilegie, in Patriarchali palatio, die XVI. mensis Aprilis, secunda Indictione. C. F. o.

N.° 136.

1319 30 *Aprile Cividale.*
La custodia della Chiesa di Cividale è affidata a Girardino Chierico.

Giovanni da Cividale Not.

Paganus Dei et Epostolice Sedis gratia Sancte Sedis Aquilegensis Electus et Administrator in spiritualibus et temporalibus a Sede Apostolica deputatus, discretis viris Vicedecano et Capitulo Ecclesie Civitatensis, Aquilegensis Diocesis, salutem in Domino.

Noveritis nos Custodiam Ecclesie vestre pridie va-

cantem per liberam resignationem Vincentii, olim ipsius Ecclesie Custodis, in manibus nostris factam, Girardino Clerico, nato magistri Ognabeni, die tertio decimo mensis Decembris nuper elapsi, cum omnibus suis juribus, auctoritate Administrationis nobis commisse, de speciali gratia contulisse, ac Vincentium predictum, nomine ipsius, investisse per nostrum anulum de eadem. Quare vobis tenore presentium, districte precipiendo, mandamus, quatenus dictum Girardinum ad Custodiam predictam libere admittatis, eique de fructibus, redditibus, et juribus quibuscumque ad ipsam Custodiam quocumque modo spectantibus a tempore Collationis sibi facte, et de cetero, faciatis integre responderi.

Data Civitate, die ultimo mensis Aprilis, anno Domini M.CCC.XIX. Indictione II. A. N. U. O.

N.° 137.

1319 30 *Aprile Gorizia.*

Il Conte di Gorizia previene i Coneglianesi esser esso destinato dal re Federico ad assumere il governo e la difesa della loro Città.

Verci Doc. 928.

Viris nobilibus et discretis amicis suis carissimis Valperto Calze, Capitaneo, Potestati, Consilio, et Communi de Coneglano, Henricus Goritie et Tirolis comes, Aquilegensis, Tridentine et Brixinensis Ecclesiarum Advocatus, et Terre Forijulii Capitaneus generalis, salutem, et sincere dilectionis affectum.

Cum Serenissimus et excellentissimus Dominus Federicus Romanorum Dux, et semper Augustus, quem in Dominum et Gubernatorem assumpsistis, non modico temporis spatio supersederit, volens vobis protectorem et defensorem dare, qui vos ab hostibus vestris, a quibus circumvallati estis, posset defendere et tueri; placuit regie majestati cum summa et matura deliberatione sui sapientis Consilii, nobis vices suas in hac parte imponere, et tradere in mandatis, ut onus predictum nobis assumere deberemus. Nos vero nolentes transgredi regium mandatum, ac etiam ob respectum et amorem pure dilectionis, quem erga vos semper habuimus, et habemus, nobis assumpsimus officium protectionis et defensionis Terre vestre, et totius Comitatus et districtus Civitatis Tarvisine; auhelantes vos ab hostibus eripere, et Terram vestram ad statum pristinum et tranquillum, et pacificum reducere, et reformare, jura et statuta vestra, et Terre vestre aumentando, non minuendo, cupientes semper observare: ad que petimus, ut vos ad mandatum regium, sicut in suis litteris, quas vobis transmitto videre poteritis, inclinari velitis; offerentes nos, ut predictum est, promptos et paratos ad vestre beneplacitum voluntatis intromissionis dicti Officii quandocumque vobis placuerit, et de vestra processerit voluntate, in quo nobis nullam tarditatem impingere debeatis, quia nos ad predicta semper promptos invenietis. Super quibus petimus, ut vos de intentione vestre de predictis, scriptione per exhibitorem presentis certificare velitis.

Data Goritie, die ultima Aprilis.

N.° 138.

1319 *Maggio*
Ambasciata del Conte di Gorizia ai Coneglianesi.

Verci Doc. 929.

Hec est forma Ambaxate ex parte magnifici D. Henrici illustris Comitis Goritie ad Potestatem, Consules, Consilium et Commune de Coneglano. Primo quidem ipse requirit ipsos, ut sibi loco serenissimi D. Friderici Regis Romanorum, obedire, et ad ipsum intendere debeant, cui ipse D. Rex dictam custodiam commisit. Considerantes dicti de Coneglano, qualiter memorato D. Regi ex fidelitate debita sunt conjuncti, quia Terra Coneglani est Camera Imperii, et dignum est ut omnia membra caput sequantur, cum ipse D. Rex caput sit; ideo dignum est, ut ipsi debeant ipsum sequi. Quod quidem si dicti de Coneglano facient, ipse D. Comes intendit ipsos prosequi honoribus, favore, et promotionibus, tanquam fideles imperii, et suos caros amicos: et si secus facere presumerent, quod non credit, tunc sciant dicti homines de Coneglano, quod mandatum Regium intendit adimplere totis suis viribus, et pro posse. Rogat insuper prelibatus D. Comes, nt dicti de Ceneglano adimplere velint predicta, tanquam filii obedientes, et suis in hac parte parcere laboribus et expensis.

N.° 139.

1319 10 *Maggio Artegna*
Securtà di quei di Gemona rifiutata da quei di Artegna.

Stefano Romano Valconio Not.

Die XII. exeunte Madio. Presentibus Leonardo q.m D. Pizapani de Artenea, Martino fabro de Spenimbergo, Rubitto de Artenea, Piriano ejusdem loci, et aliis. Coram Gofredo filio D. Johannis de Artenea, et Javono ejusdem loci, qui se asserebant gerere vices D. Nicolai D. Federici de Pramperch Capitanei Artenee, protestatus fuit, et dixit Clericus Clefonis de Glemona, quod cum dictus D. Nicolaus cepisset Stephanum de Montenars, et ipsum in carceribus detineret, in quibus D. Henricus Goritie etc. ordinavit quod dictus Stephanus detineretur, pro securitate idonea ad obediendum rationi pro causa qua ipse detinebatur dictis carceribus, causa hujus reatus, rogavit D. Gofredum et Javonum, ut dictum Stephanum dimittere deberent de carceribus pro securitate idonea, ad obediendum rationi, et quod paratus erat eis facere securitatem pro predicto Stephano, ut decet, cum obligatione omnium suorum bonorum etc. Qui Gofredus et Javonus eidem Clerico responderunt, quod eundem Stephanum dimittere volebant, si eis fieret securitas per homines Artenee, sed aliquem hominem de Glemona in securitatem nolebant etc.

Actum Artenee, in Fabrica Pustini. A. N. U. o.

N.° 140.

1319 19 *Maggio Cividale*
Tregua tra Pupino di Bernardo e Pietro di Salomone.

Stefano da Cividale Not.

Die tertiodecimo exeunte Madio. In Civitate Austria, in domo Communis. Presentibus D. Gerardo de Trevisio Civitate commoranti, D. Ugone q.m D. Contii de Civitate, Petro filio magistri Johannis Juliani notarii de Civitate, et Nicolao filio D. Federici de Villessio, Civitate commoranti testibus, et aliis.

Pupinus q.m Bernardi de Civitate fecit pro se et suis amicis, Trevuas in manibus D. Ulvini Gastaldionis Civitatis petentis, Petro filio Salomonis de Burgo Pontis pro se, et suis amicis hinc ad octo dies post festum S. Michaelis proximi, secundum morem et consuetudinem Terre Forijulii. A. N. U. o.

N.° 141.

1319 26 *Maggio Cividale.*
Dono in aumento di dote fatto da Franceschino della Torre a Beatrice Contessa di Gorizia.

Antonio da Cividale Not.

In nomine Domini amen. Anno Nativitatis ejusdem M. CCC. XIX. Indictione Secunda, die sexto exeunte Majo.

In Civitate Austria, in palatio Patriarchali. Presentibus venerabili viro D. Johanne Abbate, et Gandino Ponzono de Mediolano testibus, et aliis. Cum Lippus de Goritia q.m Tambe, nomine et vice Nobilis viri D. Franciscini de la Turre, et pro ipso, emeret a magnifico viro D. Henrico illustri Goritie et Tirolis Comite, omnes mansos, terras et possessiones sitas in villa S. Marie de Sclavonich jure proprii, que reddunt decem et septem Marchas in redditibus ad usum Curie annuatim, pretio et foro ducentarum et quinquaginta marcharum Solidorum, sive denariorum veterum Aquilegensis monete, prout in quoddam instrumento confecto manu Henrici de Orzono notarii, sub eodem anno et indictione, die vero decimo quarto intrante Majo, plenius continetur; prefatus D. Francischinus emptionem hujusmodi suo nomine celebratam, et factam per D. Lippum ibidem presentem, ratam habens et gratam, eam acceptavit de pecunia pretii supradicti, eundem Lippum liberans et contentans, quod dictam suam pecuniam exposuerat in dicta emptione predictorum bonorum, que erant sibi placita et accepta. Quibus peractis, idem D. Francischinus, attendens puram dilectionem, quam erga egregiam Dominam Beatricem uxorem dicti D. Henrici Comitis Goritie, Consobrinam suam gerebat, pura mente et libere, irrevocabilis donationis nomine, que dicitur inter vivos, per se, suosque heredes, pro augmento dotis ejusdem Domine Beatricis dedit, donavit, tradidit, atque cessit Jacobo filio q.m D. Ottonelli de Civitate recipienti nomine ac vice ipsius

Domine Beatricis, suorumque heredum, et cui ipsa Domina voluerit, predicta omnia bona sita in Sancta Maria de Sclavonich, cum omni jure et actione etc. quibus bona ipsa tenta fuerant nomine suo, a D. Comite supradicto. Ita quod a modo ipsa D. Comitissa, suique heredes, et cui dederit, ipsa bona habeat, teneat et possideat jure Dotis, et pro augmento sue Dotis, taliter quod ipsa in vita et morte, illa possit vendere, legare, dare et donare, alienare, et suam facere omnimodam voluntatem, absque contradictione, vel repetitione, ac impedimento dicti Donatoris, vel suorum heredum, aut alterius cujuscumque persone. Que bona dictus Donator se, ipsus donationis nomine, constituit precario possidere etc. promittens etiam donationem firmam habere, et nulla ingratitudine revocare, nec movere litem pena dupli etc. Renuntians exceptioni non facte donationis etc. et quod summa quingentorum aureorum excedat, nec fuerit Principi insinuata etc. et omni legum auxilio etc. Nuntius tenute Ulvinus de Canussio etc. cum omni melioramento.

Ego Antonius Notarius Civitatensis etc. A. T. c.

N.° 142.

1319 30 *Maggio Rosazzo.*

Feudo accordato dall' Abbate di Rosazzo a Vozolo da Cividale.

Stefano da Cividale Not.

Die penultimo Madii. Super Sala Monasterii Rosacensis. Presentibus Dominis Johanne Abbate Mo-

nasterii S. Georgii de Arnolstayn, D. Ottone Priore Monasterii Rosacensis, D. Exquinio, et D. Dominico Monachis predicti Monasterii, D. Bartholomeo Plebano S. Marie prope Orsariam, D. Meynardo Plebano de Budrio, et Nichuluscio q.^{m} Odorlici de Navacho testibus, et aliis.

Vozulus de Civitate procurator, et procuratorio nomine D. Clare filie q.^{m} Coradutii, olim D. Ingualperti de Oleis, ut instrumento manu Antonii Notarii Civitatensis sub anno Domini M. CCC. XIX. Indictione Secunda, die secundo mensis Madii, plenius continetur, constitutus coram venerabili viro D. D. Johanne Abbate Rosacensi, petivit procuratorio nomine, ut supra, sibi per dictum Abbatem investiri de Feudo masculi et femmine, tanquam procuratori D. Clare uxoris sue q.^{m} Petrussini de Oleis. Qui dictum Vozulum genuflexum coram dicto D. Abbate petentem, ut supra, consensu Consiliariorum suorum fratrum, investivit cum fimbria sue cappe, recepto ab eo Sacramento fidelitatis, prout vassallus suo Domino facere consuevit: reservato tamen jure dicti Monasterii pro se ipso et Conventu ipsius, ibidem facta fide de procurando, ut supra. A. N. U. o.

N.° 143.

1319 2 *Giugno Cividale.*
Promozione ai Sacri Ordini di alcuni Canonici e Parrochi.

Stefano Guglielmini Not.

Die secundo intrante Junio, in majori Ecclesia Civitatensi. Presentibus infrascriptis, qui Sacros Ordines susceperunt, et aliis. Reverendus in Christo Pater et D. D. Articus Dei gratia Concordiensis Episcopus, Reverendi in Christo Patris et D. D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia Sancte Sedis Aquilegensis Electi et Administratoris in spiritualibus et temporalibus a Sede Apostolica deputati, in Pontificalibus Vicarius generalis, in Missarum solempniis per sacrarum manuum impositionem, ad Ordinem Accolitatus Dominum Bernardum Canonicum Civitatensem et Petrum familiarem D. Branche Abbatis Sumaquensis: ad Ordinem autem Subdiaconatus Dominos Worlicum filium D. Pauli, Floritum de Pertynstayn, Jacobum de Bononia et Petrum de Orsaria, Canonicos Civitatenses: et Blancutium filium Nasinguerre de Canipa de Carnia, et Ottobonum Clericum q.m Magistri Federici scriptoris. Ad Diaconatus vero ordinem Dominum Nechtardum Plebanum de Sarfumberch, Andream de Lestiza, Adam de Palazzolo, Franciscum de Mortegliano, et D. Ingalprettum Monacum Rosacensem. Ad Ordinem Sacerdotii Do-

minum Franciscum de Aquilegia presentatum ad perpetuam Vicariam S. Felicis de Aquilegia. R. o.

N.° 144.
1319 6 *Giugno Cividale.*
Tregua tra Pietro di Salomone e Andrea da Firenze.

Stefano da Cividale Not.

Die sexto intrante Junio. In Civitate Austria, in domo Communis. Presentibus D. Nicolao q.^m Musatti de Civitate, D. Nicolussio de Gramogliano, Benevenuto q.^m Gabrielis de Civitate, Landucio Notario de Civitate Burgo Pontis et Jacobo Gruaro testibus, et aliis.

Petrus filius Salomonis de Civitate Burgo Pontis Civitatensis, et Andreas Tuscus de Florentia dicto Burgo commorans, ad invicem pro se ipsis, et eorum amicis, fecerunt Trevuas in manibus D. Fulcherii de Savorgnano Vicegastaldionis hinc ad octo dies post festum S. Michaelis proximi, secundum morem et consuetudinem Terre Forojulii. A. N. U. o.

N.° 145.
1319 7 *Giugno Cividale.*
Rissa fra due Canonici.
Giovanni da Cividale Not.

Die septimo intrante Junio, in Civitate, in Sacristia Majoris Ecclesie Civitatensis. Presentibus Dominis

Guidone de Manzano Canonico, Johanne Custode, et Bernardo de Civitate Canonico Civitatis, Vincentio Sacrista Ecclesie Concordiensis, presbitero Nicolao Manfiuta Plebano de Dornich, et aliis.

Cum D. Fulcherus de Goritia Canonicus Civitatensis intimasset Reverendo in Christo Patri D. Artico Concordiensi Episcopo, qui tunc se preparabat ad celebrandum Divinum Officium, quod Dyomedes Canonicus Civitatis in eum fecisset insultum animo irato, volendo eum percutere cum curtello, et propter hoc erat excommunicatus: prefatus Dyomedes respondit dicens; quod hoc non erat verum, nec hoc contentus stabat quod dixerat idem D. Fulcherus, imo dicebat prefatus D. Dyomedes, quod idem D. Fulcherus pridie blasphemaverat Deum, et aliis horis pluries, propter quod erat ipse excommunicatus. A. N. U. o.

N.° 146.

1319 9 *Giugno Udine.*

I Protocolli del defunto Notajo Waltero vengono consegnati per Ordine del Patriarca ad Antonio da Cividale Notajo.

Stefano da Cividale Not.

Die nono intrantis Junii. In Civitate Austria. In Palatio Patriarchali. Presentibus Magistro Condeo medico infrascripti D. Electi, Materno, qui tenet in custodiam sigillum dicti Electi Patriarche, et Daniele de Manzano Domicello ejusdem D. Patriarche testibus, et aliis.

Coram Reverendo in Christo Patre et D. D. Pagano Dei et Apostolice Sedis gratia Aquilegensi Electo et Administratore dicte a Sede Apostolica deputato in spiritualibus et temporalibus, constitutus D. Guilielmus q.m Magistri Walteri de Civitate proposuit: Domine, Patriarcha, cum habeam Notas q.m Magistri Walteri Notarii de Civitate, et ad vos spectent, seu tangant ad me specialiter contra Mariam relictam Johanne de Civitate, peto per vos, Domine Patriarcha, ut committatis Magistro Antonio Notario Civitatensi, tam contra illam Mariam, quam contra alios. Qui dictus D. Electus eidem magistro Antonio Notario predicto presenti commisit confici omnia Instrumenta, que possent spectare dicto D. Guilielmo, et specialiter contra Mariam, et alios quoscumque. A. N. U. o.

N. 147.

1319 9 *Giugno Cividale.*
Tregua fra Vezilo da Cividale e Corrado da Treviso.

Stefano da Cividale Not.

Die nono intrantis Junii. In Civitate Austria, apud domum Communis versus Septemtrionem. Presentibus Hendricutio de Civitate, Jacobo Gruaro de Civitate, Laurentio q.m Masiuti de Civitate, Nicolao Notario filio Magistri Antonii Notarii Civitatensis, et Amarligo Domicello D. Patriarche testibus, et aliis.

Conradus de Trevisio fecit Trevuas pro se et suis

amicis Wezilo de Civitate pro se et suis amicis in manibus D. Pauli Bojani, recipientis vice e nomine Gastaldionis Civitatensis, hinc ad octo dies post festum S. Michaelis proximi, secundum consuetudinem Terre Forojulii.

Item eodem die, loco, et testibus D. Vezilus pro se et suis amicis fecit Trevuas Conrado de Trevisio pro se et suis amicis, in manibus D. Fulcheri de Savorgnano vice et nomine D. Ulvini Gastaldionis Civitatensis hinc ad octo dies post festum S. Michaelis secundum consuetudinem Terre Forojulii. A. N. U. o.

N.° 148.

1319 13 *Giugno Conegliano.*
I Coneglianesi si sottomettono al Conte di Gorizia.

Verci Doc. 931.

M.CCC.XIX. Indictione Secunda, die Martis tertio decimo Junii. Presentibus Nobilibus viris D. Rambaldo Comite Tarvisii, D. Ugone de Duino, D. Valerio de Novo Castro, D. Jacobo de S. Michele Spurch, D. Hostasio de Moneglano, D. Rever. de Stralso, D. Henrico Guailarido, Alberto de Guritia Scriba infrascripti D. Comitis, D. Altenerio de Azzonibus de Tarvisio, D. Bertoldino de Caserio diti loci, D. Johanne de Lavazola judice dicti loci, et Pace Notario de Fontanis de Tarvisio, et aliis pluribus rogatis ad hoc testibus vocatis.

Cum per illustrem et excellentissimum D. D. Federicum Dei gratia Romanorum regem semper augustum

per literas suas, sui quoque sigilli munimine roboratas mandatum, et injunctum fuerit, ac denotatum Potestati, Consilio, et Communi Coneglani suis fidelibus et Imperii Romani, quod spectabilis vir D. Heuricus Comes Guritie avunculus, Dux erat destinatus, et ipsius Communis et hominum Terre Coneglani, ac districtus contra omnes suos adversarios protectorem et defensorem destinabat, mandans ei, et jubens ipsi Communi et hominibus de Coneglano quod ipsi D. Henrico, nomine suo et Imperii, effectualiter intendere, parere, et obedire debeant: volentes dictum Commune et homines Coneglani mandatis Domini excellentissimi integraliter obedire, et parere: et convocato, et clamato consilio majori Communis Coneglani in domo Communis Castri Coneglani more solito ad sonum campane, die predicta D. Leonardus de Crusniga, Odoricus q.^m D. Coradonis, et Morandus de Scomico Consules Coneglani de voluntate ipsius Consilii, et ipsum Consilium unanimiter et concorditer voluerunt, atque creaverunt discretum virum Vivianum notarium q.^m D. Cambarati de Coneglano presentem et volentem, suum et dicti Communis Sindicum et procuratorem ac nuntium Communis, et universitatis, ac hominum Terre Coneglani et districtus ad comparendum coram presentia dicti D. Comitis ad sua mandata, et sacri Imperii obedienda et facienda. Qui Vivianus Sindicus, sindicario nomine Communis et hominum Terre Coneglani et districtus coram presentia Magnifici D. D. Henrici Comitis, Vicarii Sacri Imperii Romani se presentavit nomine et vice Communis et hominum Terre Coneglani et districtus ejusdem, obtulit se paratum nomine antedicto omni-

bus mandatis et preceptis ipsius Domini integraliter parere, et obedire, et eidem Comiti nomine Sacri Imperii dictus Sindicus assignavit et obtulit ad ejus voluntatem Terram, Fortilicias, et Claves et jurisdictiones Terre Coneglani et .... Qui D. Comes auditis verbis dicti Sindici, nomine sacri Imperii, cum prompta benignitate acceptavit; et ibidem incontinenti dictus D. Comes, nomine Sacri Imperii Romani, eidem Sindico recipienti nomine et vice dicti Communis et hominum et universitatis Terre Coneglani, confirmavit, approbavit et ratificavit omne privilegium, et omnes jurisdictiones, et auctoritates, et omnes gratias et libertates, quod et quas dictum Commune et homines Coneglani haberent et habere viderentur, seu sibi concesse et largite essent a Sacro Imperio Romano usque ad presentem diem, et ad gratiam et benevolentiam Sacri Imperii, auctoritate sibi concessa, presentialiter reduxit et pertractavit.

Insuper voluit dictus D. Comes nomine suprascripto, et sibi placuit, et corporaliter ad Sacra Dei Evangelia juravit, tactis Scripturis Sacris, ac etiam nomine sacri Imperii promisit eidem Sindico recipienti et agenti nomine et vice Communis predicti, toto suo posse et Sacri Imperii defendere et manutenere ipsum Commune et homines Coneglani et districtus, et jurisdictiones ejusdem Communis et honores a quacumque persona et universitate, et recuperare a detinentibus et possidentibus contra voluntatem dicti Communis, et jurisdictiones et honores suos non minuere, sed potius in quantum peterit ampliare et recuperare; voluit enim et commisit dictus D. Comes nomine Sacri Imperii Commune et ho-

mines ac Terram de Coneglano cum suis jurisdictionibus et honoribus fore exemptum et liberum a dominio cujuscumque Civitatis, Castri, Domini, seu cujuscumque persone, Collegii et universitatis tam secularis, quam spiritualis, preter quam Sacri Imperii, et quod per totum tempus sui regiminis, seu suorum successorum in quibus poterit, non gravabit ipsum Commune et homines Terre Coneglani, sed potius manutenebit, et non permittet, vel relaxabit in dicta Terra suo nomine per Rectorem, vel Sacri Imperii, qui sit de districtu Cenetensi, seu Episcopatus Feltri, et Belluni ac Fori julii, e quod dabit operam omni effectu suo posse, quod quandocumque ipse D. Rex per Sanctam Romanam Ecclesiam fuerit coronatus, ratificabit et confermabit de gratia concessa ipsi Communi et hominibus Coneglani, omne privilegium, et omnes jurisdictiones, auctoritates et honores, statuta et reformationes factas et fiendas, quod, et quas ipsum Commune et homines Coneglani haberent a Sacro Imperio datas et concessas. Et ibi dictus Sindicus, nomine et vice dicti Communis et hominum Terre Coneglani, flexis genibus coram presentia D. D. Comitis, nomine antescripti Communis, et hominum, nomine antescripto corporaliter juravit tactis Sacris Scripturis, ad Sacra Dei Evangelia in animabus dictorum hominum, et Communis, et Terre Coneglani premisse, et Distrectualium eidem D. Comiti, nomine premisso perpetualiter obedire, et mandata sua observare, ac Sacrum Imperium, et ipsum defendere, et eorum honores fideliter tractare, et manutenere toto suo posse contra quascumque personas, et universitates, ad sui beneplacitum et mandatum.

Actum in Valle, prope Terram Coneglani subtus Paviglonum predicti D. Comitis Henrici. Ego Antonius de Conto Imperiali auctoritate Notarius his omnibus interfui, et rogatus scripsi.

N.° 149.

1319 19 *Giugno Cividale.*

Vorlico Bojani cambia il suo benefizio di Fossalta con un Canonicato e prebenda nel Capitolo d' Aquileja.

Gabriele da Cremona Can. P.

In nomine Domini amen. Anno ejusdem Nativitatis M.CCC.XIX. Indictione II. die XIX. mensis Junii; in Civitate Austria Aquilegensis Diocesis. In Patriarchali palatio. Presentibus venerabilibus viris D. Fratre Johanne Abbate Monasterii S. Stephani de Carraria Paduane Diocesis, Fratre Aldovrando de Parma Priore S. Egidii juxta Aquilegiam, ordinis militie S. Johannis Jerosolimitani, et Materno de Opreno Canonico Plebis de Montegalda, Paduane Diocesis, testibus vocatis, et rogatis.

Venerabilibus viris D. D. Guilielmo Decano et Capitulo Aquilegensi coram Reverendo Patre Domino Pagano Dei, et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Electo et Administratore Ecclesie Aquilegensis in spiritualibus et temporalibus a Sede Apostolica deputato, in Camera Patriarchali in unum convenienti-

bus, in quo quidem Capitulo interfuerunt D. D. Decanus predictus, Ludovicus de Civitate, Gillo Archidiaconus, Philipponus della Turre, Guido de Villalta, Napinus de la Turre, Lombardinus de la Turre, Laurentius de Civitate, Ludovicus de la Turre et Odorlicus de Strassoldo, omnes Canonici dicte Aquilegensis Ecclesie, ibidem ad infrascripta congregati specialiter et vocati. Audito et intellecto quod venerabilis Pater D. Petrus de Columpna Dei gratia S. Angeli Diaconus Cardinalis unam de Prebendis, quas vigore Apostolice gratie sibi concesse, in Ecclesia Aquilegensi habet et obtinet, videlicet illam que eidem D. Cardinali pervenit per obitum D. Giutti de Monte Martino olim Aquilegensis Ecclesie Canonici, cum discreto viro D. Vorlico Clerico nato D. Pauli q.^{m} D. Bojani de Civitate Austria, pro clericatu, et prebenda, quos idem D. Vorlicus habet et obtinet in Ecclesia, seu plebe de Fossalta Concordiensis Diocesis, ex certis, justis, et rationabilibus causis permutare volebat: dicti D. D. Decanus, Canonici et Capitulum simul cum ipso D. Electo et Administratore Ecclesie Aquilegensis deliberantes mature, et considerantes attente personam dicti D. Vorlici moribus et honestate plurimum commendandam, ac utilitatem et profectum, quam dictum Capitulum et Ecclesia Aquilegensis per ipsius Vorlici presentiam, et suorum devotionem, et affectionem, quam habent ad Aquilegensem Ecclesiam consequi potest; et desiderantes, consideratis predictis, ut permutatio predicta procedat, omnes communiter et concorditer dederunt, tradiderunt, et concesserunt eidem D. Electo et Administratori Aquilegensis Ecclesie volenti

et recipienti, plenam et liberam potestatem, et omnimodam auctoritatem, ut supra permutatione predicta, habito Consilio Sapientium Jurisperitorum, ipse D. Electus et Administrator possit ab ipso D. Petro Cardinali, vel procuratore suo habente super predictis speciale mandatum, dictorum Canonicatus et prebende Aquilegensis, occasione permutationis hujusmodi, auctoritate dicti Capituli, resignationem recipere, et illos dicto D. Volrico conferre, ac investire de eisdem cum omnibus juribus et pertinentiis ad dictos Canonicatum et Prebendam spectantibus; et cetera agere, que circa hoc necessaria videbuntur, ut ipsa permutatio valeat, et obtineat plenum robur.

Ego Gabriel filius q.^m D. Henrigini de Cremona publicus Imperiali auctoritate Notarius, prefatique D. Patriarche Officialis, predictis omnibus interfui, et hoc rogatus scripsi, signumque meum consuetum apposui.

A. C. U. c.

N.° 150.

1319 1 *Luglio Maniago.*
Accordo di Volveno di Maniaco col Comune di quel paese per la costruzione del muro del Castello.

Antonio di Ailino di Maniaco Not.

Die primo intrante Julio. Presentibus Benato filio q.^m D. Binusii, Leonardo de Fondella, Dominico de Mauro, Dominico Arbavo, Odorico Portonario, et aliis.

Cum D. Wolvenus vellet laborare murum sue do-

mus Castri, quod murum est Catellanum, in tali concordio et pacto fuit cum hominibus et Commune Maniaci in tegula bandido. Primo et principaliter quod calcina, quam pertinet dari pro passu in dicto muro, debeat esse soluta ipsi D. Wolveno ad festum S. Andree proximi cum denariis Datii Communis, et pro lapidibus et sabulono, et pro aliis, quibus Commune sibi in dicto muro de jure facere deberet, fuerunt contenti, et promiserunt ipsi D. Wolveno facere in plovios pro quolibet vicino; ille qui habuerit currum, cum curru, et ille qui non habuerit currum, cum persona, in Maniaco, non vero alibi; qui plovii debeant fieri infra festum S. Michaelis proximi, et festum S. Martini sequentis.

Actum Maniaci, in Macello D. Niculai sub nuce. A. N. U. D.

N.° 151.

1319 5 *Luglio Cividale.*
Feudo di abitanza nel Castello di Udine concesso da Pagano a Milano di Paona.

Francino da Villanova di Lodi Can. P.

In Christi nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem M.CCC.XIX. Indictione secunda, die Mercurii quarto Julii. Civitate Austrie, in Patriarchali palatio. Presentibus venerabili viro D. Frat. Johanne Abbate Monasterii S. Stephani de Carraria Paduane Diocesis, nobili viro D. Francisco de la Turre q.m D. Guidonis, D. Magistro Johan-

ne physico, et Johanne q.m D. Picosii Curie Aquilegensis testibus, et aliis.

Constitutus in presentia Reverendi Patris D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Electi, D. Raymundus de Paona, nepos q.m D. Milani de Paona habitatoris Castri Utini, Procurator, et procuratorio nomine Johannis et Brisutte filiorum et heredum q.m D. Benatti de Castro Utini, ac nomine et vice dictorum heredum, habens ab ipsis heredibus ad infrascripta speciale mandatum, ut constat publico Instrumento scripto manu Federici q.m Galvagni notarii de Utino, anno Dominice Nativitatis M.CCC.XIX, indictione II. die tertio Julii; habitantiam, quam dicti heredes ab Ecclesia Aquilegensi habere noscuntur in Castro Utini, cujus habitantie hii sunt confines: ab una parte via publica, ab alia possidet Domina Leonardina q.m D. Armani, et ab alia Ropretus et Nicolaus dictus Buzzutta, cum omnibus juribus, et pertinentiis ad dictam habitantiam spectantibus, in manibus prefati D. Electi Aquilegensis resignavit, et renuntiavit omnia jura que dicti heredes habebant, et habere poterant in habitantia antedicta. Quibus resignatione et renuntiatione factis, dictus D. Paganus Electus antedictus suo, et Aquilegensis Ecclesie nomine, de gratia speciali Milanum natum D. Jacobini de Paona habitatoris Castri predicti recipientem suo nomine, et nomine, et vice Fratrum suorum, et pro se et suis heredibus de predicta habitantia et pertinentiis per librum, quem suis manibus habebat, liberaliter investivit; juribus suis, Aquilegensis Ecclesie, et cujuslibet alterius persone in omnibus semper salvis: recipiens ab eodem Milano Sacramen-

tum fidelitatis, quod vassalli Dominis suis consueverunt facere, et tenentur. Mandans ipsum Milanum suo nomine et Fratrum suorum per Leonardum Tomasinum in dictarum habitantie et pertinentiarum corporalem possessionem induci.

Ego Francinus q.^m^ D. Montanini de Villanova de Laude sacri Palatii notarius, et prefati D. Electi Officialis et Scriba predictis interfui, et de mandato ipsius D. Electi hec scripsi. A. C. U. c.

N.° 152.

1319 5 *Luglio Cividale.*

Bartolo da Cividale è pronto a sostenere colla spada alla mano ch' egli è libero, e non servo de' Signori di Spilimbergo.

Anonimo Not.

In nomine Domini amen. Anno ejusdem M.CCC.XIX. Indictione II. die quinto intrante Julio. In Civitate Austria. In camino Domus D. Ghiloni Archidiaconi Aquilegensis. Presentibus Dominis Ulvino Castaldione Civitatis, Walframo de Zucula, Petro Fondani de Civitate, Antonio Notario de Civitate, Adhenrico q.^m^ Arnoldi de Civitate, et aliis.

Cum Adaleyta uxor Aincii hosterii in burgo pontis Civitatis, et ejus filia Alzubetta impeterentur a Nobili viro D. Preogna de Spegnimbercho, quatenus ipsi et domus, videlicet Curnile de ultra pontem, essent eorum servi, seu homines de Masnata; Bartolus caligarius q.^m^

Curnile de burgo pontis Civitatis dixit, et protestatus est, quod ipse Bartolus non erat servus, nec homo de Masnata alicujus; imo erat liber tanquam homo Ecclesie Aquilegensis, nec serviverat Dominis de Zucula, nisi per stipendium, sicut fecerat uno tempore Gramolyani, sicut quilibet extraneus fecisset: et si esset aliquis par sibi qui aliud dicere voluisset, sibi erat paratus personaliter per duellum probare, sicut postulat ordo juris. C. F. c.

N.° 153.

1319 5 *Luglio Cividale.*
Tregua tra Filippo Longo e Giovanni Covatti.

Stefano da Cividale Not.

Die sexto intrantis Julii. In Civitate Austria: ante Ecclesiam S. Johannis Baptiste. Presentibus D. Philippo de Portis, Nicolao q.^m^ D. Musatti de Civitate, Nicolao q.^m^ Luipoldi, et Petro q.^m^ D. Branche de Civitate testibus, et aliis.

Philippus filius D. Odorlici Longi de Civitate fecit Trevuas pro se et suis amicis Johanni filio Covati de Civitate pro se et suis amicis hinc ad festum S. Michaelis et octo dies proximos, secundum morem et contuetudinem Terre Forojulii. A. N. U. o.

N.° 154.

1319 24 *Luglio Cividale.*
Convenzione del Patriarca col Conte di Gorizia.

Francino da Villanova di Lodi Can. P.

In Christi nomine amen. Anno Nativitatis ejusdem millesimo tricentesimo decimo nono, indictione secunda, Die Martis vigesimo quarto Julii, in Civitate Austria, in camera Patriarchali. Presentibus venerabili et religioso viro D. Fratre Johanne Abbate Monasterii S. Stephani de Carraria districtus Paduani, Dominis Raymundo della Turre, Guidone Palenzono, Andrea de Amtorampno, Odorico Notario, Francisco Nasutto de Utino, et Johanne q.m D. Picosii de Aquilegia testibns ad hoc vocatis et rogatis.

Reverendus Pater et D. D. Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Electus a parte una, suo nomine et Ecclesie Aquilegensis, et Nob. vir D. Giroldus dictus Rao magister Curie, et Albertus notarius de Goritia procuratores magnifici viri D. Henrici illustris Comitis Goritie et Tirolis, ac Aquilegensis, Brixinensis et Tridentine Ecclesiarum Advocati, nec non Civitatis et districtus Tervisii pro regia majestate Vicarius Generalis, ut constat publico instrumento scripto exinde per Jacobum Pizolium notarium de Civitate Austrie sub anno et indictione predictis, die duodecimo exeunte Julio, procuratorio nomine pro eodem, ex altera; pro bono pacis et concordie ad hanc compositio-

nem et concordium devenerunt. Videlicet quod idem D. Electus conservabit, et manutenebit dictum D. Comitem et suos in juribus suis, et jura eorum illibata servabit, et non contrafaciet.

Item quod idem D. Electus pro se, et Ecclesia Aquilegensi, et successoribus suis fecit eisdem procuratoribus, nomine quo supra, finem, remissionem, quietationem, plenam liberationem, et pactum de ulterius non petendo de omnibus et singulis perceptis et habitis per ipsum Dominum Comitem, servitores et officiales suos, aut quoscumque alios ejus nomine de redditibus, bonis, et juribus Patriarchatus Aquilegensis, quocumque modo, usque ad diem presentem.

Item quod dictus D. Electus eisdem procuratoribus recipientibus nomine quo supra, dare et solvere debeat pro labore, expensis, et dampnis, que hactenus dictus D. Comes fecit et sustinuit in regendo, gubernando, protegendo et defendendo Terram Forijulii et Patriarchatum Aquilegensem sex millia marcharum denariorum novorum Aquilegensis monete usque ad sex annos proxime venturos; scilicet mille marchas pro quolibet anno; pro qua solutione facienda et habenda assignavit et dimisit eisdem procuratoribus, recipientibus nomine quo supra, redditus omnes et singulos fructus, proventus, mutas, jurisdictionem quamlibet, et gheriotum de tota Gastaldia Carnee, et ipsam Gastaldiam, et totam Carneam ad ipsum Dominum Electum spectantem cum Castris et munitionibus in ea constitutis, videlicet Tumetio, Invilino et Moscardo, et omnes et singulos redditus et proventus, mutam, ghericlum, et jurisdictionem quamlibet, ac

Capitaneatum et Castrum de Aremspercli, et quecumque alia jura ad predictum Castrum pertinentia, usque ad sex annos proxime subsequentes, integros et completos; quodque in fine eorundem sex annorum predicta omnia et singula Castra, loca, mute, Gastaldie, jurisdictiones, et alia ad ipsum D. Electum libere revertantur. Et sic dicti procuratores, nomine quo supra, juraverunt eidem D. Electo, in fine termini restituere dicta Castra, et loca cum omnibus juribus ad ea pertinentibus, ad hoc omnia bona ejusdem D. Comitis obligantes.

Item cum predictus D. Comes propter conservationem et tutelam sui, et negotiorum suorum, maxime ad presens momentum, necessario indigeat, et sibi expediat habere terram Sacili in sua potestate, forcia et baylia, quod idem D. Electus de gratia speciali, habita et recuperata de manibus D. Guecellonis de Camino dicta Terra Sacili, ipsam concedet, prestabit et dimittet eidem D. Comiti cum omnibus munitionibus et fortalitiis, ac redditibus, fructibus, jurisdictionibus et juribus quibuscumque ad ipsam Terram Sacili spectantibus, usque ad dictum terminum sex annorum, et quod in fine ipsius termini predicta Terra Sacili cum predictis omnibus ad eam spectantibus ad eundem D. Electum absolute et libere revertatur; quodque pro restitutione ipsius Terre cum omnibus suis pertinentiis, dictus D. Comes eidem D. Electo prestabit idoneam cautionem cum obligatione omnium bonorum suorum, et juramento suo vallatam, et ex nunc, prout ex tunc predicti procuratores, nomine quo supra, corporali prestito Sacramento, promiserunt in fine dicti termini, restituere ipsi D. Electo Terram pre-

-tatam; ad hoc bona ejusdem D. Comitis obligantes, ad quorum recuperatione Canipe et Sacili idem D. Electus dabit operam suo posse: quodque ipse D. Comes hoc simile facere teneatur.

Item quod omnia et singula alia Castra, loca, Terras, munitiones, bona, et jura, ac jurisdictiones Aquilegensis Patriarchatus, que per ipsum D. Comitem, vel ejus nomine, in presenti tenentur, ipse D. Comes eidem D. Electo, vel cui mandaverit, infra octo dies proximos venturos, exceptis Tulmino, Los et Tricesimo, que infra quindecim dies proximos dimetteret, aut dimitti facere teneatur libere et expedite. Promittentes dicte Partes ad invicem inter se, stipulatione solempni, predicta omnia et singula firma et rata habere etc. nec contra facere, vel venire aliqua ratione vel causa.

Nos Paganus miseratione divina Electus Aquilegensis supradicta omnia et singula acceptamus, et approbamus, et eisdem omnibus et singulis consentimus manu propria subscribentes.

Ego Francinus q.m D. Montenini de Villanova de Laude sacri Palatii notarius, predictis interfui, et de voluntate partium rogatus hec scripsi. B. V. U. c.

N.° 155.

1319 27 *Luglio Cividale.*

Sentenza del Patriarca nella causa vertente fra Odorlico di Strassoldo, e il Cardinale Pietro Colonna.

Stefano Guglielmini Not.

Die quinto exeunte Julio predicto. Civitate Austria. In Camera Patriarchali. Presentibus venerabilibus viris

Dominis Johanne Abbate Carrariensi Vicario etc. Lombardino de la Turre et Nicolao de Portis Canonicis Ecclesie Civitatensis, Henrico et Stephano notariis de Civitate, et aliis.

Constitutis coram Reverendo in Christo Patre et D. D. Pagano Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Electo, D. Odorlico de Strassoldo Canonico Civitatensi ex una parte, et Andrea de Interampne, procuratore D. Petri de Columpna Cardinalis ex altera, ipse Partes de omni lite et questione inter eos vertente, occasione fructuum et reddituum quarundam Prebendarum in Ecclesia Civitatensi, ut dicitur, non persolutorum, seu alia occasione quacumque, in Dominum Electum prefatum communiter et concorditer compromiserunt etc. Quo facto, dictus D. Electus de voluntate dictarum partium mandavit sententiando et jussit dicto D. Odorlico, quod satisfaciat et persolvat dicto Procuratori hinc ad sex dies quinque libras grossorum venetorum pro dictis fructibus et redditibus perceptis annis elapsis, et de anno presenti quidquid percepit et exegit a Massariis dictarum Prebendarum det et restituat dicto Procuratori, aut cum eo aliter denariis, aut rebus aliis se concordet. Item mandavit et jussit, quod ipse D. Odorlicus restituat libere et resignet dictas Prebendas, et eas dimittat Procuratori prefato sub pena excommunicationis et privationis officii et beneficii. De aliis vero dampnis et expensis hinc inde factis, in dictum D. Electum ad invicem ipse partes compromiserunt usque ad instans festum S. Marie de mense Augusti. Promittentes ratum habere et firmum sub pena centum librarum. R. o.

N.° 156.

1319 27 *Luglio Cividale.*
Oderlico di Strassoldo è prosciolto dalla Scomunica.

Stefano da Cividale Not.

Die quinto exeunte Julio. In Civitate Austria, in palatio Patriarchali. Presentibus venerabilibus viris D. Guilielmo Decano, Guilielmino Preposito Concordiensi, et magistro Condeo Medico D. Pagani Patriarche Aquilegensis, et Stephano familiare Andree de Interamne testibus, et aliis.

Genuflexus coram venerabili viro D. Johanne divina providentia Abbate Carrarie, Reverendi in Christo Patris et D. D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche Vicario generali, nobilis et discretus vir D. Odorlicus de Strassoldo Plebanus Lavaryani, petens eidem per ipsum, auctoritate sibi commissa a venerabili viro D. D. Fratre Pasqualino Priore S. Marie de Avantio de Padua, conservatore D. Pape de Beneficiis in Provincia Aquilegensi, super excessibus et rapressaleis per eum factis, ad petitionem Andree de Interamne procuratoris dicti D. Cardinalis, tam excommunicationis, quam Interdicti beneficium absolutionis impertiri, seu impendi ad cautelam. Qui D. Abbas, auctoritate sibi commissa per dictum D. Pasqualinum, D. Plebanum ab omni vinculo excommunicationis et interdicti, seu excessuum predictorum absolvit, et penitus relaxa-

vit etc. Promittens Sacramento de parendo mandatis Ecclesie etc. A. N. U. o.

N.° 157.

1319 2 *Agosto Cividale.*
Feudo accordato del Patriarca ad Antonio da Cividale Notajo.

Stefano da Cividale Not.

Die secundo Augusti. In Civitate Austria. In Patriarchali Palatio. Presentibus venerabili viro Fratre Johanne Abbate Carrarie de Padua, nobilibus viris D. Odorlico Longo de Civitate et Philippo q.^m D. Contii de Civitate, et Benevenuto Notario q.^m Pantaleonis de Civitate testibus, et aliis.

Constitutus coram Reverendo in Christo Patre et D. D. Pagano Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Electo, Magister Antonius de Civitate, petivit per ipsum de quodam feudo, aut de Decima montis Johannis Brade investiri, paratus Sacramentum fidelitatis facere, prout vassallus suo Domino facere, seu Ecclesie Aquilegensi, consuevit. Qui dictus D. Patriarcha eundem D. Magistrum Antonium investivit de feudo dicte Decime, recepto ab eodem Sacramento fidelitatis etc. cum quodam Caputio, ad perpetuam rei notitiam. A. N. U. o.

N.° 158.

1319 2 *Agosto Gemona.*
Soperchierie di Fantussio e Consorti di Forgaria.

Stefano Romano Valconio Not.

Die secundo intrante Augusto. Presentibus Mambello de Florentia habitatore Glemone, Curnisello de Sancta Victoria, et aliis.

Coram D. Rugerio de Mazis Capitaneo Glemone interrogatus fuit Henricus q.^{m} Mauli de Forgaria de veritate dicenda et contestanda per virtutem Dominii Glemone, loco et vice D. Pagani Patriarche in hac parte; per suum Sacramentum juratus dixit, quod Fantussius q.^{m} D. Guarienti de Forgaria, Johannes q.^{m} D. Guezili, Guilielmus q.^{m} D. Jacobi, Carnellus et Bernardus fratres ipsum personaliter ceperunt, violenter expoliando ipsum de suis bonis, que erant in valimento bene decem Marcharum denariorum Aquilegensium et ultra, constringendo ipsum, ultra dictam expoliationem, ad faciendum eis cautionem de aliis decem marchis denariorum. Insuper posuerunt ipsum in carceribus, seu Turre D. Nicolussii de Flagonea una cum Giunardo filio suo, et ibi tenuerunt ipsum per unum mensem et tres dies, contra Deum et justitiam, faciendo sibi promittere et jurare de non reclamando de dictis pactis aliquo tempore; et hoc non dixit animo reclamandi, sed solummodo per virtutem Sacramenti per D. Capitaneum sibi factam.

Die secundo intrante 'Augusto. Presentibus Curnisello de S. Victoria habitatore Glemone, et Faustino filio Juliani Toderi de Glemona testibus, et aliis.

Coram discreto viro D. Rugerio de Mazis de Mediolano Capitaneo Glemone, ac judice in hac parte deputato per Reverendum Patrem et D. D. Paganum S. Sedis Aquilegensis Patriarcham, ut ibidem dicebat, Johannes filius D. Adalpreti de Flagonea juravit dicere veritatem, quam suo Sacramento dixit remoto odio, amore, avversione, pretio et promissione etc. quod circa annum novum nuper elapsum Fantussius et Odorlicus dictus Mula, et Articus filius dicti Odorlici, Guilielmus et Bartholomeus fratres filii q.m Jacobi de Forgaria, Johannes nepos Domini Plani, Johannes q.m Orlandi, Mesagius q.m Martinati, Jacobus filius Dusoni, Paulus dictus Pizulus filius D. Sarasini, Odorlicus dictus Qualinus et Morettus filius Maranazi, dicto tempore, ipsi et quilibet ipsorum, malo modo et ordine, violenter de nocte ceperunt me et Danielem fratrem meum, ponendo nostras personas in fundo Turris Nicolussii de Flagonea: et similiter dictus Nicolussius nos propria manu sua juvit ponere in dicta Turri, ac etiam spoliando nos omnibus nostris bonis, et ea exportando, et ponendo incendium, et comburendo nostras domos, nos dampnificando in centum marchas denariorum Aquilegensium et plus. Tandem, Deo placente, quod nos evasimus de dicta Turri, et fregimus murum dicte Turris etc.

Actum Glemone, in foro, sub Loza Communis. A. N. U. o.

N.° 159.

1319 5 *Agosto Cividale.*
Sentenza in materia feudale in favore di Francesco q.^m Chinde.

Benvenuto q.^m Corrado Not.

Die quinto intrante Augusto. In Civitate Austria. In Palatio Patriarchali. Presente venerabili viro D. Artuico de Castello Concordiensi Electo, nobilibus viris Dominis Tomasio de Cucania, Palgya de Varmo, Johanne de Sophumbergo, Philippussio q.^m D. Conraducii de Palutiis ejus consanguineo, Bertolotto notario Civitatis, Giuliano q.^m D. Baldachini de Civitate, Latario q.^m Nicholotti Wetii de Manzano, et aliis.

Coram Reverendo in Christo Patre et D. D. Pagano de la Turre Aquilegensis Ecclesie Electo, Franciscus q.^m Chinde de Civitate Austria constitutus in judicio, proposuit dicens, quod post mortem Patris sibi exciderant certa bona et possessiones jure feudi. Post cujus obitum, annus et dies elapsus, petita non fuit investitio feudi. Quare petivit a dicto D. Patriarcha Electo sententialiter deffiniri quid inde juris sit. Super quibus, petente dicto D. Patriarcha a circumstantibus quid inde juris sit, sententiatum extitit; quod dictus D. Patriarcha eidem Francisco debeat dare Nuntium ad intromittendum dicta bona, anno et die elapsis, absque usufructu, ita quod possidentes sentiant de in-

tromissione, salvo jure cujuslibet persone. Qui D. Patriarcha, juxta formam sententie ante late, dedit in nuntium et pro nuntio ipsi Francisco Nicolaum Blasiole, qui exigat et faciat prout superius extitit sententialiter deffinitum. A. N. U. o.

N.° 160.

1319 8 *Agosto Cividale.*
Compromesso tra Gerdrussa da Cividale e Leorando Ribisso.

Stefano da Cividale Not.

Die octavo intrante Augusto. In Civitate Austria, in Patriarchali Palatio. Presentibus venerabilibus viris D. Odorlico Plebano de Strassoldo, Lodencho de Villalta, Walframo de Zucula, Odorlico Longo de Civitate, Fulchero de Savorgnano Civitate commorante, Philippo et Ugone Fratribus q.^m D. Contii de Civitate, Sbruglino Ribisso de Glemona, Antonio Notario de Civitate, Nicholao ejus filio, et Varelio Pizulo notario de Civitate testibus, et aliis.

Constitutis coram Reverendo in Christo Patre et D. D. Pagano Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha, Domina Gerdrussia de Civitate ex una parte, et Leorando Ribisso de Trevisio ex alia: de omni lite et questione, que posset verti inter eos occasione quacumque ad diem presentem, et que una pars movere posset alteri, alte et basse, libere compro-

miserunt amicabiliter et concorditer in discretum virum D. Guilielmum q.m Magistri Walteri de Civitate, hinc ad primum diem instantis Septembris; promittentes habere firmum et ratum quodquid per ipsum sententiatum, et arbitratum fuerit inter eos, sub pena ducentarum librarum Veronensium parvulorum. Et pro Leorando extiterunt fidejussores predictus D. Paulus Galanganus hospes, et Matheus filius Covati de Civitate pro rata, cum obligatione omnium suorum bonorum. Et pro parte dicte D. Gerdrussie extitit fidejussor D. Philipponus Prepositus Civitatensis, cum voto et consensu dicti D. Patriarche, et cum obligatione omnium suorum bonorum. A. N. U. o.

N.° 161.

1319 8 *Agosto Maniago.*
Tregua tra Volveno di Maniaco e i Signori di Montereale.

Antonio di Ailino di Maniaco Not.

Die octavo intrante Augusto. In presentia D. Piligrini, Nicolay de Porta, Antonii ejus Fratris, Martini Fabris, et aliorum.

D. Wolvenus pro se et fratre juravit, trevas Dominis de Monteregali, videlicet Aliotto, Stephanutto etc. hinc ad proximum festum S. Martini per totum diem, sub pena ducentarum Marcharum denariorum Aquilegensium.

Actum Maniaci ante portam Castri. A. N. U. o.

N.° 162.

1319 8 *Agosto Cividale.*
Quonzio di Fagagna è citato a comparire innanzi al Patriarca in Udine pel giorno 22 Agosto.

Benvenuto q.m Corado Not.

Die octavo intrante Augusto, in Civitate Austria, ante domum Jacobi Scofolotti. Presentibus Nicolao notario filio Antonii notarii de Civitate, Landuccio notario q.m Magistri Marini calcificis Civitatensis, et aliis.

Mattiussius Preco Civitatensis precepit ex parte D. Patriarche Aquilegensis Ecclesie, Quontio q.m Raynaldi de Faganea, Civitate commoranti, quod esset responsurus Nicolao filio Fulcherii de Savorgnano et suis fratribus occasione dotium q.m D. Mattiussie de Civitate, quinta decima die hujus diei finita, in Utino, coram ipso D. Patriarca, ad horam termini etc. A. N. U. o.

N.° 163.

1319 11 *Agosto Cividale.*
Feudo dato dal Patriarca a Benvenuto di Pantaleone.

Stefano da Cividale Not.

Die undecimo intrante Augusto. In Civitate Austria, in Palatio Patriarchali. Presentibus discretis viris Guilelmo q.m Magistri Walteri de Civitate, Magistro

Antonio Notario, de Civitate et Cristofolo Domicello dicti D. Patriarche testibus, et aliis.

Coram Reverendo in Christo Patre et D. D. Pagano Dei et Apostolica gratia Aquilegensi Electo constitutus D. Philippus q.^{m} D. Contii de Civitate, tamquam precurator, et procuratorio nomiue Bonaventure D. Peregrini de Carraria ad resignandum domos in manibus ejusdem D. Patriarche cum quodam Instrumento, sive carta; resignavit domos prope domum Communis de Civitate, et post factam resignationem, humiliter supplicavit dictus D. Philippus, Benevenutum q.^{m} Pantaleonis investiri. Unde D. Patriarcha cum dicto Instrumento eumdem Benevenutum investivit cum omni jure ad dictas domos spectante. A. N. U. o.

N.° 164.

1319 11 *Agosto Maniago.*
Tregua tra Volveno di Maniaco e i Signori di Pinzano.

Antonio di Ailino di Maniaco Not.

Die xi. Intrante Augusto. Presentibus D. Chavallo de Ragonia, Nicolao filio D. Vorlici ejusdem loci, Nicolao de Maniaco, Antonio ejus fratre, et aliis.

D. Wolvenus filius olim D. Oluradi de Maniaco juravit trewas Dominis Francisco et Pinzanutto de Pinzano hinc ad sanctum Michaelem per totam diem, in pena cc. Marcharum etc.

Actum Maniaci ante portam Castri. A. N. U. o.

N.° 165.

1319 13 *Agosto Gemona.*
Pagano ordina ad Ermanno di Gemona di restituire la vigna da lui usurpata a Giovanni Sottile.

Stefano Romano Vulconio Not.

Die XIII. intrante Augusto. Presentibus D. Rugerio de Madiis Capitaneo Glemone, D. Spinello de Cavoreto habitatore Glemone, Josepho Cirioli de Glemona, Francisco Beoni, Bertaldino Pologno q.m Antonii, et aliis.

Ex parte Reverendi patris D. D. Pagani S. Sedis Aquilegensis Patriarche precepit Tuscanus Preco de Utino Hermanno q.m Johannis Boni de Glemona, ut vineam, quam tenebat Joannis Subtilis notarii de Glemona, dimittere debeat, nec in ipsa vinea debebat aliquid habere, agere, vel laborare; et si hoc facere nolebat, dictus Hermannus, precepit eidem, ut esse deberet coram ipso D. Patriarcha a die hodierna, ad octo dies in hora termini, in Utino ad faciendam excusationem quare tenebat dictam vineam: et hoc precepit ad petitionem et instantiam dicti Johannis Sublilis.

Actum Glemone, in foro, sub Lozia Communis. A. N. U. o.

N.° 166.

1319 18 *Agosto Cividale.*
Franceschino della Torre è da Pagano nominato Marchese d'Istria.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Electus, Istrie et Carniole Marchio, universis et singulis infra Marchionatum hujusmodi constitutis, salutem in Domino sempiternam.

Populorum commodis tunc recte prospicitur, cum eorum regimini Rectores idonei preponuntur per quorum industriam salubriter gubernentur, et eorum status de bono in melius prosperetur. Cupientes igitur ut vos, qui nobis et Ecclesie Aquilegensis imperio mero et mixto subjecti estis per talem Marchionem et Rectorem gubernemini, cujus industria et circumspecta prudentia in statu tranquillo et pacifico conservari possitis, Marchionatum Istrie et Carniole ad nos, et Ecclesiam nostram predictam spectantem cum omnibus juribus et jurisdictionibus debitis et consuetis, nobili viro, dilecto Nepoti nostro Franceschino de la Turre, de cujus fide, et approbata strenuitate magnam in Domino fiduciam obtinemus, usque ad nostrum beneplacitum duximus concedendum, ipsumque vobis et universis Terris, ipsi Marchionatui subjectis, in Marchionem preficimus et Rectorem. Quo circa vobis universis et singulis districte precipiendo mandamus, quatenus eidem Franci-

schino, tanquam Marchioni vestro, de cetero in hiis que ipse, vel ejus Vicarii, quos per loca vestra deputaverit, vobis duxerit injungendum, obediatis humiliter, et efficaciter pareatis. Alioquin penas, sive multas, quas rite tulerit in rebelles ratas habebimus etc.

Datum Civitati, die XVIII. Augusti M. CCC. XIX. R. C.

N.° 167.

1319 23 *Agosto Cividale.*
Feudo dato dal Patriarca a Francesco di Manzano.

Stefano da Cividale Not.

Die nono exeunte Augusto. In Civitate Austria, in Patriarchali Palatio. Presentibus venerabilibus viris D. Guilielmo Decano Aquilegensi, Nicolao de Portis Plebano, Lodorengo Rava, et Azino de Curia Patriarchali testibus, et aliis.

Reverendus in Christo pater D. Paganus Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Electus investivit cum quodam meo pileo Franciscum de Manzano de quodam Molendino posito in Manzano, quod tenet, et tenebat antea, hinc ad quinque annos inde subsequentes, solvendo annuatim XIV. starios frumenti, XIV. anone, et XIV. mixture; et flexis genibus coram eo etc. A. N. U. Q.

N.° 168.

1319 23 *Agosto Cividale.*

Il Cameraro e Comune di Tarcento colpiti di Scomunica.

Stefano da Cividale Not.

Die nono exeunte Augusto. In Civitate Austria. In Curia Patriarchali. Presentibus D. Guilielmo Vicedomino Monasterii Majoris Civitatensis, Meynardo notario filio Antonii de Gallano, et Magistro Fachino D. Patriarche barbitonsore testibus, et aliis.

Venerabilis vir D. Frater Johannes divina permissione Carrarie Abbas, Reverendi in Christo Patris et D. D. Pagani Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Electi, Vicarius generalis pro tribunali sedens. Cum pluries citavimus Camerarium et Commune Tarcenti ad instantiam et petitionem venerabilis viri D. Gillonis Aquilegensis Archidiaconi, eidem Archidiacono de denariis foci coram nobis responsuros, et pluries rennerent contumaces; pronuntiamus contra dictum Camerarium sententiam excommunicationis, et supponimus Ecclesiam et Plebem Tarcenti Ecclesiastico Interdicto. A. N. U. o.

N.° 169.

1319 23 *Agosto Cividale.*

Lorenzo Pellegrini è nominato Canonico Scolastico in sostituzione di Giacomo Pellegrini di lui fratello.

Giovanni da Cividale Not.

Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Electus, dilecto filio Laurentio Pellegrini Scolastico Ecclesie Civitatensis salutem in Domino.

Laudabilia tue probitatis merita, quibus juvari dignosceris, nos inducunt ut personam tuam honoribus et beneficiis Ecclesiasticis attollamus. Cum itaque Scolasteria Ecclesie Civitatis Austrie, que solet tantum Canonicis ejusdem Ecclesie assignari, ex eo vacet ad presens, quod Jacobus Peregrini frater tuus, cui absenti eam contuleramus, non fuit ad illam inventus idoneus: nos volentes tibi premissorum consideratione, gratiam facere specialem, Scolasteriam predictam sic vacantem, et ad nostram collationem spectantem, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, te diligenter examinato, et invento idoneo, ac in eadem Ecclesia Majori Aquilegensi Canonicatus et Prebendas obtinenti, ordinaria auctoritate conferimus et providemus de illa, teque investimus per nostrum anulum presentialiter de eadem.

Data Civitate, in Patriarchali palatio nostro, decimo Kalendas Septembris, anno Dominice Nativitatis M.CCC.XIX. Indictione Secunda. A. N. U. o.

N.° 170.

1319 26 *Agosto Gemona.*
Pagano ordina che sia eseguita la sentenza pronunciata contro Nicolussio e Fantolino di Flagogna.
Stefano Romano Valconio Not.

Die sexto exeunte Augusto. Presentibus Josepho Cirioli de Glemona, Hermanno q.^m Johannis Boni ejusdem loci, Beltramino Brugno et Cunscino Augoleani, et aliis.

Coram Reverendo Patre D. D. Pagano Patriarcha Aquilegensi comparuerunt Johannes et Daniel fratres de Flagonea dicentes etc. quod quemdam processum fecerunt super Nicolussio et Fantulino q.m D. Vergendi de Flagonia pro quadam violentia eis facta per ipsos Nicolussium et Fantulinum, et alios suos sequaces, in eorum bonis spoliando violenter. Qua de causa coram dicto Rugerio Capitaneo tunc temporis in Glemona et judice in hac parte deputato per dictum D. Patriarcham, dictos Nicolussium et Fantulinum, et quamplures alios convicit per laudum et sententiam de dicta violentia eis facta per predictos, ut continetur publico Instrumento manu Nicolai Notarii de Glemona confecto. Quare rogabant dictum D. Patriarcham, ut dictam sententiam mandare vellet ad secutionem. Qui D. Patriarcha hoc audito, precepit mihi notario subscripto, ut ex parte ipsius precipere et ordinare deberem dicto Jacobo Vicario suo et Vicecapitaneatus in Glemona, ut sententiam dictam, sicut patet in Instrumento dicti Nicolai notarii, ad petitionem dictorum Danielis et Johannis Fratrum contra predictos quam obtinuit, debeat mandare ad secutionem etc. Et dedit mihi notario in mandatis, ut dicto D. Jacobo preciperem etc.

Actum Glemone in Castro D. Patriarche. A. N. U. a.

N.° 171.

1319 26 *Agosto Gemona.*
Pagano rimette al Capitano di Gemona il giudizio intorno ai reclami di Domenico q.m Giacomo Tusati contro Fantolino di Flagogna.

Stefano Romano Valconio Not.

Die sexto exeunte Augusto. Presentibus D. Ulvino de Prampergo, D. Adalgerio Priore S. Marie Collium Glemone, Dominis Odorlico et Francisco Notariis de Utino, Josepho Cirioli de Glemona, et aliis.

Coram Reverendo Patre et D. D. Pagano S. Sedis Aquilegensis Patriarcha comparuit Dominicus q.m Jacobi Tusati de Forgaria dicens et conquerens, quod Fantulinus de Flagonea sua bona violenter accepit contra Deum et justitiam. Quare rogabat ipsum D. Patriarcham, ut sibi faceret rationem et teneret de dicto Fantulino. Qui D. Patriarcha, audita allegatione dicti Dominici, dictam querelam commisit D. Georgio Capitaneo Glemone, aut ejus Vicario, et ipsum constituit judicem in hac parte loco sui, ut dare faciat diem dicto Fantulino ad excusandum se contra querelam dicti Dominici, et ad ordinandum ut sibi restituat ea, que dicto Dominico recepit ad tressum etc. et partem dare in dicta causa, ut ordo juris postulat et requirit.

Actum Glemone in Castro D. Patriarche. A.N.U.o.

N.° 172.

1319 29 *Agosto Meduno.*
Diritto all' oblazioni fatte in S. Daniele del Monte.

Stefano Guglielmini Not.

Die tertio exeunte Augusto. In viridario Vivyani Jurati de Miduno. Presentibus dicto Vivyano et Niculuscio filio q.^m Petri Arponis de Civitate Domicello D. Artici Episcopi Concordiensis, et aliis. Infrascripti testes producti super articulo subscripto de mandato dicti D. Episcopi juraverunt ad Sancta Dei Evangelia nomine Sacramenti, remoto odio etc. perhibere testimonium veritatis. Articulus viro talis est.

Intenditur probare quod Ecclesia S. Georgii de Gellis, tamquam mater, habere debet annuatim tertiam partem omnium oblationum Capelle S. Danielis de Monte, in cujus quidem matricis parochia consistit Capella prefata.

Item eisdem die, locoque. Stephanus juratus ville de Andrees, juratus super dicto Articulo diligenter sibi lecto et explanato, dicere veritatem: In primis dixit, se bene scire, ac se recordari de quinque Plebanis dicte Ecclesie S. Georgii, videlicet de quodam presbitero de Fanna, nomine Sulito, Plebano dicte Ecclesie S. Georgii, que est mater, ut dixit, omnium aliarum Ecclesiarum de Canale de Barzis, qui Plebanus ibidem residebat interdum, et aliquando deserviri per suum Vicarium faciebat; cui in dicta Plebe successit presbiter Conradus,

qui fuit de Midnno, deinde ei successit D. Voglardus, cui etiam successit presbiter Petrus de S. Daniele de prope Ragoniam; Postea vero presbiter Antonius: qui omnes successive habebant et percipiebant annuatim, tamquam Plebani dicte Ecclesie S. Georgii, tertiam partem dictarum oblationum. Et dixit se recordari, et vidisse quod cum trutina, seu balantia dividebantur oblationes predicte inter Sacristam Concordiensem et Plebanum de Barzis, qui erant pro tempore; et ipse testis pluries fecit, ut dixit, hujusmodi divisiones inter predictos Sacristam et Plebanum in platea prope Ecclesiam dicti S. Georgii. Dixit etiam quod tempore q.m D. Nicolai Sacriste Concordiensis, de dictis oblationibus facta fuit certa compositio, inter ipsum Sacristam et presbiternm Symonem, quam dixit se penitus ignorare. Insuper dixit quod oblationes, que fiunt Crucibus ferri et ligni super dicto monte, percipiebat dictus Plebanus, aut ejus Vicarius hoc modo, quod expensas Canonicis, aut Sacriste Concordiensi, qui accedebant ad recipiendum dictam oblationem, ibi, et non alibi facere tenebatur.

Item eisdem die et loco. Dominicus de dicta villa de Andrees juratus super dicto articulo vulgarizzato sibi etc. suo dixit Sacramento per omnia ut Stephanus testis predictus.

Item dictis die et loco. Philippus de dicta villa, juratus et interrogatus, ut supra, dixit Sacramento suo, se vidisse, q.m patre suo existente Jurato D. Episcopi, jam elapsis ultra quadraginta annis, quod semper Plebanus dicte plebis de Gellis percipiebat annuatim dictam tertiam partem oblationum etc. ut supra per totum.

Item Nicolaus de dicta villa juratus et interrogatus, ut supra, dixit suo Sacramento, se predicta audivisse dici a suis majoribus, sed quod ipse numquam vidisset ibi Plebanum aliquem, dixit se ignorare quia juvenis est, ut dixit.

Item eisdem die et loco. Nadalis et Marcus de villa predicta interrogati, ut supra, dixerunt, et se concordant cum dicto Nicolao.

Item predictis die et loco. Dominicus dictus Tegna testis juratus etc. se concordat cum dicto Stephani testis prescripti, hoc addens quod ipse Plebanus debet ibi continue residere, ac percipere et habere decimas de Barzis vivi et mortui, et quod debet esse Dominus plebis predicte etc. ut supra.

Penultimo mensis Augusti, in viridario Vivyani jurati de Miduno. Presentibus Dominis Guidone de Manzano Archidiacono Concordiensi, Bernardo de Civitate Plebano de Vigonovo, et presbitero Sytimino Capellano D. Episcopi infrascripti, et aliis. Reverendus in Christo pater et D. D. Articus Dei gratia Concordiensis Episcopus, sedens pro tribunali, presente Vincentio infrascripto, talem in scriptis contra eum sententiam promulgavit. Nos Articus Dei gratia Concordiensis Episcopus, cum capella S. Danielis dę Monte sit pro parte usui et ornamentis nostre Concordiensis Ecclesie deputata, precipimus et mandamus dilecto in Christo filio Vincentio Sacriste ejusdem Ecclesie Concordiensis, ut reservare et dicere debeat de hiis que modo in presenti festo percepit de oblationibus libere veritatem, sine diminutione, aut defalcatione quacumque; ut cum requisitus fuerit

de perceptis sibi commissis, possit sine suspitione facere rationem. Aliter autem si veritatem tacendo in unico defraudaret quadrante, ipsum excommunicationi, et suspensioni beneficiorum et officii ex nunc volumus subjacere. R. o.

N.° 173.

1319 1 *Settembre Cividale.*
Vertenza tra Tommaso di Cucagna e Benoardo Belloni.

Stefano da Cividale Not.

Die primo Septembris. In Civitate Austria. In Patriarchali Palatio. Presentibus Philippono de la Turre Preposito Civitatensi, Wolrico de Pulcinico, magistro Francisco et Odorlico notariis de Utino, magistro Antonio et Benevenuto q.m Pantaleonis de Civitate notariis, Federico q.m Galvagni de Utino, Odorlico Longo, Ulvino de Canussio, Nicolao q.m Musati de Civitate testibus, et aliis.

Cum coram Reverendo in Christo Patre et D. Pagano Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Electo in judicio sedente, constitutis D. Thomasio de Cucanea milite ex una parte, et Benoardo q.m D. Belloni de Utino ex alia, placitaret dictus Thomasius occasione sfortii cujusdam mansi positi in Adiglia, recti per Paganum, nec non occasione Johannis Vinusse de Valle; D. Benoardus petivit demostrationem dicti mansi, prout per sententiam datam fuerat sibi demonstrandum .... Auditis

allegationibus utriusque partis ... per sententiam definitum fuit, quod postquam proposuerat finaliter et semel non debebat ulterius aggravari super predictis ... nec debebat sibi responderi probato per dictos Odorlicum de Utino et Federicum q.m Galvagni testes. A. N. U. o.

N.° 174.

1319 4 *Settembre Cividale.*
Sicurtà prestata da Francesco di Gastrallo.

Stefano da Cividale Not.

Die quarto intrante Septembri. In Civitate Austria, in Palatio Patriarchali. Presentibus Guilielmo q.m Magistri Walteri nepote de Civitate, Magistro Antonio notario de Civitate, Addundricho de Civitate, Federico q.m D. Galvagni de Utino, et Nicolao notario de Civitate, et Dominico Oste notario de Civitate testibus, et aliis.

Cum coram Reverendo in Christo Patre et D.D. Pagano Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Electo in judicio sedente, Franciscus de Gastrallo placitaret Nicolaum de Utino, tamquam procuratorem D. Odorlici de Villalta, occasione cujusdam sfortii, tamquam tutorem q.m D. Conradi de Strassoldo, et dictus Nicolaus peteret sibi fieri securitatem; dictus Franciscus fecit eidem securitatem de tanto, quanto lis ascenderet, et quanto per Reverendum in Christo patrem et D. Articum de Castello Episcopum Concordiensem. Qui D. Episcopus ad petitionem dicti Francisci, cum obligatione omnium suorum

bonorum extitit fidejussor, cum omni melioramento. A. N. U. o.

N.° 175.

1319 5 *Settembre Cividale.*
Feudi della Chiesa di Concordia confermati da quel Vescovo a Leonardo di Caporiacco.

Simeone da Gemona Not.

Die quinto intrante Septembri. Presentibus Galucio de Zucula et venerabili viro D. Vido de Manzano, Bernardo Canonico de Civitate, presbitero Sitimino, Pindulo de Zolaco, et aliis.

Leonardus filius q.^{m} D. Rubei de Cavoriaco, flexis genibus humiliter petivit a Reverendo Patre D. Articho de Castello Episcopo Concordiensi, ut eum investiret feuda, que olim ejus pater et domus sua habuerunt ab Ecclesia Concordiensi. Quare idem D. Episcopus cum pallio investivit eumden Leonardum de jure suo, salvo jure Ecclesie Concordiensis, et juravit fidelitatem, tamquam vassallus suo Domino.

Actum in Civitate Austrie, ante domum Wilielmi de Ungrispach in qua ipse Dominus moratur.
A. N. U. o.

N.° 176.

1319 7 *Settembre Cividale.*
Tregua tra Simone da Rubignacco e Francesco di Cino da Firenze.

Stefano da Cividale Not.

Die septimo intrante Septembri. In Civitate Austria, in domo Communis. Presentibus D. Adiundrico de Civitate, Zannino dicto Busuto de Civitate, Stephano q.^{m} D. Egidii de Civitate, et ser Nicolao q.^{m} D. Ottolini de Canussio testibus, et aliis.

Symon de Rubignacho q.^{m} Nasinvuerre pro se et suis amicis fecit Trevuas Francisco q.^{m} D. Cini de Florentia, Civitate commoranti pro se et suis amicis, in manibus D. Guilielmi de la Turre Gastaldionis Civitatis hinc ad octo dies post festum S. Georgii proximi, secundum consuetudinem Terre Forojulii. A. N. U. o.

N.° 177.

1319 13 *Settembre Udine.*
Il Vicario del Patriarca ordina al Capitano di Gemona che accordi a Stefano Guerra la soddisfazione da lui richiesta.

Stefano Romano Valsonio Not.

Frater Johannes Abbas Carrariensis Reverendi Patris et D. D. Pagani Dei, et Apostolica gratia S. Sedis

Aquilegensis Electi Vicarius generalis, nobili viro D. Georgio Capitaneo Glemone, aut ejus vices gerenti salutem, et omne bonum.

Conquestus est nobis Stephanus dictus Guerra de Tulmetio, quod Bertolinus, dum moraretur Glemone, Arnaldo de Forgaria Massario patris ipsius Stephani triginta quinque oves, et duos boves violenter, sine Nuntio Dominii, et absque rationabili causa, accepit; et dictas bestias auctoritate propria vendidit, nec eas sibi fecit, secundum consuetudinem Terre, proferri. Quare discretioni vestre mandamus, quatenus si dictus Stephanus vobis pridem petiit de predictis, eidem Stephano detis Nuntium ad accipiendum de bonis ipsius Bertolini, usque ad satisfactionem plenariam predictorum, et pro banno Curie Domini nostri predicti.

Datum Utini, die XIII. Septembris. A. N. U. o.

N.° 178.

1319 ... *Settembre Udine.*

Manino Canonico di S. Odorico o di Udine, e Febo da Cremona Cherico Beneficiato d' Anquillara fanno vicendevole cambio de' loro Beneficj.

Gabriele da Cremona Can. P.

In nomine Domini amen. Anno ejusdem Nativitatis M.CCC.XIX. Indictione II. die ... Septembris. Accedens ad presentiam Reverendi Patris D. Pagani Dei et Apostolice sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Electi, et venera-

bilis viri D. Fratris Johannis Abbatis Monasterii S. Stephani de Carraria Paduane Diocesis, discretus vir Magister Maninus Canonicus Ecclesie S. Odorlici, seu S. Marie de Utino, Aquilegensis Diocesis, et Phebus natus q.m Olstasii de Cremona, Clericus et beneficiatus Ecclesie de Anquillara, Paduane Diocesis, cujus quidem collatio ad ipsum D. Abbatem spectare dicitur pleno jure; volentes et petentes ex certis, justis et rationabilibus causis dicta Beneficia invicem permutare, dictus Magister Maninus dictos Canonicatum et prebendam S. Odorlici, seu S. Marie de Utino, ac omne jus quod in ipsis habet, aut habere videbatur et poterat, quocumque modo, nomine, seu causa, in manibus ipsius D. Electi Aquilegensis; et ipse Phebus Clericus et Beneficiatus Ecclesie predicte de Anquillara, dictum beneficium, ac omne jus quod in ipso habebat, aut habere videbatur et poterat nomine ipsius D. Abbatis, sponte, pure, et libere animo permutandi ad invicem cesserunt, resignaverunt, et renuntiaverunt expresse. Quas quidem resignationes prefati D. Electus Aquilegensis, et Abbas Carrariensis admiserunt et acceptaverunt. Factis igitur et acceptatis resignationibus antedictis, prefatus D. Electus Aquilegensis, et prefatus D. Abbas Carrariensis consideratis predictorum permutantium voluntatibus, et cognito quod ex legitimis causis permutatio jam dicta procedit, omni penitus pravitate cessante, dictos Canonicatum et prebendam S. Odorlici, seu S. Marie de Utino, dicto Phebo ipse D. Electus; et dictum Beneficium de Anquillara eidem magistro Manino ipse D. Abbas libere contulerunt; ac ipsos de dictis beneficiis et prebendis cum omnibus

juribus suis spiritualibus et temporalibus ad ipsa beneficia spectantibus per suum anulum ipse D. Electus, et per suum biretum ipse D. Abbas liberaliter investiverunt. Mandantes ipsos per D. Eusebium Archidiaconum Carinthie in dictorum beneficiorum et jurium auctoritate eorum corporalem possessionem induci.

Datum Utini, in Castro et Palatio Patriarchali. Presentibus nobili viro D. Phebo de la Turre de Mediolano, Materno de Opreno Canonico Plebis de Buvulenta Paduane Diocesis, Guidone de Manzano Archidiacono Concordiensi et Lafranchino de Cremona, qui habitat in Utino testibus, et aliis.

Ego Gabriel filius q.m D. Henrigini de Cremona publicus Imperiali auctoritate notarius prefati D. Electi Officialis, predictis omnibus interfui, et hoc scripsi signum meum consuetum rogatus apponens. B. V. U. o.

N.º 179.

1319 18 *Settembre Udine.*

Il Vicario del Patriarca ordina al Capitano di Gemona che faccia eseguire la sentenza già da lui pronunciata contro coloro che derubarono il Parroco di Forgaria ed altri di quelle vicinanze.

Stefano Romano Valconio Not.

Frater Johannes Abbas Carrariensis Reverendi Patris et D. D. Pagani Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Electi Vicarius generalis, nobili viro D.

Georgio Capitaneo Glemone, aut ejus vices gerenti salutem et omne bonum.

Cum, sicut ex parte discreti viri D. Hengelpreti Plebani Forgarie, et quorundam affinium suorum nuper audivimus, quidam habitatores Dominii vestri in Flagonea quedam bona ipsius Plebani et affinium suorum violenter acceperunt, et coram vobis super hujusmodi rapina per laudum et sententiam sint convincti, prout dicitur, per instrumentum publicum apparere; discretioni vestre mandamus, quatenus, si est ita, dictam sententiam executioni mandetis, facientes accipi de bonis ipsorum habitatorum, juxta formam sententie antedicte, ita quod dictus Plebanus ad vos venire propter hoc non cogat.

Datum Utini, die XVIII. Septembris. A. N. U. o.

N.° 180.

1319 20 *Settembre Cividale.*

Sentenza del Patriarca in argomento feudale.

Stefano da Cividale Not.

Die undecimo exeunte Septembri. In Civitate Austria, in Palatio Patriarchali. Presentibus D. D. Thoma de Cucania milite, Fulchero de Savorgnano, magistro Odorlico Notario de Utino, Guilielmo de Grusimbach, Nicolao q.^{m} Musati, Galutio de Civitate, Magistro Francisco Notario de Utino, Bertolotto Notario de Civitate, Odorlico de Cadrubrio et Philippo q.^{m} D. Conradutii de Civitate testibus, et aliis.

Coram Reverendo in Christo patre et D. D. Pagano Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Electo in judicio sedente, comparuit Jacobus q.m D. Herbardi de Utino dicens, quod sunt quidam homines qui habebant ab eo, seu a domo sua, quedam bona feudalia, et non receperant investitionem ab eo infra tempus debitum. Quare petebat sententialiter deffiniri si deberet sibi dari nuntius ad intromittendum dicta bona feudalia. Qui D. Patriarcha dedit sibi nuntium Johannem q.m Petri de Colvacho ad intromittendum dicta bona feudalia; voluitque sibi ea tradere per annum et diem sine usufructu, presentibus bonis viris ad hoc, ut perveniat ad dictos dictorum feudarum possessores hujusmodi notitia intromissionis laudo et sententia mediante, petita a circumstantibus etc. A. N. U. o.

N.° 181.

1319 21 *Settembre Cividale.*
Tributo di un Cavallo pagato da varj Feudatarj al Patriarca.

Odorico Not.

Die decimo exeunte Septembri. In Civitate Austria, in Curia Patriarchali, ante Fariam. Presentibus Henrico Calcifice, Francisco Bernardi de Civitate, Leonardo Cappellario genero Sclavutii de Civitate, Thomado Calcifice filio Armanutii de Porta Broxana, Johanne Decano de Rubignacco testibus, et aliis.

Spinalbus de Casara de Padua Marescalchus Reverendi Patris et D. D. Pagani Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche et ejus Curie, confessus extitit et contentus se habuisse et recepisse a Wera q.m Pertoldi de Bultinico unum Ronzinum grossum, dante pro se et sociis suis per satisfactionem ministerii Marescalli Curie ipsius D. Patriarche. A. N. U. o.

N.° 182.

1319 23 *Settembre Alesso.*
Beni dati in feudo in Alesso presso al lago di Cavazzo a Jachilo di Erbardo.

Stefano Romano Valconio Not.

Die VIII. exeunte Septembri. Presentibus Johanne de Saletto, Nicolao q.m Firmani de Sancollo, Odorlico, Cusardo ejusdem loci, Simone filio Bertuli de Cavacio, Jacobo Venuti de Saletto, et aliis.

Cum Johannes de Corvacho datus esset nuncius a Reverendo Patre etc. D. Pagano Patriarcha Aquilegensi per laudum etc. ut dicebat, ad ponendum Jachilum q.m Herbardi de Civitate in tenutam et corporalem possessionem de omnibus bonis feudalibus sitis in Alessio apud Lacum Cavacii, que pertinent dicto Jachilo, aut alicui qui ab ipso Jachilo habere dignosceretur, que bona etiam reguntur per Leonardum Decanum, per Antonium Medicum et Blancum etc. dictus Johannes nuntius tempore hujus Contractus posuit de dictis bonis ipsum Jachilum

in tenutam et corporalem possessionem extrahendo, et deponendo de paleis tectorum, et dando in manibus dicti Jachili, ut mos est etc. Salvo tamen jure cujuslibet persone.

Actum in Alessio super dictis bonis. A. N. U. o.

N.° 183.

1319 25 *Settembre Gemona.*
Tregua fra Biagio Cucinini e Martino de Musto.

Stefano Romano Valconio Not.

Die septimo exeunte Septembri. Presentibus Josepho Cirioli, Hermanno et Blasio fratribus q.^{m} Johannis Boni, Zuanaccio de Scolaribus de Florentia, Indriuccio q.^{m} Candidi Susanis, et aliis.

Blasius filius Mathiussi Cucinini de Glemona pro se, suisque amicis etc. fecit et promisit Treguas Martino de Musto de Glemona, suisque amicis hinc ad festum Nativitatis Domini proximum. Promittens namque dictus Blasius quod si aliquem sciverit velle nocere dicto Martino etc. quod citius quam poterit, faciet scire Dominio Glemone, aut dicto Martino, nec per se, nec per alias personas eidem non offendere hinc ad terminum dictum. Et juravit ipse Blasius ad sancta Dei Evangelia etc. omnia predicta firma etc. habere et tenere, et non contrafacere etc. et hoc sub pena quinque marcharum denariorum Aquilegensium, et manus sue dextere, cum obligatione omnium suorum bonorum etc.

E converso ibidem, presentibus testibus suprascriptis, dictus Martinus pro se etc. sub eadem forma, modo, et conditione fecit et promisit Treguas dicto Blasio etc.

Actum Glemone in foro, ante domum Valteri Valuti. A. N. U. o.

N.° 184.

1319 4 *Ottobre Udine.*

Nicolò Fugazolo riferisce di aver consegnata al re di Boemia la lettera del Patriarca, e di non aver potuto ottenere alcuna risposta.

Stefano Romano Valconio Not.

Die quarto intrante Octubri. Presentibus D. Petro Mora de Mediolano, Lauco Zinole de Glemona, Michaele dicto Baratta de Glemona, Amadusino ejusdem loci, Causio q.m Precone, Cesotta testibus, et aliis.

Coram Reverendo in Christo patre D. Johanne Abbate Carrariensi, nec non Reverendi Patris et D. D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, Vicario ac judice in hac parte deputato, ut ibique dicebatur, Nicolaus dictus Fugazolus de Glemona testis, sive nuntius productus ad instantiam Bertaldini q.m Bertaldi de Glemona super eo quod presentavisset litteras Serenissimo ac sublimi Principi D. Henrico inclito Boemie regi, Domino Karinthie, Tirolis et Goritie Comiti, Ecclesiarum Aquilegensis, Tridentine et proxime Advocato, ex parte Reverendi Patris et D. D.

Patriarche, et ad petitionem dicti Bertaldini; qui Nicolaus testis, sive Nuncius dictus interrogatus de veritate dicenda, sibi prestito Sacramento dixit, et in veritate sua asseruit, quod supradicto strenuo ac sublimi Principi D. Henrico inclito Boemie regi, ex parte dicti Reverendi Patris et D. D. Pagani Patriarche, et ad instantiam dicti Bertaldini et petitionem in civitate Heuspurgi certas literas presentavit, quarum litterarum, talis erat tenor, ut ibique demonstravit ... Post vero presentationem dictarum litterarum sigillatarum cum sigillo dicti Reverendi Patris et D. D. Pagani Patriarche dixit dictus Nicolaus nuntius, quod permansit in dicta Civitate Heuspurchi apud predictum strenuum et sublimem Principem D. Henricum regem per tres dies, et quod pluries in una dictarum trium dierum dicto Strenuo D. Henrico regi petiit responsionem dictarum litterarum presentatarum, quam responsionem dixit quod ipse strenuus Princeps D. Henricus penitus dare recusavit. Que omnia dixit dictus Nicolaus nuntius per suum Sacramentum remoto etc. quod ita fuerat, et bene recordabatur.

Actum Utini in Palatio Patriarchali. A. N. U. o.

N.° 185.

1319 6 *Ottobre Cividale.*

Sentenza del Patriarca nella causa per l' eredità del defunto Bernardo di Ragonia Decano del Capitolo di Cividale.

Stefano Guglielmini Not.

Die sexto intrante dicto mense Octubri. In Patriarchali camera de Civitate. Presentibus Reverendis pa-

tribus Dominis Artico Concordiensi et Rodulfo Tergestino Episcopis, Raho de Wypacho, Florito de Pinzano, et Verra de S. Daniele, et aliis.

Constituti in judicio coram Reverendo in Christo Patre et D. D. Pagano Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Electo, D. Nicolaus de Portis Vicedecanus, Guarnerus de Pulzinico, et Guidonus de Manzano, Procuratores Capituli Civitatensis, ut dicebatur, ad probandum terminum hodiernum peremptorie statutum, scilicet Nobilibus viris Dominis Pezmano et Duringo filio Hermanayte de Ragonia, Florito de Pinzano, Laucho de Glemona, D. Federico de Pers, ut ipsi peremptorie ostendere deberent dicto termino omne jus quod credunt se habere in bonis, et super bonis relictis per D. Bernardum pie memorie Decanum Ecclesie Civitatensis predicte, Parussium q.m Benevenuti Cramarii de Utino in suum Nuntium produxerunt. Qui Nuntius, mandante dicto D. Electo, juravit corporaliter ad Sancta Dei Evangelia relationem dicti termini, amore, odio et timore remotis, facere bona fide, dixit eis se predictos, pluribus jam diebus elapsis, ex parte dicti D. Electi citasse peremptorie ad diem hodiernam, ut ipsi coram dicto D. Electo in Civitate Austria legitime comparere curarent ostensuri de jure suo quod dicunt, et credunt se habere super bonis que fuerunt dicti q.m D. Decani, relictis Ecclesie supradicte, nec non recepturi super predictis a dictis Dominis Vicedecano et Capitulo Civitatensi justitie complementum; alioquin minime de cetero audirentur. Quo facto, per laudum Curie sententiatum fuit terminum hujusmodi bene probatum fore,

et silentium perpetuum imponi debere predictis sic citatis super dictis bonis, postquam comparere contumaciter neglexerunt. R. o.

N.° 186.

1319 9 *Ottobre Gemona.*

Enrico Mulo e Daniele e Giovanni e fratelli di Forgaria si mettono sotto la protezione del Capitano di Gemona e della Chiesa d' Aquileja.

Stefano Romano Valconio Not.

Die nono intrante Octubri. Presentibus D. Sancollo, D. Bancho de Florentia habitatoribus Glemone, Andrea dicto Savio da Glemona, Curnisello de S. Victoria habitatore Glemone, et aliis.

Ad presentiam Nobilis viri D. Georgii de Soppo Capitanei Glemone pervenit Henricus dictus Mulus de Forgaria proferens, et ponens se in defensione et protectione ipsius D. Georgii, rogans dictum Georgium, ut tamquam massarium Aquilegensis Ecclesie et suum servitorem, ipsum vellet defendere et manutenere. Qui dictus D. Georgius ibique dictum Henricum Mulum accepit in sua protectione et defensione, tamquam Massarium dicte Aquilegensis Ecclesie, ac suum servitorem: et juvare erga quamlibet personam tamquam servitorem etc. ipsum Henricum permisit.

Eodem die, loco, et testibus. Ad presentiam Nobilis viri D. Georgii Capitanei Glemone pervenit D.

Adalpretus de Flagônea, tamquam procurator Danielis, et Johannis, Fratrum de Forgaria de qua procuratione dicebat esse publicum Instrumentum manu mei notarii, sub eodem millesimo, indictione etc. ponens dictos Danielem, et Johannem et fratres in sua defensione et protectione, ac rogans dictum D. Georgium ut dictos fratres accipere vellet in sua defensione. Qui D. Georgius dictos Fratres etc. accepit in sua defensione etc. tamquam suos servitores, promittens etc. coadjuvare etc.

Actum Glemone, in foro, ante domum Bave.

A. N. U. o.

N.° 187.

1319 10 *Ottobre Cividale.*

Procura di Malizia di Butrio e Complici onde scusarsi dalle Colpe loro attribuite.

*Benvenuto q.*m *Corado Not.*

Die decima intrante Octubri. In Civitate Austria ante Ecclesiam S. Christophori de Civitate. Presentibus Benevenuto notario q.m Pantaleonis de Civitate, Paulo q.m Mathei de Sinirola, Johannino filio q.m Massiliutti de Civitate, Ugone filio q.m D. Quontii de Civitate, Bartulo filio Lotaringi Tusci nunc in dicta Civitate commorante, et aliis.

Paulus de Utino, Civitate commorans, ac Petrus

filius q.^{m} D. Brance et Odorlicus Malitia q.^{m} Siuridi de Butrio fecerunt, constituerunt et ordinaverunt D. Philippum q.^{m} D. Johannis de Portis presentem et hoc mandatum sponte suscipientem, suum certum nuntium, executorem et procuratorem legitimum coram Reverendo Patre et D. D. Pagano Aquilegensis Ecclesia Electo, ae coram quocumque alio suo Marescalcho, Capitaneo, aut Officiali, aut coram D. Guilielmo Castaldione Civitatis, et coram quocumque alio Domino, seu judice, tam layeo, quam Ecclesiastico ad excusandum, et ad singulas excusationes faciendum, et specialiter super quadam Grida facta in Civitate, ut dicitur, quod ipsi debeant comparere coram dicto D. Castaldione ad faciendum eorum excusationem super eo quod ipsi frangerent pacem, ut dicitur, inter illos extrinsecos Civitatis ex una parte, et intrinsecos ex parte alia, super omnibus et singulis que tam dictus D. Patriarcha, quam dictus D. Castaldio, seu alius Judex ipsius, aut alterius ipsorum dicere, seu aliquam questionem presumere vellent quacumque occasione, seu causa: et si necesse fuerit, ad agendum, defendendum, opponendum etc. testes et instrumenta producendum et reprobandum, vel sententias andiendum, et si necesse fuerit, appellandum, appellationes prosequendum etc. compromittendum etc. et generaliter ad omnia et singula faciendum et expetendum in judicio, sive extra etc. Promittentes mihi notario infrascripto recipienti et stipulanti etc. quidquid per ipsum Procuratorem, et quemlibet substituendum in predictis factum fuerit, aut modo aliquo

procuratum, ratum et firmum habere, ac tam in perdendo, quam in lucrando; ipsumque Procuratorem et executorem a cujuslibet fidejussionis onere relevare, sub bonorum suorum omnium ypotecha.
A. N. U. o.

N.° 188.

1319 14 *Ottobre Cividale*

Conferma de' Feudi fatta dal Patriarca ad Enrico Cazzetta.

Stefano da Cividale Not.

Die quartodecimo intrante Octubri. In Civitate Austria, in Palatio Patriarchali. Presentibus D. Artico Episcopo Concordiensi de Castello, fratre Jeronimo de Albo in dicta Civitate commorante, Christophoro Azino commorante in dicta Curia Patriarchali, Marculo de Tricesimo testibus, et aliis.

Reverendus in Christo Pater et D. D. Paganus Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Electus investivit cum quodam Capputio, Henricum dictum Cazzettam de Civitate, de feudis, que habebat ab Ecclesia Aquilegensi, recepto ab eodem Sacramento fidelitatis, prout vassallus suo Domino facere consuevit.
A. N. U. o.

N.° 189.

1319 15 *Ottobre Cividale.*
Sentenza del Patriarca nella causa vertente tra Giacomo di Maniago, e Guarnero di Enemonzo.

Benvenuto q.m Corrado Not.

Die xv. intrante Octubri, in Civitate Austria, in Patriarchali Palatio Civitatensi. Presentibus venerabilibus viris D. Abbate Carrariensi, Lombardino de la Turre, Gillone de Villalta Canonico Aquilegensi, ac nobilibus et discretis viris D. D. Hectore de Savorgnano, Federico ejus fratre, Guilielmo nepote q.m magistri Walteri Civitatensi, magistro Odorlico de Utino, Francisco Nasutti de Utino, Vridancho de Civitate q.m D. Pochini de Rubignacco, et aliis.

Coram Reverendo in Christo Patre et D. Pagano de la Turre Aquilegensis Ecclesie Electo sedente, D. Jacobo q.m D. Samuelli de Maniacho ex parte una, et Varnero q.m Stephani Scuzulini de Anemontio ex altera in judicio constitutis: dictus Varnerus proposuit dicens, quod dictus D. Jacobus sibi fecerat exfortium super quodam suo manso et tenuta, sito in Contrata Carnee, in villa que dicitur Luinziis, recto per ser Poldissum q.m Johannis Bernardi de eadem villa: et cum ad diem hodiernam datus sit terminus dicto D. Jacobo ad satisfaciendum sibi de dicto exfortio, petivit dictus Varnerus sententialiter deffiniri quid inde juris sit. Ad que dictus Jacobus respondit dicens, quod ullum non fecerat

exfortium dicto Varnero, cum dictus Mansus erat suus, et sibi exciderat occasione feudi, et quod fecerat laudo et sententia coram ipso D. Patriarcha cum nuntio Dominii. Ex adverso dictus Varnerus allegando dixit, quod hujusmodi mansum emerat suis propriis denariis a quodam homine, qui dictum Mansum pacifice et quiete pluribus annis possiduit justo titulo, et de sua tenuta vendiderat ipsi Varnero; quem mansum habet dictus Varnerus in sua tenuta, et exinde habet bonum manutentorem et warentatorem: idicirco si aliqua sententia lata coram ipso D. Patriarcha ad petitionem ipsius D. Jacobi super predictis ipsi Varnero in presenti non citato, fuerit in prejudicium ipsius Varneri super predictis, debet esse cassa, et vana, et nullius valoris. Super quibus petente dicto D. Patriarcha a circumstantibus, quid inde juris sit, sententiatum extitit, quod dictus D. Jacobus nullum fecerat exfortium dicto Varnero super predictis, postquam fecerat cum nuntio Dominii ipsius D. Patriarche; sed sententia lata coram ipso D. Patriarcha ad petitionem ipsius D. Jacobi, ipso Varnero in presenti non citato, debeat esse cassa et vana, et nullius valoris, atque momenti. A. N. U. o.

N.° 190.

1319 16 *Ottobre Cividale.*
Pagano raccomanda a Federico d' Austria Francesco de Baveriis.

Serenissimo Principum Domino Frederico Dei gratia inclyto Romanorum Regi, Paganus eadem gratia S.

Sedis Aquilegensis Electus sui recomendationem, seque ad mandata paratum.

Exposuit nobis pluries conquerendo, et per instrumentum publicum trium Sygillorum munimine roboratum ostendit Franciscus de Baveriis de Florentia, civis Civitatis nostre de Utino, debitum quod cum a vobis, et Predecessoribus vestris debeat mille marchas habere, nullam adhuc potuit solutionem, quamvis pluries petiverit, obtinere. Ideoque deliberavimus mittere Celsitudini vestre latorem presentium cum autentico exemplo sui instrumenti predicti tum causa ostendendi hujusmodi debitum et negotium civis nostri, tum etiam ut sciamus felices vestros progressus, quos optamus gloriosissime prosperari. Quo circa Serenitatem vestram cum devotione hortamur, ut ad solutionem dicti civis nostri regius animus inclinetur, et nobis de statu jam dicto dignetur rumores optatos scribere per eundem latorem. Ita quod de utroque letantes, vobis, et genti vestre reddamur, sicut in votis gerimus, ad quecumque beneplacita semper prompti.

Datum Civitate Austria, die XVI. Octobris, Secunda Indictione. A. C. U. o.

N.° 191.

1319 16 *Ottobre Cividale.*

Proroghe nelle Cause vertenti fra Dietmaro di Greffimberch e Valchilo e Fratello di Villacco, e fra Antonio di Gallano e Carismano di Savorgnano. Stefano da Cividale Not.

Die decimo sexto intrante Octubri. In Civitate Austria, in Palatio Patriarchali. Presentibus D. Thomasio de

Cucania, Hectore de Savorgnano, Manfredo de Purcileis, Fulchero de Savorgnano, Odorlico Longo de Civitate, Paolo Bojano de Civitate, Magistro Odorlico, [Francisco q.m Nasuti, Federico Burella, et Zambono Notario de Utino, et D. Bernardo de Strassoldo testibus, et aliis.

Constitutis coram Reverendo in Christo Patre et D. D. Pagano Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Electo in judicio sedente pro tribunali, D. Dyethmaro de Greffimberch ex una parte petente, et Walchilo et Virinzio fratribus de Wipacho ex altera, dictus D. Dyetmarus petebat eos tanquam servos suos dicens, quod pater eorum fuerat servus suus, ideo erant sui. Dicti Fratres responderunt, quod erant Ecclesie Aquilegensis, cum mater eorum esset libera: et cum ad hodiernam diem datus esset terminus utrisque partibus ad producendum eorum jura, ad petitionem ipsius D. Dyetmari responsuri erant si deberent ei servire, aut D. Patriarche. Cui dictus Dyetmarus ullam probationem hostendere renuit et recusavit, et ab omni suo jure cecidit. Dicti petierunt espensas factas. Tandem interposuit appellationem dictus D. Dyetmarus ad Colloquium generale super expensis resarciendis. Et pluribus hinc inde allegatis quod non posset appellare ad Colloquium generale, eo quod expense non ascenderent ultra quinquaginta libras, et quod instrumentum hujusmodi Colloquii produci debebat per ipsum D. Dyetmarum: dicti defendentes petierunt sententialiter diffiniri, si securitas, quam fecerunt dicto D. Dyetmaro, deberet esse libera

et absoluta. Jus suum reservavit dictus D. Dyethmarus, et respondit dicens, quod sibi non fecerunt aliquam securitatem. Petente dicto D. Electo quid juris esset, sententiatum fuit, quod dicta securitas deberet esse cassa, et vana, et nullius momenti. Ibidem ex opposita parte D. Offius de Lanstroth, et Conradus generus dicti D. Dyethmari quia ad eos spectabant predicti Wiringus, et Walchilus, et eorum frater D. Zenobius de Ostremburch absens, finaliter fecerunt, et convenerunt in tale Concordium ambe partes, audito quod deberent esse dicte partes coram D. D. Electo cum omnibus suis juribus, probature peremptorie ubicumque fuerit, astiterunt contente, quod comparebunt a die Lune proximo ad quindecim dies inde subsequentes, et de mandato dicti D. Electi se ad invicem affidarunt.

Item eodem die, loco et testibus. Antonio de Gallano ex una parte, et Parisino notario de Utino procuratore D. Carismani dicti Belli de Utino ex altera coram dicto D. Electo constitutis. Cum terminus esset assignatus dicto Parisino, nomine antedicto, ad hodiernam diem ad hostendendum quid apportaverit de Colloquio super hujusmodi appellatione interposita per ipsum Parisinum, prout partes supradicte confitebantur; dictum terminum prorogavit a die Lune proximo, ad octo dies coram dicto D. Electo compariturі in eodem statu Utini, aut Civitate Austrie, steterunt dicte partes contente. A. N. U. o.

N.° 192.

1319 19 *Ottobre Cividale.*

Il Giudizio intorno alla causa vertente tra Guarnero da Cividale, e Indriottis da Udine è prorogato pel 12 Novembre venturo.

Stefano da Cividale Not.

Die tertio decimo exeunte Octubri. In Civitate Austria, in domo Communis. Presentibus Benedicto q.m Jacomati de Civitate, et Jacobo dicto Fris de Civitate testibus, et aliis.

Cum hodie esset terminus in Civitate inter Warnerum q.m Bontadi de Civitate ex una parte, et Zuanutum notarium de Utino, procuratorem D. Indriottis de Utino ex altera, ad hostendendum omnia eorum jura coram Reverendo etc. D. Pagano Aquilegensi Electo, occasione cujusdam livelli, ut dicte partes confitebantur, prorogarunt in eodem statu compariture in Civitate coram dicto D. D. Electo hinc ad crastinam diem festi S. Martini, ad hostendendum eorum jura etc. A. N. U. o.

N.° 193.

1319 22 *Ottobre Cividale.*

Proroga nella causa di Potagino da Cividale e Lippo d' Aquileja.

Stefano da Cividale Not.

Die decimo exeunte Octubri. In Civitate Austria, in Palatio Patriarchali. Presentibus Guilielmo nepote

q.m magistri Valteri, Benevenuto notario q.m Pantaleonis, Widrango, Guilielmo q.m Baldachini, Bengivegna de Florentia, D. Thomasio de Cuchauia, et Odorlico Longo testibus, et aliis.

Coram dicto D. Electo constitutis Potagino de Civitate, et Lippo de Aquilegia, occasione cujusdam termini cause; prorogarunt hinc ad diem lune proximum in Utino, in eodem statu etc. et de predictis extiterunt contenti. A. N. U. o.

N.º 194.

1319 22 *Ottobre Cividale.*

Pagano riceve sotto la protezione della Chiesa d' Aquileja la persona e gli stati del Conte di Gorizia.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Paganus etc. illustri ac magnifico viro affini nostro D. Henrico Goritie ac Tirolis Comiti, et nostre Aquilegensis Ecclesie Advocato, salutem et dilectionem sinceram.

Sancta Mater Ecclesia devotos, humiles filios ex consuete pietatis officio propensius consuevit diligere, et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos, tamquam pia mater, sue protectionis munere confovere. Cum igitur oporteat vos ad presens extra terram vestram in Civitate et districtu Tarvisii, ubi estis pro Regia Majestate generalis Vicarius, commorari: nos, vestris justis

postulationibus grato concurrentes assensu, personam vestram, et Terram, ac bona omnia ad vos spectantia, sub Ecclesie Aquilegensis, et nostra protectione suscipimus, et presentis scripti patrocinio communimus.

Datum Civitati, in Patriarchali palatio nostro, die XXII. Octobris, anno M.CCC.XIX. R. c.

N.° 195.

1319 24 *Ottobre Cividale.*

Conferma de' feudi accordata dal Patriarca a Preogna da Spilimbergo.

Stefano da Cividale Not.

Die octavo exeunte Octubri. In Civitate Austria, in Palatio Patriarchali. Presentibus D. D. Gillone Aquilegensi Archidiacono, Warnero de Pulzinicho, Walframo de Zucula, et D. Petro Mora de Mediolano testibus, et aliis.

Reverendus in Christo Pater et D. D. Paganus Dei et Apostolica gratia Sedis Aquilegensis Electus investivit cum quodam Capputio D. Pregoniam de Spegnimbergo de omnibus feudis, que habebat a Dominio Aquilegensi, recepto ab eo Sacramento fidelitatis, prout vassallus suo domino facere consuevit. A. N. U. o.

N.° 196.

1319 27 *Ottobre Gemona.*
Il Cameraro, i Consoli e la Comune di Gemona son dal Patriarca prosciolti dalla Scomunica.

Giovanni Sottile Not.

Die quinto exeunte Octubri. Presentibus Dominis Jacobo de Mazuchello de Mediolano Vicario D. Georgii de Soppo de Bergamo Capitanei Glemone, presbitero Blasio nepote q.m Cossarii, Clerico Cleffonis, Lappo de Amideis cive in Glemona, Henrico Olei, Nicolao Bochapillose, Dominico dicto Bursa de ferro, Johanne Beachini, Nicolao Puzini de Glemona, et aliis.

Cum Franciscus Sibelli notarius de Glemona attulisset quasdam literas Reverendi Patris et D. D. Pagani Patriarche Aquilegensis sigillatas suo Majori sigillo integro et illeso, et eas legi fecisset coram dicto D. Vicario, et testibus dictis, atque in presentia Dominorum Camerarii et Procuratorum Ecclesie S. Marie Plebis Glemone, videlicet Dominici Camerarii q.m Johannis Nigri, Jacomini de Lech, Jacobi dicti Cuche Ursutonis, et Minii filii q.m Egidii de Furno de Glemona, Procuratorum Ecclesie memorate, quarum literarum tenor talis est.

Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Electus presbitero Blasio Vicario Plebis S. Marie de Glemona salutem in Domino.

Cum Camerarius et Procuratores Plebis S. Marie de Glemona, ac ejusdem loci de Glemona Consules ex-

communicati per nos fuerint, et locus subpositus Interdicto, pro eo quod non solverunt Procuratoribus Vuidonis de Callio Plebani dicte Plebis sex libras Venetorum grossorum, quas pro eadem Plebe ipsi Plebano annuatim dare tenentur; ipsi Procuratores, Camerarius, Consules ac totum Commune dicti loci per eorum Procuratores et Sindicos nobis solvere infra unum mensem proxime venturum procuratoribus predictis jam dicti Vuidonis Plebani promiserint dicte pecunie summam cum expensis legittimis; presentium tibi auctoritate mandamus, quatenus eosdem Camerarium, Procuratores et Consules a sententia excommunicationis jam dicte, juxta Ecclesie formam absolvas, et denunties absolutos, universitatem dicti loci, cui Interdictum relaxamus, libere recipias ad divina. Ita tamen quod si dicta pecunia cum expensis infra terminum predictum non fuerit persoluta, iidem Camerarius, Procuratores, Consules et universitas in sententiam jam dictam sint eo ipso relapsi.

Datum Utini, die XXVII. Octubris II. Indictione.

Quibus litteris perlectis, proposuit adhuc Franciscus Sibelli notarius de Glemona dicens et protestans, quod Dominis Articho de Prampergo, Mathiussio dicto Fresoria de Glemona et D. Bancho Bombeni de Florentia residenti in Glemona, licet absentibus, atque pro se ipso, quod ipsi quatuor obligaverunt se ipsos et bona sua Procuratoribus D. Vuidonis de Callio Plebano Plebis S. Marie de Glemona in hunc modum, videlicet quod usque ad unum mensem proxime futurum dare tenentur Procuratoribus et Sindicis dicti Plebani sex libras denariorum venetorum grossorum; alioquin se obligaverunt ire Uti-

num, et ibi stare, et non exire de Utino, nisi prius dictis Procuratoribus fuerit solutio facta per eosdem, vel alias personas de pecunia antedicta, et ipsi Procuratores dicti promittere vellent ipsos dictos D. Articum, Mathiussium, Bancum et Franciscum, et bona eorum relevare indempnes super bonis Camere Plebis dicte, quod D. Blasio dicto darent et assignarent literas supradictas, alioquin non. Qui procuratores Plebis Glemone dicte suprascripti, atque Camerarius dictus promiserunt eos et bona eorum indempnes relevare de dicta pecunia, dampnis et expensis, et in pena dupli dicte pecunie, cum obligatione bonorum dicte Camere etc. promittentes adimplere etc. et non contra facere, aut venire etc.

Actum Glemone, in foro, apud domum Communis. A. N. U. o.

N.° 197.

1319 18 *Ottobre Gemona.*
Appello dalla Curia Patriarcale al Parlamento.

Giovanni Sottile Not.

Die quarta exeunte Octubri. Presentibus Henrico Olei, D. Spinello cive in Glemona, Nicolao dicto Puzino notario, Philippino filio Juliani Toderi de Glemona, Curnisello de S. Victoria habitatore in Glemona, et aliis.

Coram D. Jacobo Mazuchello de Mediolano Vicario nobilis viri D. Georgii de Soppo de Bergamo Capitanei

Glemone, comparuit Martinus de Musto de Glemona dicens: Domine, cum me appellassem super lite et questione quinquaginta librarum denariorum Veronensium parvorum, quas a me, nomine depositi, Mathiussius dictus Mus filius q.m Cavassii Antulini de Glemona petebat, ad D. Paganum Patriarcham Aquilegensem, vel ad ejus Vicarium, et ipsam appellationem in ejus Curia per me tempore debito procuratam, quamvis in ipsa Curia contra eandem appellationem sententiatum fuerit: bene sententiatum, et male appellatum, ego a sententia in ipsa Curia sententiata, sentiens me gravatum, appellavi ad Colloquium Generale, et ipsam appellationem sigillatam sigillo D. Abbatis de Carraria integro et illeso vobis appresento et monstro, (et eam monstravit cum sigillo integro et illeso in presentia dicti Musi) offerens me paratum in tempore debito hanc dictam appellationem procurare, ut juris ordo postulat. Qua allegatione dicti Martini composita, et monstrata in judicio dicta appellatione; ut dictum est, in qua appellatione de foris scriptum erat: Appellatio ad Colloquium Generale Martini de Musto de Glemona, supradictus Mattiussius Mus resistendo dixit: Domine, dico quod dicta Appellatio nullius valoris est, ex eo quod in Colloquio generali statutum et ordinatum est, quod a quinquaginta libris Veronensium ab infra non potest persona se appellare, nec de quinquaginta, sed a quinquaginta supra sic; et quia solum ad quinquaginta libras ascendit petitio mea, ideo dico dictam appellationem nullius esse valoris: imo debetis mihi facere dari dictam pecuniam cum dampnis et expensis, quia in Carta de-

positi continetur ipsum Martinum jurasse non contra facere, dicere, vel venire. Dictus vero Martinus iterum predicta referens, dixit, quod adhuc non negaverat, nec confessus fuerat sibi aliquod ejus petitione; et nisi procurata per ipsum, vel suum Procuratorem prius foret appellatio dicta, tempore debito, quod non tenebatur sibi aliquod Sacramentum facere, nec debebat in causa dicta usque ad adventum Colloquii generalis aliquis processus fieri; et quod sententiatum fuerat in Curia D. Patriarche, non poterat, nec debebat in Minori Curia ipsius probari; imo debebat antecedere prius id, quod sententiatum fuerat in sua prima Majori Curia.

Super quibus, ad petitionem D. Vicarii dicti, a Clerico Cleffonis et Jacobo q.m Conradi de Macellis de Glemona juratis, sententiatum fuit, quod si dictus Martinus ferret litteras in Curia D. Patriarche hinc ad octo dies, continentes quod in Colloquio generali foret contractum a persona in quinquaginta libras, et ultra quinquaginta libras, bene posse appellare, quod dicta appellatio Martini deberet valere et esse firma, alioquin appellatio ipsa non debeat valere.

A qua sententia ipse Martinus, sentiens se gravatum, iterum appellavit; et videns, et intendens suam allegationem dicto Martino denegari, dixit Martinus quod de predictis ad protectionem dicti D. Patriarche, vel ejus Vicarii se reducebat, intendens monstrare eidem antedicta ob hoc, ut ab eo protegatur de tanta violentia et obligatione.

Actum Glemone, in Foro, sub domo Communis. A. N. U. o.

N.° 198.

1319 30 *Ottobre Pertistagno.*
Pace tra Mussutto e Martino di Mortegliano.

Lupo Not.

Mussuttus filius Martini de Mortegliano non metu aliquo, aut errore, pro se, suisque parentibus, amicis et coadjutoribus juravit Treguas Martino filio Stephani de Mortegliano, et suis amicis, parentibus et coadjutoribus; et e converso dictus Martinus filius q.m Stephani pro se et suis amicis, parentibus et coadjutoribus, juravit Treguas Mussutto filio q.m Martini de Mortegliano, et suis amicis, parentibus et coadjutoribus, occasione mortis Dominici fratris dicti Martini filii q.m Stephani, et occasione mortis Roberti dicti Truffe fratris dicti Mussutti, seu alia occasione quacumque, usque ad proximum festum S. Michaelis, sub pena trecentarum librarum Veronensium parvulorum, et unius pedis aut unius manus: medietas cujus pene cedat parti observanti dictas Treguas, alia medietas D. Thomasutto filio D. Thomasii de Cucania, per partem que dictas Treguas infregerit persolvenda. Insuper promisit utraque pars, sub pena predicta dictum negotium alicui Dominio non conquerere usque ad dictum terminum, nullo metu perterriti, aut errore, aut dolo, aut prece, seu promissione aliqua.

Fidejusserunt pro parte dicti Mussutti Genarus filius q.m Andree, Meni filius Johannis q.m Michaelis, Jer-

vasius filius Stephani, Joseph, Dominicus filius Pinelani.

Pro parte Martini filii q.^{m} Stephani, Zardinus filius q.^{m} Claucani, Petrus filius q.^{m} Morandi, Mortelianus filius q.^{m} Dututani, Petrus filius Zardini, Johannes Massarie utriusque partis commorantes in Mortegliano, et utriusque partis pro rata.

Presentibus D. Benevenuto Capellano in Pertistagno, Dominis Johanne et Rizulo fratribus filiis D. Thomasii de Cuchania, Symone filio q.^{m} Derchani commorante in Pertistagno, Minoye de Fagedis testibus, et aliis.

Actum in Pertistagno, ante faciem domus Leybachi M.CCC.XIX. Indictione II. die secunda exunte Octubri. A. N. U. o.

N. 199.

1319 3 *Novembre.*
Feudo Concesso a Venerio di Fagagna.

Dal memoriale di Antonio Belloni.

Investitura Venerio de Faganea. Decretum D. Patriarche. Locatio unius mansi spectantis ad scudellas: nunc solvet Frixachenses sexaginta, et sit liber de predicto onere scutellarum. Manu Gabrielis de Cremona notarii. C. P. c.

N.º 200.

1319 4 *Novembre Padova.*
I Padovani si mettono sotto la protezione del Conte di Gorizia.

Verci Doc. 934.

In Christi nomine amen. Anno Nativitatis ejusdem M.CCC.XIX. Indictione Secunda, die quarto intrante Novembri. Padue in sala Majoris Consilii; presentibus Nobilibus viris D. D. Marsilio de Palafrixanis, Fulchône de Bernardis, Schinella de Doro, Johanne de Partenipeis, Marcio Caseta, Sacheto notario de Campagnola, et aliis.

In reformatione Majoris Consilii Civitatis Padue, ad sonum campane more solito congregati, facta propositione per magnificum virum D. Jacobum de Charraria Civitatis Padue et districtus Capitaneum generalem, presente nobili viro D. Marco Gradonico de Venetiis Padue honorabile Potestate, et facto partito per discretum et sapientem virum D. Bernardum de Cremona judicem et Vicharium dicti D. Potestatis de dictis arengatorum, qui consuluerunt super ipsa prepositione, ad busulos cum balotis inter ipsos Consiliarios, qui reperti fuerunt numero per numeratores ad hoc electos, secundum formam ordinamentorum Communis Padue, quingenti et triginta tres; placuit omnibus, exceptis septuaginta quinque, quod per Dominos Potestatem et Capitaneum regracientur D. Dux et Commune Venetiarum, ac Ambaxadores sui de hiis que, quantum in ipsis est,

parati sunt in bonum et pacificum statum Civitatis Padue et districtus, et dicatur eis, quod conventiones et pacta, quas et que petiit D. Canis, quia neque decentes sunt, neque decentia, et nihil aliud important, nisi sui dominium civitatem Padue subire et districtum, non placent Dominis Potestati et Capitaneo, neque Consilio et Communi, seu populo Paduano. Et quod ad honorem et reverentiam omnipotentis Dei Domini nostri Jesu Christi, et gloriose semper Virginis Marie matris ejus, et Sanctorum Prosdocimi et Justine, Anthonii confessoris et Danielis protectorum et defensorum in celesti curia civitatis istius, et ceterorum Sanctorum et Sanctarum Dei; et ad reverentiam et exaltationem Sacri Romani Imperii, et Serenissimi Domini nostri D. Federici Regis Romanorum, et Austrie Ducis, et illustris viri D. Henrici Goricie et Tirolis Comitis, Ecclesiarumque Aquilegensis et Brissinensis Advocati, nec non civitatis et districtus Tarvixii pro Regia Majestate Vicharii generalis, ut civitas Padue, ejusque districtus sub pacifico et tranquillo statu perpetuo maneat, et illesa a quorumvis oppressionibus conservetur per Dominos Potestatem et Capitaneum, auctoritate ipsius D. Capitanei, Consilii, et Communis, et populi Paduani, civitas Padue ejusque districtus, et loca, et terre, et fortilicie, et castra, quas, et que ipsa civitas possedit hinc retro, et solita erat possidere ante quinque annos proxime elapsos, et ab inde citra, aliquo tempore, subiiciantur, et supponantur cure, et custodie, et defensioni sacri Romani Imperii, et invictissimi Domini nostri D. Federici Ro-

manorum Regis semper augusti, et Austrie Ducis: et quod per Sindicum, sive Sindicos Communis Padue ad hoc specialiter auctoritate Dominorum Potestatis et Capitanei in presenti Consilio constituendos, requiri debeat illustris vir et D. D. Henricus Comes Goricie et Tiroli, Ecclesiarumque Aquilegensis et Brissinensis Advocatus, ac prefati D. Federici Romanorum Regis Vicbarius in Civitate Tarvixii et districtu etc. instanter et affectuose rogari, ac eidem denunciari, et protestari tanquam fideli sacrosanti Romani Imperii, et prefati serenissimi Principis D. Federici Dei gratia Romanorum regis et Austrie Ducis, quod ob reverentiam, amorem et fidem, quem, et quam gerit ad sacrum Romanorum Imperium, et prefatum D. Federicum Romanum, Regem', et Austrie ducem recipere velit in se, tamquam Vicarium dicti Domini Romanorum regis et Sacri Romani Imperii, et pro ipso rege, et imperio, protectionem, curam, custodiam, et defensionem, Civitatis Padue, suique districtus, et omnium Terrarum et locorum, forteliciarum et Castrorum, quas, et que dicta civitas habebat, seu solita erat habere, tenere, et possidere ante quinque annos proxime elapsos ab inde citra aliquo tempore, hiis conditionibus et conventionibus adjectis, et pacto firmandis, videlicet quod omnia consilia et officia dicte Civitatis et sui districtus in suo solito statu conserventur, et quod Potestates et Rectores dicte Civitatis et districtus singulariter, et singulis sex mensibus duranti, per majus Consilium, more solito eligantur, et facta electione trium Potestatum, sive Recto-

rum, electio dicto D. Henrico Goricie et Tiroli Comiti, Ecclesiarum Aquilegensis et Brissinensis Advocato, ac Civitatis et districtus Tarvisii pro regia majestate jam dicto Vichario generali, debeat presentari, et quem ex tribus elegerit, ille sit, et esse debeat per sex menses Potestas et Rector Civitatis et districtus. Qui D. Comes Vicharius et Potestas sic electus, Sacramento teneantur dictam Civitatem et districtum regere, et rationabiliter gubernare, et quemlibet ... de civitate Padue et districtu in suo jure et justitia conservare, et jus reddere in civitate Padue et districtu tam in civilibus, quam in criminalibus, secundum formam Statutorum, reformationum, ordinantiarum, et consuetudinum dicte civitatis, que hodie sunt, et que, et quas fieri contingerent in futurum, et secundum jura omnia, ubi deficerent ordinamenta reformationis, sive Statuta, salva semper voluntate et beneplacito dicti Comitis, tanquam Vicharii dicti Domini Romanorum regis; et teneatur ipse Dominus predictus; ac Potestas quilibet sic electus, quam cito fieri poterit, facere satisfieri de bonis Communis Padue omnibus Soldatis, sive stipendiariis Communis Padue, tam equitibus, quam peditibus, et quibuscumque aliis personis hinc debentibus a Communi Padue tam cum instrumentis, quam sine, aut per Statuta vel provisiones, aut ordinamenta hactenus factas et facta, et illis qui lignamen, ferrum, et alia hujusmodi Communi dederunt pro munitionibus in presenti Civitati Padue faciendis, ipso invictissimo Romanorum rege D. Federico Austrie Duce, et prefato illustri viro D. Henrico Goricie Comite predicto ejus Vichario, dicto nomine, recuperantibus omnes terras et loca Pa-

duani districtus, fortilicias et Castra, que et quas dicta Civitas Padue habebat, tenebat et possidebat ante quinque annos nuper elapsos, et ab inde citra habuit, tenuit et possedit aliquo tempore; ita quod sint in forcia dicti Romanorum Regis et Comitis antedicti, et Communis Padue. Que loca, Terre, et Fortilicie, sive castra sunt hec: Lendenaria cum sua Curia, Rodigium cum Castro et villis Communitatis Rodigii, Terra Abbacie cum villis sue Curie, Fortilicie Pinzonis ab utroque latere Athesis, Veneze cum sua Curia, Castrumbaldum cum Terra ex opposito Fluminis Athesis, Montagnana terrenus et pons, passus Terre de Este, Monsilicis, et Castrum Cittadella, et quidquid aliud territorii hodie occupatum est in Paduano districtu, et que recuperanda D. Comes predictus tamquam dicti D. Regis Vicharius, bona fide, Sacramento proprio tenetur, non obstante aliqua pactione, vel remissione per Commune Padue facta de aliquibus ex dictis locis cuiquam persone. Alie insuper conditiones etiam inserantur, que tractate sunt per Ambaxatores Dominorum Potestatis et Capitanei, qui ad presens sunt in civitate Tarvisii, et si que alie addi possunt, que spectent ad honorem, et statum dictorum Dominorum Regis et Comitis, tamquam ejus Vicharii, et Dominorum Potestatis et Capitanei Communis Padue, salvo quod in nullo derogetur honori et officio D. Potestatis Padue presentis, usque ad finem sui regiminis; et eo salvo quod dictus D. Capitaneus suum Capitaneatus officium exercere valeat, et ejus duret potestas et auctoritas, donec dicta reformatio fuerit dicto D. Comiti per Sindicos dicti D. Potestatis et Capitanei ac Communis Padue presentata;

et ipse duxerit suprascriptis pactis et conditionibus acceptandam, et ad civitatem Padue venerit, seu miserit sufficientem militum numerum in determinatione ipsius D. Comitis, pro defensione et custodia civitatis Padue, et ad predicta omnia, ut inviolabile robur obtineant, D. Capitaneus suam auctoritatem interponere debeat.

Eadem die, et testibus, et loco. Magnificus vir D. Jacobus de Carraria civitatis Padue et districtus Capitaneus generalis ipsam Reformationem sua auctoritate roboravit, et valere jussit ut Statutum Communis Padue provisum, et pro Statuto proviso acceptante D. Comite suprascripto, modis et conditionibus suprascriptis, decrevit inviolabiliter observari, et substantia predictorum precepit incontinenti in Arengo publico divulgari.

Eadem die, et presentibus dictis testibus, et aliis multis, in palatio publico Communis Padue ad discum pavonis, in presentia dictorum Dominorum Potestatis et Capitanei et Anzianorum Communancie populi Paduani ad sonum campanarum more solito convocato publico et generali Arengo. De mandato dictorum Dominorum Potestatis et Capitanei per D. Rolandum de Placiola judicem exposita, et divulgata fuit fortiter sententia suprascripte Reformationis, astante innumera multitudine populi Paduani, que dicto loco convenerat, occasione prescripta, adclamatum publice ab eis qui ibi convenerant; sit, sit, fiat, fiat.

Ego Albertinus filius q.m D. Alberti a Porta, qui habito Padue in Quarterio Pontis Altinati, et centenario et Contrata S. Andree notarius sigilli ad reformationem deputatus, ut consultum et reformatum fuit in majori

Consilio, et ut per magnificum virum D. Jacobum de Carraria Civitatis Padue et districtus Capitaneum, roborata fuit dicte Reformationis forma et sententia in Arengo publico divulgata, et approbans acclamatio subsecuta, quibus omnibus interfui, et fideliter scripsi, et in publicam formam redegi, meoque signo solito signavi.

N.° 201.

1319 20 *Novembre Udine.*

Pagano ordina al Capitano di Gemona di ricevere da Inghelpreto di Forgaria la sicurtà a lui prestata da Francesco di Pinzano pel mantenimento della Tregua tra loro giurata.

Giovanni Biachino Not.

Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Electus, discreto viro Georgio de Soppo Capitaneo nostro Glemone, aut ejus Vicario, salutem et omne bonum.

Cum super dissensione et discordia vertente inter Franciscum de Pinzano, et ejus coadjutores ex una parte, et Inghelpretum olim Plebanum Forgarie, et ejus coadjutores ex altera a dicto Francisco, qui Treguam fecit usque ad proximum festum S. Georgii, nullam eidem Inghelpreto et suis coadjutoribus novitatem facturo, recepimus securitatem centum marcharum pro vice qualibet persolvendarum: mandamus tibi, quatenus a dicto Inghelpreto pro se, et coadjutoribus suis contra Franciscum pre-

dictum et suos, tibi, nostro nomine, securitatem similiter facias exhiberi.

Data in Castro nostro Utini xx. Novembris ii. Indictione. A. N. U. o.

N.° 202.

1319 23 *Novembre Udine.*

Pagano prescrive al Capitano di Gemona di rivocare gli ordini da lui dati a carico di Nicolussio e Fantolino di Flagogna, e di Mulo e fratello di Forgaria.

Giovanni Biachino Not.

Paganus Dei, et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Electus discreto viro Georgio de Soppo Capitaneo nostro in Glemona, aut ejus Vicario salutem, et omne bonum.

Exposuit nobis Nicoluscius de Flagonia, quod tu eidem et Fantulino ejus fratri, ac etiam Mullo et fratri suo de Forgaria terminum assignasti supra quodam exfortio facto per eos in villa Forgarie. Quare cum nos, aut Vicarius noster de dicto exfortio teneamur cognoscere, et non tu, quia in pertinentiis Glemone non est factum, mandamus tibi per presentes, quatenus dictum terminum debeas revocare, eos auctoritati nostre predicte relinquens.

Datum in Castro nostro Utini xxiii. Novembris, Secunda Indictione. A. N. U. o.

N.° 203.

1319 1 *Decembre Udine.*
Invito al Clero a pagare al Patriarca il sussidio caritativo stabilito nel Sinodo.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Paganus etc. universis et singulis Abbatibus, Decanis, Archidiaconis, Prepositis, Prioribus, Abbatissis, Plebanis, Capitulis, Collegiis et Conventibus Ecclesiarum, Monasteriorum, et aliorum locorum Ecclesiasticorum Aquilegensis Civitatis et Diocesis ad quos presentes pervenerint, salutem in Domino sempiternam.

Cum pridie in plena Synodo nostra, universalis Clerus Aquilegensis Civitatis et Diocesis in ea congregatus nobis ad contributionem servitii, quod pro nostra provisione debemus Ecclesie Romane, ut de aliis debitis taceamus quibus Ecclesiam nostram Aquilegensem Matrem vestram invenimus pregravatam, debitum subsidium octingentarum Marcharum Frixachensium novorum Aquilegensis monete duxerit promittendum, vobis universis et singulis monendo semel, secundo, et tertio, et peremptorie, ac sub excommunicationis in singulos vestrum, et suspensionis in Capitula, Collegia, et Conventus, ac Interdicti in Ecclesias et loca penis, quas, Canonica monitione premissa, in vos, et eadem Capitula, Collegia, Conventus, Ecclesias proferimus in his scriptis, si monitionibus hujusmodi parere non curaveritis, precipiendo mandamus, quatenus partem unumquemque vestrum, seu

Ecclesiam, Monasterium, vel locum contingentem de predicto Sussidio, secundum Cedulas a presentium latore tradendas, Camerario nostro infra suprascriptos terminos, videlicet infra Festum Purificationis Beate Marie Virginis proxime venturum medietatem, et aliam medietatem infra festum sequens S. Georgii solvere procuretis. De presentatione vero presentium, et Cedule hujusmodi unicuique vestrum facta, earum latori, Nuncio nostro jurato dabimus plenam fidem: Quas quidem litteras reddetis eidem Latori sub eisdem penis, ut eas valeat omnibus presentare.

Datum Utini, in Patriarchali Palatio nostro. Die primo Decembris. M.CCC.XIX. R. c.

N.° 204.

1319 9 *Dicembre Faedis.*
Matrimonio ad uso di villa.

Lupo Not.

Anno Domini M.CCC.XIX. Indictione Secunda. Die nono intrante mense Decembri. In Fagedis, in auditorio S. Ecclesie B. Petri. Presentibus Fagedano de Campelio, Johanne filio Danielis, magistro Nicolusio pellifice, Hermanno dicto Sculazeta filio q.^{m} Graty commorantibus in Fagedis, testibus, et aliis.

Andriacius filius q.^{m} Cinussii dotavit Philippam filiam suam Antonio filio q.^{m} Binoty de Villa frigida ad usum de villis cum una armenta, et uno vitulo subtus,

aut una Marcha cum crosina, pellicia, slucha, bichedo, lecto, plumaccio, solvendo predicta infra annum postquam duxit eam domum. Pactum vero habitum inter eos tale fuit, videlicet quod si continget dictam Philippam mori prius dicto Antonio Marito suo sine communi herede, dictus Antonius habeat de bonis dicte Philippe mediam Marcham denariorum monete Aquilegensis, et residuum datum sibi, de jure debeat revertere. Si vero continget dictum Antonium mori prius dicta Philippa sine communi herede, dicta Philippa habeat dotem suam integram; et de bonis dicti Antonii unam marcham denariorum dicte monete.

Fidejusserunt pro parte Andriascii Wtulus et Cita filii Andriascii commorantes in Campelio, Fagedanus, Leonarducius de Fagedis; pro parte Antonii Petrus, Martinus, et Minus commorantes in Tarcento. A. N. U. o.

N.° 205.

1319 12 *Dicembre Aquileja.*

Rinunzia di Giovanni Abbate di Rosazzo, e sostituzione di Giovanni di Osenago Abbate di Carraria.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Anno Dominice Nativitatis M. CCC. XIX. Indictione Secunda, die XII. Decembris, Aquilegie, in Patriarchali Palatio. Presentibus testibus Fratre Johanne de Varcelata de Bononia Ordinis S. Marie de Monte Carmelo,

Presbitero Johanne de Portis capellano, et magistro Condeo de Calio medico venerabilis Patris D. Pagani Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Electi. Idem D. Electus commisit venerabili viro D. Lombardino de la Turre Canonico Aquilegensi, oraculo vive vocis, ut accedat publiciter ad monasterium S. Petri de Rosacio sue Aquilegensis Diocesis, et ibidem vice sua recipiat de fratre Johanne Abbate ipsius monasterii spontaneam resignationem, quam idem Abbas facere intendit coram Conventu, seu Capitulo ejusdem monasterii, ex certis causis legitimis ipsi D. Electo per eum expositis, et facta ipsa resignatione, eam nomine ipsius D. Electi debet probare.

Eisdem anno et Indictione. Die XIII. predicti mensis Decembris, mane ipsius diei, apud predictum Monasterium de Rosacio. In Capitulo ipsius Monasterii. Presentibus testibus venerabili viro fratre Johanne Abbate monasterii de Arnoldstayn, D. Tadeo Plebano de Frohiniz, D. Bonfilio presbitero ipsius monasterii de Rosacio, Francisco de Rosacio notario, Nicolao de Faganea, et pluribus aliis convocatis et congregatis in dicto Capitulo, fratre Johanne Abbate, fratre Ottone Priore, fratre Raynaldo, fratre Dominico, fratre Asquino, fratre Sibello, fratre Lodoico, fratre Antonio, fratre Varnero, et fratre Oscallo monachis dicti monasterii. Idem Abbas recognoscens se inabilem ad regimen ipsius Monasterii, sponte et libere in manibus venerabilis viri D. Lombardini de la Turre Canonici Aquilegensis, habita super hoc a Reverendo Patre D. Pagano Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Electo speciali commissione, et predi-

cti Prioris recipientis nomine totius Capituli seu Conventus, dicti monasterii Abbatie et regimini; ejusdem monasterii cessit, et totaliter renuntiavit eisdem. Quam quidem cessionem et renuntiationem idem D. Lombardinus, nomine dicti Electi, et prefati Prioris, nomine totius Capituli seu Conventus predicti, acceptavit. Ipsi Prior una cum supradictis Monachis, et eodem olim Abbate convenientes in unum super futuri Electione Pastoris, certificati de formis per quas ad electionem procederent, placuit omnibus in formam procedere compromissi, et concordaverunt omnes in dictum D. Lombardinum, cui dederunt liberam potestatem, vice omnium, ut dictum Abbatem eligere valeat de ipsius Capituli, sive Conventus gremio, et Ecclesiam, et ipsum monasterium de persona idonea providere: promittentes illum recipere, quem D. Lombardinus elegerit, seu de quo duxerit providendum. Quare D. Lombardinus, potestate recepta hujusmodi, secedens in partem, vocatisque ad se secrete, et sigillatim Priore et Monachis supradictis, eorumque votis diligentissime perscrutatis, habitaque deliberatione matura, in venerabilem virum D. Fratrem Johannem de Osenago Abbatem monasterii de Carraria, Ordinis S. Benedicti Paduane Diocesis, quem fama celebris, litterarum scientia, morum honestas, aliaque dona virtutum multipliciter recomendant, et qui Regulam etiam Beati Benedicti expresse professus, et in Sacerdotio constitutus, ac laudabiliter prefuit Monasterio de Carraria supradicto, suus animus requievit, ipsum elegit in Abbatem monasterii de Rosacio supradicti, et de parte ipsius monasterii eidem

providit: ac mox ad Capitulum predictum rediens, ubi adhuc erant Prior et Monachi prefati congregati, electionem et provisionem hujusmodi coram omnibus publicavit. Qui Prior et Monachi acceptantes predicta, et cum gaudio exultantes, ac *Te Deum laudamus* cantantes, Ecclesiam intraverunt, et Orationes et gratias Domino de tali Electione, seu provisione, ut consueverant fieri, reddiderunt. Dictis vero gratiis sic redditis, mox omnes de Conventu predicto fecerunt et constituerunt eorum et ejusdem Conventus Procuratores, Priorem et fratrem Asquinum predictos, et utrumque eorum in solidum ad petendum ipsi D. Fratri Johanni Abbati Electo Electionis ejusdem decretum, et ad petendum ab eo, ut electioni de se facte suum debeat prebere assensum, et ad comparendum coram venerabili Patre D. Pagano Electo Aquilegensi predicto, et petendum ab eo confirmationem electionis ejusdem; et ad omnia alia et singula faciendum in judicio et extra, que ipsius negotii executio et efficax prosecutio postulabunt, etiam si mandatum exigant speciale. C. F. o.

N.° 206.

1319 13 *Dicembre Gemona.*

Nicolò Negri da Gemona è obbligato a dar cauzione di se pella sua condotta impolitica.

Stefano Romano Valconio Not.

Die XIII. intrante Decembre. Presentibus D. Spinello, Hermanno q.^m Johannis Boni, D. Bancho de Flo-

rentia, Mathiussio dicto Fresoria, Andrea dicto Savio, Nicolao Bochapilose, et aliis Cum D. Jacobus Vicarius D. Capitanei Glemone peteret et requireret certam cautionem et securitatem a Nicolao Nigro de Glemona pro causa, sive causis, sive injuriis, quas ipse Nicolaus fecisset contra honores et bonos status Reverendi Patris et D. Patriarche Aquilegensis, ac Dominii Glemone, seu bonum statum Terre predicte, ad obediendam rationem in predictis; dictus Nicolaus Nigri ad obediendam rationem de termino in termino, ut postulabit ordo juris, in hiis que dictus D. Jacobus eidem Nicolao dicere voluerit, hinc ad festum Resurrectionis Domini, fecit securitatem dicto D. Jacobo de quinquaginta libris veronensium parvorum, cum obligatione predicta. Pro quibus attendendis etc. Pro ipso Nicolao fidejussores extiterunt Nicolaus Bochapilose et Raynerius etc. cum obligatione etc.

Actum Glemone, in Foro sub Loza. A. N. U. o.

N.° 207.

1319 22 *Decembre Udine.*

Il Patriarca conferma l' elezione di Frate Giovanni di Osenago Abbate di S. Stefano di Carrara, ad Abbate di Rosazzo.

Eusebio da Romagnano Can. P.

In nomine Domini amen. Anno Dominice Nativitatis M.CCC.XIX. die XXII. Decembris Utini; in Palatio

Patriarchali. Presentibus testibus Dominis Petro Mora de Mediolano Vicario, presbitero Johanne de Pontis de Padua, Fratre Johanne de Varcellata Ordinis Carmelitarum, et magistro Condeo de Callio Medico, Capellanis infrascripti D. Electi, fratre Jacobo Bojano de Civitate Austrie Ordinis Predicatorum, D. Hectore Savorgnano milite, Francisco de Utino notario, et multis aliis.

Venerabilis Pater D. Paganus Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Electus, examinata Electione facta pridie in Monasterio S. Petri de Rosacio Ordinis S. Benedicti Aquilegensis Diocesis, per fratres ejusdem Monasterii concorditer per formam compromissi de venerabili ac discreto Fratre Johanne de Osenago, tunc Abbate Monasterii de Carraria Paduane Diocesis, Vicario ipsius D. Electi Aquilegensis, ad Abbatiam dicti Monasterii de Rosaceo, vacantem per liberam resignationem Fratris Johannis olim ipsius monasterii Abbatis; et proposito, juxta Constitutionem factam super hoc, solempni Edicto, servataque omni solempnitate officii, que debet in talibus observari; cum nullus apparuerit contradictor per totum dictum Conventum, instituit ut hujusmodi electio confirmetur; et ad honorem Dei, et B. Marie Virginis et Matris ejus, Beatique Petri Apostoli sub cujus vocabulo dictum monasterium noscitur esse fundatum, electionem predictam, utpote canonicam, confirmavit, ipsumque dictum fratrem Johannem de Osenago prefecit ipsi monasterio Abbatem, sibique tanquam Metropolitanus, Diocesano ejus Electo, scilicet Paduano, in remotis agente, et civitate Padue sub tali obsessa existente ... ad Vicarium ipsius Electi non potest ad presens habere recursus, dedit licentiam

transeundi de dicto monasterio Carrarie ad prefatum monasterium Rosacense. C. F. o.

N.° 208.

1319 25 *Dicembre Trevigi.*

Principi venuti in Trevigi onde prestar soccorso al Conte di Gorizia, e liberar Padova dallo Scaligero assediata.

Cronaca di Liberale da Levada pubblicata dal Canonico Avogadro degli Azzoni nella Vita del B. Enrico.

Aggregabatur tunc temporis quotidie in civitatem Tarvisii mira congeries armatorum et gens bellorum avida, pedester, et equester. Undique ad Comitem in maximam copiam concurrebant, quod quidem audientibus impossibile videretur. Sed per ea que visu et scientia clare percepi, munitionem, et apparatum Comitis intendo describere, ut ejus virtus et potentia cognoscatur.

Primo namque venit in ejus auxilium D. Griffo de Rontemberch de marchia Sclavoniæ cum octuaginta equitibus galeatis, et octuaginta balistris.

Postea D. Charlevarius de la Turre cum quinquaginta equitibus galeatis, et quinquaginta balisteriis ......

Domini Comites Albertus et Meynardus de Optimburgo cum quinquaginta equitibus galeatis, et quinquaginta balestreriis.

D. Paganus de la Turre Dei gratia Aquilegensis

Patriarcha cum centum equitibus galeatis et centum balestreriis.

Dominus autem Comes Goritie postmodum habuit de Civitate et districtu Tarvisii, de Goritia, et Luane, et aliis suis Terris circumstantibus quingentos Equites galeatos, et quingentos balistrerios, et pedites infinitos: et multi alii Nobiles tunc venerunt causa tantum probandi personas suas. Habebat enim quilibet eques galeatus tres equos, videlicet equos ab armis, et equos pro balista, et roncinum absque tamen arceriis. Qui omnes ante Festum Nativitatis Domini de mense Decembris fuerunt in urbe Tarvisii congregati: unde summam dictorum galeatorum capit MD. summam balestrariorum capit MCDLXXIII. Summam Arceriorum capit septingentos. Summam omnium equorum inter bonos et malos capit VIIII.CCC.LX. inter quos omnes fuerunt trecentum et plures adobati.

Pier Domenico de Baono. *Vita del B. Enrico pubblicata dal Canonico Avogadro degli Azzoni.*

Dictus (Comes Henricus) congregat gentes infinitas, et D. Paganus de la Turre Patriarcha Aquilegensis venit in ejus auxilium cum quatuor centum Elmis. Venit ille de Valse, et alii plures Comites et Barones de Halemania in occursum dicti Comitis, de mandato dicti Regis conveniunt, et congregantur in Tervisio, dicto D. Cane adhuc in obsidione manente. Dum vero deliberatur adire dictam obsidionem, et removere eam, ac intrare Paduam, vadit ille de Valse ad parlamentum cum ipso usque ad Castrumfranchum, in quo ipse D. Canis promittit se movere a dicta obsidione, et obedire jussionibus dicti D. Federici: propter quod illa hujusmodi con-

gregatio gentium, que erat in Civitatibus et suburgo Tervisii ultra XIIIM. equitum, dispergitur, et ad propria redeunt. Quibus remotis, dictus D. Canis propterea a molestatione Padue non recessit, sed fortius insaniit contra eos, nec curavit Ambaxatores vel Nuncios ad dictum Regem, ut promiserat, destinare; imo pro viribus instetit, et ipsam Paduam circum circa obsedit fortiliciis et bastitis etc.

N.° 209.

1320 1 *Gennajo Cividale.*

Pagano assegna ottocento marche in dote a Belingeria di Zonfredo della Torre fatta Sposa con Mainardo Conte di Ortemburch.

Antonio da Cividale Not.

In nomine Domini amen. Anno Nativitatis ejusdem M.CCC.XX. die primo mensis Januarii: in Civitate Austria Aquilegensis Diocesis. In palatio Patriarchali. Presentibus venerabili viro D. Guilielmo Decano Aquilegensi, et Dominis Johanne Thesaurario Civitatensis Ecclesie, magistro Johanne Doctore Scolarum de Civitate, Lodorengo Rava de Mediolano, Regino Brugno, Chozetto stationario Civitatensi, Francino de Laude notario, Tomadello de Civitate filio q.m D. Oliverii militis, et aliis ad hoc vocatis testibus, et rogatis.

Venerabilis Pater D. Johannes Abbas Monasterii Rosacensis, Reverendi Patris D. Pagani S. Sedis Aquilegensis Electi, seu Patriarche Vicarius generalis, et ejus

procurator, habens ab ipso D. Patriarcha ad infrascripta peragenda speciale mandatum, prout in quodam Instrumento inde confecto manu Francini de Laude notarii, sub eisdem anno et Indictione, die vero quarto exeunte Decembri plenius continetur, procuratorio nomine ipsius D. Patriarche, dotavit Nobilem Dominam Belingeriam filiam q.m Nobilis viri D. Zumfredini de la Turre fratris ipsius D. Patriarche, licet absentem, in uxorem magnifici Domini Meynardi illustris Comitis de Ortumburch pro eo, et ejus nomine, honorabilibus viris D. Pernardo Plebano de Nakal Capellano, et Nicolao de Rottumpual, et Menardo de Gruach militibus, Nuntiis et Procuratoribus ipsius D. Comitis, prout in litteris patentibus ipsius D. Comitis sigillis pendentibus munitis, plenius continetur, securitatem recipientibus et stipulantibus cum octingentis marchis Soldorum, sive denariorum veterum Aquilegensis monete, quas idem D. Abbas procurator procuratorio nomine prefati D. Patriarche, cum obligatione omnium bonorum ipsius D. Patriarche, et refectione omnium dampnorum, interesse et expensarum, que ab eodem fieri, aut percipi contingeret in judicio, sive extra, promisit, stetit et convenit integre dare, ac solvere in dicta Austrie Civitate, in denariis antiquis dicte monete, aut in alia moneta; et tantum valeat secundum cursum Terre Forijuli ipsi D. Comiti, aut suo procuratori seu Nuncio speciali infra duos annos, numerandos a die quo idem D. Comes ipsam Dominam Belingeriam futuram uxorem in domum suam conduxerit: videlicet medietatem in fine primi anni, et aliam medietatem in fine secundi anni proxime subsequentis. Pro quibus omnibus attendendis et

firmiter observandis, precibus ipsius D. Abbatis procuratoris, et procuratorio nomine prefati D. Patriarche, D. Jacobus Porgravius de Laybacho de quadringentis marchis soldorum, solvendis pro primo anno, seu termino extitit fidejussor; de aliis vero quadringentis marchis soldorum solvendis secundo anno, seu termino, D. Paulus q.m D. Boyani et Gerardus de Civitate, Philippus de Portis, et Valentinus q.m Leonardi Valentinis de Civitate fidejussores estiterunt pro rata per se, suosque heredes, cum obligatione omnium suorum bonorum. Ita quod dictus D. Comes tam ad D. Patriarcham, quam ad dictos Fidejussores de dicta pecunia valeat se tenere, hiis quidem pactis et conditionibus inter ipsum D. Abbatem Procuratorem et procuratorio nomine ipsius D. Patriarche, ac nomine et vice prefate D. Belingerie ex parte una, et prefatos Dominos Pernardum, Nicolaum et Menardum procuratores, et procuratorio nomine prefati D. Comitis ex altera, habitis et firmatis. Quod si contigerit, quod absit, ipsam Dominam Belingeriam mori prius dicto Domino Comite absque communi prole, seu herede inter eos vivente, predicta dos sit, et remaneat libere D. Comiti supradicto ad faciendum inde sine ulla restitutione suam omnimodam voluntatem. Si vero contigerit ipsum D. Comitem Meynardum mori prius nominata Domina Belingeria sine communi prole, seu herede inter eos vivente, quod absit, habere tantum debeat ipsa D. Belingeria ab ipso D. Comite dictas sua dotes octingentarum marcharum solidorum, si solute fuerint ipsi D. Comiti, seu illam quantitatem, quam de ipsis haberet D. Comes predictus; et insuper de bonis ipsius D. Comitis quadringentas mar-

chas soldorum ad faciendam inde suam omnimodam voluntatem. Quam pecuniam de denariis antiquis Aquilegensis monete, aut alia moneta tantum valente secundum cursum Terre Forijulii, in dicta Austria Civitate, infra annum et diem post decessum ipsius D. Comitis, prefate D. Belingerie, sive predicto D. Patriarche, aut suis proximioribus heredibus, supradicti Procuratores D. Comitis, procuratorio nomine ipsius Domini Comitis et suorum heredum, cum obligatione omnium bonorum D. Comitis et suorum heredum, et refectione omnium dampnorum, interesse, ac expensarum litis et extra, dare et solvere teneantur, ut promiserunt. Ac eorum precibus, procuratorio nomine D. Comitis prescripti, D. Abbati stipulanti, et securitatem recipienti, procuratorio nomine prefati D. Patriarche, ac nomine memorate Domine Belingerie de dicta pecunia restituenda et persolvenda, secundum modum predictum, predictus D. Jacobus de Laybacho de quadringentis marchis soldorum, Dominus vero Paulus q.m Boyani de Civitate Procurator, procuratorio nomine D. Hectoris de Savorgnano, prout in quodam Instrumento inde confecto manu Petri de Budrio notario sub eisdem anno et indictione, die vero quarto exeunte Decembri plenius continetur, habens ad hoc speciale mandatum, de ducentis marchis soldorum. Et insuper D. Paulus predictus, suo nomine Gerardus de Civitate, Philippus q.m D. Contii, Philippus q.m D. Johannis de Portis, Ulvinus q.m D. Candidi de Canussio, Petrus dictus Fondani, et predictus Valentinus de Civitate, de residuis sexcentis marchis solidorum pro rata per se, suosque heredes Fidejussores extiterunt, cum obligatione omnium

suorum bonorum mobilium et immobilium, presentium, et etiam futurorum. In cujus rei testimonium, et in ejus firmitatem, predicti Procuratores utriusque partis presens Instrumentum, sigillorum pendentium tam D. Patriarche, quam D. Comitis predictorum, mandarunt munimine roborari. A. T. c.

N.° 210

1320 20 *Gennajo Aquileja.*

Pagano ordina agli Eredi di Ermanno di Butrio di non opporsi alla vendita all' incanto dei beni del defunto loro zio.

Enrico Not.

Paganus Dei et Apostolice sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Electus dilectis ministerialibus nostris heredibus q.m Hermanni de Budrio gratiam nostram, et omne bonum.

Cum fuerit coram nostro Vicario deffinitum quod deberent vendi bona q.m Hermanni patrui vestri ad incantum per quamdam fidejussionem Capituli Civitatensis Ecclesie, in qua idem patruus vester fuerat obligatus; et dicta bona, juxta ipsam diffinitionem, et secundum consuetudinem Terre Forijulii, fuerint incantata, vos, ut audivimus, non potuistis bona hujusmodi delivrare; quare mandamus vobis, et districte precipimus, ut predicta bona vendi et delivrari, sicut deffinitum est, libere permittatis, aut coram nobis sexta

die a receptione presentium computanda, legitime comparere curetis, causam quare id facere non tenemini ostensuri: facturi, et recepturi super his quid fuerit inter vos ac Capitulum hujusmodi judicatum.

Datum Aquilegie, in Patriarchali Palatio nostro, die xx. Januarii, Tertia indictione. A. N. U. o.

N.° 211.

1320 29 *Gennajo.*
È proibita in Maniago la caccia delle Pernici.

Dal Sommario di Antonio q.m Ailino Not. di Maniago.

Preco Gastaldionis retulit precepisse in Maniaco, quod nullus caperet Perdices. C. M. c.

N.° 212.

1320 28 *Febrajo Cividale.*
contra illos qui frangunt Treguas.

Anno Domini M.CCC.XX. Indictione Tertia, die penultimo Februarii. Ordinatum fuit per Consilium et firmatum, presente et consentiente Guilielmo de la Turre Gastaldione Civitatis, quod si quis fregerit Treguas, de pena apposita de observatione Treguarum, secundum possibilitatem partium, et decens fuerit, cognoscatur in Consilio summarie: auditis probationibus partium, solvat de

pena pecuniaria apposita in Treguis tertiam partem Gastaldioni, tertiam Communi, et aliam tertiam partem illi, cui injuria facta fuerit: salvo quod de pena ammisionis manus sit, prout videbitur Gastaldioni et Consilio, justitia mediante. Et quod tam Provisores, quam Gastaldio possint precipere et mandare Treguas fieri sub penis certis, prout viderint expedire. *Dal Codice Belgrado* o.

N.° 213.

1320 1 *Marzo Tricano.*

Micolino di Moruzzo vende a Francesco di Tricano la parte che a lui spettava del Maresciallato Patriarcale.

Tommaso de Tebaldis Not.

Anno Domini M. ccc. xx. Indictione tertia, die prima Martii. In presentia Dominorum Rodulphi de Tricano, Leonardi dicti loci, Ropreti ipsius loci, Asendrici de Rodegliano, Rizzardi Tricani, Bartholomei de Toppo testium, et aliorum.

D. Miculinus de Morutio pretio et foro trecentarum librarum Veronensium parvorum, quod totum ibidem coram me Notario et testibus supradictis contentus fuit et confessus habuisse et recepisse, ac sibi integre datum, solutum, et numeratum fuisse a D. Francisco q.m D. Jacobi de Tricano, renuntians exceptioni non dati, non soluti, non habiti, non recepti, et non numerati dicti pretii, tempore hujus contractus, et omni legum auxilio, et omni alii suo

juri tam canonico quam civili, cum quo, vel cum quibus a predictis omnibus se aliqualiter defendere posset vel tueri, jure recti et legalis feudi D. Patriarche Aquilegensis vendidit, dedit et tradidit, ac de feudo investivit ipsi D. Francisco ementi et recipienti pro se suisque heredibus, vel cui daret pro se et suis heredibus, partem suam totam Mareschalcharie, quam ipse habet de Ecclesia, seu Domo ac Patriarchatu Aquilegensi cum omnibus et singulis que dicta Mareschalcharia habet supra se, intra, seu infra se in integrum, et cum omni actione, usu, seu requisitione reali et personali, utili et directa, tacita vel expressa, servitute, dominio, honore, commodo et utilitate sibi pro dicta Mareschalcharia modo aliquo spectante vel pertinente tam de jure, quam de facto, ad habendum, tenendum, possidendum, dandum, vendendum, donandum, locandum, permutandum, obligandum, alienandum, infeudandum, et quidquid ei, et suis heredibus deinceps placuerit perpetuo faciendum, sine omni contradictione et impedimento dicti venditoris, suorumque heredum, vel alicujus alterius persone, salvo tamen jure feudi: et si dicta Mareschalcharia valeret plus ipso pretio, illud plus idem venditor pro se et suis heredibus ipsi emptori et suis heredibus, vel cui darent, donavit donationis nomine, que dicitur inter vivos, et non causa mortis, non valens ipsam donationem ulla injuria, ingratitudine, contrarietate, sive causa revocare. Quam quidem Mareschalchariam se, ipsius emptoris nomine precario, constituit possidere donec de ipsa corporalem acceperit possessionem; quam accipiendi et re-

tinendi deinceps omnimodam licentiam ei contulit atque dedit. Quod feudum dictus venditor pro se, suisque heredibus ipsi emptori, et suis heredibus, vel cui darent promisit renunciare in manu Domini a quo habet...preterquam a dicto emptore vel ejus heredibus, seu ab altero fuerit requisitus, dare operam efficacem bona fide, sine suis bonis dandis, quod dictus Dominus eum, vel eos de dicto feudo investiat, et facere hujusmodi cum refutatione investitionis quidquid per ipsum emptorem, vel ejus heredes precipietur eidem; Qui emptor paratus fuit ipsi venditori Sacramentum facere homagii et fidelitatis, tanquam vassallus tenetur facere Domino suo: quod Sacramentum pro gratia speciali dictus venditor ei remisit, non prejudicando rationi emptoris predicti. Promittens dictus venditor pro se, suisque heredibus ipsi Emptori, et sui heredibus, vel cui darent, de dicta re vendita, vel aliqua ipsius parte litem, vel questionem aliquam non facere, vel movere, nec moventi consentire: sed ipsa ei, et sui heredibus, vel cui darent ab homine, persona, Ecclesia, Collegio, et universitate legitime defendere, manutenere, auctorizare, ac in solidum disbrigare in ratione, nec contra predicta vel aliquod predictorum ullo tempore facere, vel venire per se, vel per alium, seu interpositas personas ratione aliqua, dolo, fraude, ingenio sive causa, de jure vel de facto, sub obligatione omnium bonorum suorum presentium et futurorum, et dampnorum omnium et expensarum, refectionum litis et extra, credendo de dampnis et expensis solo verbo, sine Sacramenti testimonio, vel alia legitima probatione, ac et sub pena dupli valoris dicte partis

Mareschalcharie minus quinque solidorum Veronensium parvorum, secundum quod pro tempore plus valuerit, vel fuerit meliorata. Que vero pena cum omni suo effectu toties possit peti et exigi, quoties contrafactum fuerit: eaque soluta vel non, presens Instrumentum, et omnia in eo contenta nihilominus suam stabilem obtineant perpetuo firmitatem. Pro quibus omnibus attendendis et firmiter observandis, precibus ipsius venditoris, et pro ipso super omnibus ejus bonis ipsi emptori et sui heredibus, vel cui darent dictus D. Ropretus testis supradictus in solidum extitit fidejussor, et legitimus manutentor, et defensor sub bonorum suorum omnium ypotecha, ac et sub pena supradicta. Renuntians dictus fidejussor et manutentor omni legum et juris auxilio, et omni alii suo juri tam Canonico, quam civili cum quo, vel cum quibus se a predictis omnibus aliqualiter defendere posset, vel tueri: fuitque per ipsum venditorem ipsi emptori Bartholomeus de Toppo nuncius tenute assignatus ad ipsum Emptorem ponendum in tenutam et corporalem loco sui de dicta Mareschalcharia possessionem.

Actum in Tricano superiori, post domum Odorlici Farine.

Ego Thomas q.^m^ Thebaldi de Thebaldis de Venetiis auctoritate imperiali notarius publicus omnibus interfui, et rogatus scribere, scripsi. *Da una carta esistente presso i Signori d' Arcano.*

N.° 214.

1320 3 *Marzo Cividale.*
Istallazione di Guarnero di Polzenico a Decano del Capitolo di Cividale.

Stefano Guglielmini Not.

Die Lune tertio intrante Martio. In majori Ecclesia Civitatensi, in facie Capelle S. Donati. Presentibus discretis viris Dominis Jacobo Ceriberi, Morandino, Odorlico, Scurzutto, Nicolao Sax, Johanne Rubeo et Dominico Nigro predictis omnibus Mansionariis ejusdem Civitatensis Ecclesie, et aliis.

Federicus familiaris D. Guarneri de Pulzinico Canonici Civitatensis ex parte Reverendi Patris et D. D. Pagani Dei et Apostolica gratia Aquilegensis Electi, ac Administratoris Ecclesie Aquilegensis in spiritualibus et temporalibus a Sede Apostolica deputati, presentavit et dedit venerabili viro D. Lombardino de la Turre Ecclesiarum Aquilegensis et Civitatensis Canonico, quasdam patentes litteras etc. tenor quarum subscribitur. Quibus lectis per me Notarium subscriptum, idem D. Lombardinus, ex dictis mandato et auctoritate sibi factis, eisdem die et testibus assignans stallum in Choro Venerabili viro D. Guarnero de Pulzinico in prima Sede partis sinistre dicti Chori, ipsum in corporalem possessionem, aut quasi, et tenutam Decanatus ejusdem Ecclesie Civitatensis et omnium jurium spectantium ad eumdem quoquo modo imposuit et induxit, et cum

omni melioramento, juxta formam in talibus consuetam.

Item eisdem die, loco, et testibus dictus Federicus modo simili presentavit venerabilibus viris Dominis Philippono Preposito et Capitulo ejusdem Ecclesie Civitatensis quasdam litteras patentes quarum tenor etiam subinfertur. Quibus lectis, ingredientibus Capitulum prefate Ecclesie Canonicis infrascriptis, ac ibi ad Capitulum, et ut Capitulum ad infrascripta specialiter more solito congregatis, videlicet Dominis Philippono Preposito, Nicolao de Portis, Lombardino de la Turre, Johanne Pernardi, Guidone de Manzano, Johanne Custode, magistro Gerardo, Bernardo de Civitate, Jacobo Pellegrini, Dyomedexio de Trivis, Jacobino de Bononia, Odorlico de Midea, Jacobo Romano, Petro de Orsaria et Florito de Civitate predictis omnibus Canonicis dicte Ecclesie Civitatensis, in dicto Capitulo more solito ad infrascripta specialiter congregatis, assignatoque eidem D. Guarnero Decano loco in ipso Capitulo per D. Lombardinum predictum, prefati D. D. Philipponus Prepositus, Canonici et Mansionarii ejusdem Ecclesie, et per consequens Clerus totus ipsius Ecclesie assistentes ibidem, dictum D. Guarnerum eorum Decanum benigne suscipientes, omnes et singulariter singuli ipsi D. Guarnero, tanquam vero Decano eorum, osculis pacis intervenientibus, devotam obedientiam prestiterunt etc.

Tenor vero litterarum directarum dicto D. Lombardino talis. Paganus Dei, et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Electus, dilectis nobis discretis viris Lombardino de la Turre, et Odorlico de Strassoldo Canonicis Ecclesie Civitatensis salutem in Domino.

Cum nos Electionem pridie factam in Ecclesia Vestra Civitatensi de discreto viro Guarnero de Pulzinico ejusdem Ecclesie Canonico ad Decanatum ipsius Ecclesie, vacantem per obitum q.^m Bernardi olim ejusdem Ecclesie Decani, de peritorum consilio tamquam Canonicam duximus confirmandam, ipsumque Guarnerum prefecimus in Ecclesie jam dicte Decanum; discretioni vestre presentium tenore committimus et mandamus, quatenus eumdem Guarnerum vos, aut alter vestrum in Decanatus predicti, jurium et pertinentiarum ipsius corporalem possessionem inducatis et defendatis inductum: facientes sibi ab omnibus, in hiis que ad suum spectant Officium, prout moris et juris est, obediri, et de ipsius Decanatus fructibus redditibus, proventibus, et juribus universis integre responderi. Contradictores et rebelles auctoritate nostra per Censuram Ecclesiasticam compescendo.

Datum Utini, in Patriarchali Palatio nostro, anno Dominice Nativitatis M.CCC.XX. Indictione tertia.

Tenor vero litterarum directarum Capitulo et Clero Civitatensi talis est. Paganus Dei et Apostolice sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Electus, dilectis nobis discretis viris Capitulo et Clero Ecclesie Civitatensis salutem in Domino.

Vobis tenore presentium volumus esse notum, quod nos, examinata Electione facta in Ecclesia vestra Civitatensi per certos Canonicos ejusdem Ecclesie majorem et saniorem partem Capituli facientes, de discreto viro Guarnero de Pulzinico ipsius Ecclesie Canonico ad Decanatum vacantem in eadem Ecclesia per obitum q.^m

Bernardi olim ipsius Decani; habitoque super ea consilio peritorum, veluti Canonicam duximus confirmandam, et ipsum Guarnerum prefecimus in vestrum, et Ecclesie vestre predicte Decanum. Quo circa vobis universis et singulis in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatenus eumdum Guarnerum ad Decanatum hujusmodi admittere, sibique in omnibus, que ad suum Officium pertinent, intendere et humiliter obedire curetis.

Datum Utini, in Patriarchali palatio nostro, die tertia Martii, Anno Dominice Nativitatis M. CCC. XX. indictione tertia. R. o.

N.° 215.

1320 14 *Marzo Cividale.*

Guardia Civica.

Anno Domini M.CCC.XX. Indictione tertia, die XIV. intrante Martio. In Civitate Austria, super domo Communis. Presentibus Dominis Paulo q.m D. Boyani de Civitate, Utussio et Philippo de Portis, Petro Fondani, Odorlico Notario de Civitate, et aliis convocatis et congregatis ibidem ad sonum campane, more solito super infrascriptis, specialiter Dominis Guillelmo de la Turre Gastaldione, et Consilio Civitatis una cum Dominis Warnero de Pulcinico Decano, Nicolao de Portis, Odorlico de Midea, et Bernardo de Oleis Ca-

nonicis Civitatis nomine Capituli Civitatensis, et Guillelmino Gastaldione Dominarum Majoris Monasterii Civitatis, et Wolframo de Zucula, super Waytis, et Schyrawaytis, que ex villis infrascriptis circumstantibus venire debeant ad custodiam Terre Civitatis, per supradictos Dominos Decanum et Canonicos, nomine Capituli Civitatis, et predictos Dominos Gastaldionem et Consilium Civitatis nomine Communis Civitatis, atque per dictum Gastaldionem dicti Majoris Monasterii, et Wolframum, volentes quod Commune Civitatis gaudeat jure suo, et nolentes quod aliquis ultra cursum debitum aggravetur: visis et examinatis, et intellectis juribus et inquisitionibus antiquis et novis, factis super premissis, concorditer ordinatum extitit et firmatum: quod omnes de villis, ex quibus consuevit fieri custodia Terre Civitatis, faciant dictam custodiam nocturnam in Schyrawaytis; videlicet qui stant super suo proprio, aut livello, et in waytis qui stant super terris de fictu: qui etiam graditia, spinatas, fossata et alia dicte Terre opportuna facere tenentur, et quod nullus eximatur concorditer, aut tributetur per Portarios, aut alios ultra jura que Portarii ex suis officiis habere debent, prout inferius continetur: sed quod singuli singulis noctibus quibus ordinatum fuerit, juxta cursum, et rodulum, et ordinem debitum, dictam custodiam faciant: ita quod si aliqua Wayta non venerit, ut debuerit, Portarius unum loco sui ponat, et infra octo dies sequentes illum, qui facere debebat dictam waytam, pro duobus denariis valeat pignorare, Schyrawaytam vero pro duplo: et quod ad hec fienda infrascripta, tantummodo eximantur rationibus

infrascriptis: videlicet Servi, si resident super terris dominorum suorum, aut super suo proprio, et vidue, si non habent filium in etate legitima, aut ancillum. Si autem habuerint filium in etate legitima, aut ancillum, illos ad custodiam transmittant. Si vero aliquis civis habuerit unam suam braydam, aut dompnicale circa Civitatem et Burgos, et daret illam ad medietatem, ille qui super ea residet, non faciat, aut constringatur ad faciendam waytam, aut Schyrawaytam, nisi alias terras laboraret, aut hoc fieret fraudolenter pro wayta evitanda.

Item si aliquis civis Civitatis, qui faciat militiam pro Communi, resideret in dictis villis et locis, non compellatur ad faciendam waytam aut Schyrawaytam; sed si terram in qua residet, alteri locaverit, ille qui super ea residebit faciat waytam et alia opportuna Terre, prout alii Massarii.

Item si aliquis in dictis villis et locis moratur super suo proprio aut livello, et non facit militiam pro Communi, Schyrawaytam facere teneatur, et alia opportuna Terre, juxta suum posse.

Item quod Decani et jurati tam Clericorum, quam Laycorum faciant waytam ut alii Massarii.

Item quod Portarii singulis annis mutent suos Comandos et excusatos sub pena XL. denariorum pro quolibet.

Item quod Pistores Domini Patriarche in Carraria eximantur.

Item ille qui morabatur in .... q.^{m} D. Johannis Longi, ubi consuevit tenere suum fenum in Carraria, seu Lovaria.

Item ille qui moratur in casali q.m D. Meynardi Beleivale in Puresino non compellatur ad waytam faciendam.

Item Cossani non faciant waytam, nisi terras alias laborarent.

Preterea infrascripti eximantur ratione officiorum suorum: de porta S. Silvestri in Prestento domus magistri Johannis de Montina pro terra D. Abbatisse.

Item casata Jacof pro terra D. Abbatisse. Item Ardermanus filius Zanetti pro terra D. Abbatisse. Item Bertramus.

Item Thonius Racolyani pro terra D. Abbatisse. Pro eo quod predicti habent laborare murum super porta S. Silvestri, et tempore necessitatis imminentis debent etiam muros alibi laborare.

Item Casata Johannis filii q.m Artuici de Prestento pro terra D. Patriarche.

Item Casata Stephani q.m Dominici pro terra D. Patriarche.

Item Casata Leonardi q.m Artuici pro terra D. Patriarche.

Item Casata Purchardi filii Gargasutti pro terra de Maseris. Pro eo quod singulis annis dant super Portariis porte S. Silvestri CL. forcales ad vineas, et quatuor currus lignorum.

Item infrascripti de Rubignacho magistri lignaminis D. Patriarche, qui habent facere portas S. Silvestri ad expensas Communis cibi et potus: et si debent fieri porte nove, ipsi debent habere portas veteres, et de-

bent ipsi facere portas novas cum asseribus et lignis suis. Domus Symonis, domus Thomadelli, domus magistri Artuici, domus magistri Rubei, domus Doldorie, domus Sandi, domus Monsuti, domus Francisci, domus Odorlici q.m Nicolai, domus Bonizutti, et debent diruere Castra que capiuntur per D. Patriarcham.

Item Domus Henrici q.m Pizuli de Rubignacho, et domus Henrici q.m Johannis Lunsitti de Rubignacho, ubi est modo viridarium Fratrum Predicatorum cum quadam Silva post Zuculam, debent parare portas S. Silvestri in Cathenis, pidignolys, serraturis, Clavibus, Agutis, et aliis necessariis de ferro.

Ad portam Brossanam infrascripti eximuntur ad faciendam waytam, pro eo quod laborant ad ipsam portam, videlicet Casata magistri Johannis, seu filiorum Malfacti de Toyano pro terra D. Abbatisse, et pro terra q.m Posetti; et Casata q.m Marinutti de S. Georgio, quia debet facere murum ad portam Brossanam, et diruere castra que capiuntur per D. Patriarcham. Item Casata magistri Pretti de Toryano pro eo quod tenetur facere et dare quodcumque opportunum est de ferro, ad portam Brossanam, tam in cathenis, serraturis, clavibus, quam aliis opportunis. Item casata Danielis q.m Pazonis pro terra quam habet; et sita est in Gavo prope terram Warnirii, et terram filie Buttuli, et vias publicas. Et Casata Cussi Bochetti quam nunc habet Maria de Gavo prope terram Capituli, sitam in Gavo, prope terram q.m Tyrelli, et vias publicas, debent construere portam Brossanam cum suis asseribus et lignis, habendo lignamina antiqua, et ponendo nova: tandem Casata Zuculini de

Toryano debet dare ligna pro pydignolibus dicte porte, et ideo non facit waytam.

Ad portam S. Petri infrascripti excipiuntur ad faciendam waytam pro eo quod laborant ad ipsam portam cum suis asseribus et lignis, habendo antiqua lignamina, et ponendo nova, et habendo expensas cibi et potus a Communi cum laborant ad portas: videlicet Casata Ceteri de Grupignano, seu Pila. Casata filiorum Henrici de Deco, qui habent juvare construere portam cum uno magistro. Casata Fasoli et Martini de Pila. Casata Vinerii, Casata filii Danielis Bachere, et Casata Bosoni Misutti de Bultinico. Item Monsinus, Jacussius et Sevulus habent cooperire turrim porte S. Petri, et facere pontem et scalas, et operari circa portam cum lignamine ad omnes expensas Communis necessarias ad pontem. Item filii Fulzitti, seu heredes q.m Martini Zanule et Thesani de Grupignano pro quadam terra sita in Grupignano, que fuit Fulzitti, debent facere quodcumque opportunum est de ferro ad portas S. Petri in serraturis, clavibus, et aliis opportunis. Item casata Quontii Arnusti de Bultinico, et casata Laurentii q.m Stephani non faciunt waytam pro eo quod dant certum fictum super Portariis porte S. Petri in parapsidibus, et Syphis.

Ad portam Pontis illi de Iplis et Azano non debent facere waytam aut Schyrawaytam, neque alia laboreria opportuna Terre, pro eo quod debent suis expensis omnibus facere portam pontis, et domum desuper, et tempore Communis, seu werre debent ire ad exercitum in servitio Communis Civitatis cum eorum plaustris et personis.

Nullus tamen Massariorum civium de Civitate ire tenetur ad exercitum, neque cum Dominis suis: sed Massarii D. Patriarche, Capituli Civitatis, et Monasterii dant currus peditibus pro conducendis armis, et mercatoribus pro conducendis virtualibus ad exercitum, et debent habere expensas cibi et potus bubulci a mercatoribus, donec steterint cum eisdem.

Pro jure Portariorum excipiuntur infrascripte wayte.

Portarius S. Silvestri debet habere unum Comandum in Pristento et unum Excusatum, et Comandus dabet habere unum Excusatum.

Item in Tollano unum Comandum, et unum Excusatum, et Comandus habet unum Excusatum. Item in Rubignacho unum Comandum et unum Excusatum, et Comandus habet unum Excusatum. Item de quolibet igne, de quo fit wayta in Tollano, debet habere unum pisinale milii annuatim.

Portarius Porte Brossane debet habere in Toryano unum Comandum et duos Excusatos, et Comandus habet unum Excusatum.

Item extra portam Brossanam unum Comandum et duos excusatos, et Comandus habet unum excusatum. Item de quolibet de Gavo qui facit waytam, et extra portam Brossanam debet habere unum pysenale milii annuatim.

Portarius porte Pontis debet habere in Puresino unum Comandum, et unum Excusatum, et Comandus habet unum Excusatum. Item in Carraria totidem: Item in Vado totidem. Item in Pidiano totidem. Item in Valanzano totidem. Item in Dernezacho totidem.

Item in Firmano totidem. Item a quolibet igne, de quo fit wayta uno anno, debet habere unum pisenale milii, et alio anno unum pisenale surgi.

Portarius Porte S. Petri debet habere in Premariaco duos Comandos, et sub quolibet Comando duos Excusatos, et quilibet habet unum Excusatum. Item in Muymaco unum Comandum et duos Excusatos, et Comandus habet unum Excusatum. Item in Grupignano unum Comandum et duos Excusatos, et Comandus debet habere unum Excusatum. Item in Bultinico unum Comandum et duos Excusatos. Comandus debet habere unum excusatum. Item annuatim unum starium et medium milii super waytis de Bultinico.

Portarius S. Silvestri ponere debet duas waytas singulis noctibus super porta, et super muro apud domum q.m D. Leonardi.

Portarius Porte Brossane duas waytas unam super porta, et unam super muro ad Prepositurain.

Portarius Pontis duas supra portas, duas ad Pusternulam, et unam super turri Ecclesie majoris.

Portarius S. Petri duas super porta, duas in Pizo, et duas super muro de medio, et duas super eodem muro versus portam S. Silvestri.

Illi qui stant infra juras Civitatis faciunt sicut illi de Burgis, salvo quod illi de jura Portę pontis veniunt ad custodiam Burgi pontis.

Confines jure de porta S. Silvestri. A trivio, quod est apud terram D. Crystine et Braydam Virgilii, et a porta fornacis, et a domo domine Palmere.

De Porta Brossana; ab area q.m Martini Longi, et

a domo q.m Buculi, et a via qua itur Natissam versus molendinum sub domo q.m Johannis Blasiole.

De porta Pontis, a domo q.m Johannis D. Blasiole, a quadrivio loci ubi erat area D. Odorlici Longi, ab area. q.m D. Egidii, a trivio quod est in capite terre Alberti Monoculi, a trivio quod est in capite terre Aldini, et a trivio juxta Ecclesiam S. Lazari.

De Porta S. Petri, a domo uxoris q.m Coffi, et a quadrivio a domo q.m Barlami, et a quadrivio apud terram q.m Bunini de Ligunis, et ab istis distantiis versus Civitatem.

Portarius S. Silvestri habet sub se infrascriptas villas, videlicet Prestentum, et Zinam et Tollanum et Rubignacum, Podoy, et cetera.

Portarius Porte Brossane habet sub se has villas, videlicet Toryanum, Ronchis, Chostam, Gavum etc. in pertinentiis porte Brossane Cavam, Pionum, S. Georgium, et Vernassium.

Portarius Pontis habet sub se has villas, videlicet Puresinum, Lesam Zulyanum, Carrariam, Grilons, Vadum, Valanzanum, seu Galanum, Pidianum, Tramiz, Dernezachum, et Firmanum, Iplis cum Azano quantum ad faciendum opus porte pontis.

Portarius Porte S. Petri habet sub se has villas, videlicet Grupignanum cum suis contratis Bultinicum, Muymacum et Premariacum.

Portarii debent esse exempti a Schyrawayta facienda, et debent personaliter ire ad aperiendum et claudendum portas, seu portam de quibus earum erunt Portarii, et ibi stare donec custodes portarum veniunt, et

in sero donec wayte ponuntur ad postas. Nullus autem Portarius stet, aut dormiat super porta, nec lectum ibi teneat; nec per se, aut suum discipulum, servitorem, aut alium loco sui pro aliquibus aliis faciat custodiam, Schyrawaytam, aut waytam; nec etiam aliquam Schyrawaytam de Civitate, Burgis, Suburbiis, aut villis, valeat aliqualiter excusare sub pena XL. denariorum pro quolibet quod contra predicta duxerit faciendum, que sit Communis Civitatis, salvo jure Gastaldionis. Preterea nullus qui fecit, seu debet facere Schyrawaytam se cum Portario valeat concordare, sub pena sedecim denariorum pro quolibet, que cedat Communi. Nullus vero qui facit, aut debet facere waytam cum Portario se concordet sub pena octo denariorum pro quolibet, que cedat Communi, salvo tamen quod de waytis Portarius valeat excusare quos ratione officii Portarie debet habere de jure, ut superius continetur, alios quoque omnes per Sacramentum ducat per ordinem ad custodiam faciendam, juxta ordinem, rodulum, et tempus debitum quo fieri debet, nullum ante tempus debitum aggravando.

Si aliquis fecerit de novo domos super aliqua terra, in qua terra domus antea non fuerat, eximatur a custodia ad annum et diem, et subsequenter custodiam, ut alii, facere teneatur. Similiter si aliquis tenuerit aliquam terram de qua custodia fieri consuevit, custodiam faciat, non obstante quod resideat in aliqua domo de qua custodia non consuevit fieri. Preterea si aliquis Officialis, qui custodiam facit, non debet, ut superius continetur, locare aliis de suis terris frudulenter, ut ta-

les sitani non faciant custodiam, sibi non prosit fraus hujusmodi sive dolus; sed exceptis Officialibus, qui iu casalibus resident, alii ad faciendam custodiam compellantur: et debent eximi solum illi, aut ille qui stat in casali antiquo, et non eorum consortes, licet sint de eodem stipite, et habeant de illa terra in partes divisa. Item de quolibet foco fiat vvayta, non obstante si plures exirent per unam portam.

Omnes autem et singuli qui faciunt vvaytam aut Schyravvaytam, seu nocturnam custodiam Terre Civitatis et burgorum, et Officiales qui faciunt laboreria Communis circa portam et alibi, tanquam vicini hebeantur, et per Commune Civitatense adjuventur, et oonserventur, et receptentur in personis et bonis, tempore pacis et guerre, atque in Civitate mercationibus uti possint in grosso et minuto: et specialiter illis, quibus in minuto forenses uti non possunt, et ad solvendam mutam non compellantur, prout alii vicini non solvunt. Pascuis quoque et Communiis ad suas portas pertinentibus cum eorum animalibus utantur.

Ad portam S. Silvestri durant pascua et communia, exceptis locis bannitis, usque post montem Nevasii, et montem Bovum.

Ad portam Brossanam durant pascua et communia usque ad pontem Rompeti, et per canale Natisse et montem Spignoni, montem Bovum, montem Sinirvuelle, et montem de Cren, et montem Majorem.

Ad Portam Pontis durant pascua et communia usque post montem Malbiarghe, et usque Floyanam, et per Spessam, et usque ad Lauresium, Azanum et mon-

tem. S. Gabrielis, et per Judrium, et usque ad Venulam.

Ad portam S. Petri durant pascua et communia usque ad Savorgnanum, et ad alveum aque Turris, exceptis locis bannitis, et que custodiuntur, et locis propriis aliorum.

Ad Portam S. Silvestri, in Rubignaco sunt wayte xxvi. Item Schyrawayte iv. Ministeriales ad faciendam portam vii. In Prestento sunt wayte xxxiii. Item Schyrawayte xx. Item Ministeriales ad murandum iv. et pro Supportario unus. In Tollano sunt wayte lv. Item Schyrawayte xiv. Et sic Portarius S. Silvestri habet waytas cx. sine Decanis de quibus sunt ad usum portarii wayte ix. Et ponendo iv. waytas in nocte, venit wayta in nocte xxv. Summa Schyrawaytarum de villis xxxviii. et habent in Civitate et in Burgo decenas v. Schyrawaytarum.

Ad portam Brossanam. In villa Toryani sunt wayte lv. Item in Ronchis wayte xiv. item in Costa wayte viii. item in S. Georgio vvayte viii. item in Gavo wayte xix. Item in Piono wayte ii. item in Vernassio wayte xiv. Item in Civitate decene iv. Schyrawaytarum. Item in Burgo et villa decene vii. Schyrawaytarum. Et sic habet Portarius porte Brossane waytas cxii. sine Decanis de quibus sunt ad usum Portarii viii. wayte. Et ponendo singulis noctibus iv. waytas, venit wayta in xxvi. nocte.

Ad Portam Pontis. In Comandaria Pidiani et Galani sunt wayte civ. item Schyrawayte xxii. In Comandaria Vadi et Valenzani sunt wayte lxv. Item Schyrawayte xv. In Puresino sunt wayte xxxviii. Item in Zu-

liano sunt wayte viii. Item in Lesa sunt wayte vii. Item in Carraria sunt wayte xxvii. Item in Firmano sunt wayte xxvi. Item in Civitate decene iv. Schyrawaytarum. Et sic Portarius Porte Pontis habet waytas cclx. sine Decanis de quibus excipiuntur pro jure Portarii wayte xxi. et ponendo v. waytas singulis noctibus, venit wayta in xlvii. nocte.

Ad portam S. Petri in Grupignano sunt wayte cxiv. In Bultinico sunt wayte xxx. Item Schyrawayte vi. In Muymacho sunt wayte lxxvii: item Schyrawayte vi. in Carandis wayte vii. Item Schyrawayte ii. in Premariaco sunt wayte clx. In Civitate sunt decene iii. Schyrawaytarum, et in Burgo iii. Et sic Portarius porte S. Petri habet waytas ccclxxxvii. Sine Decanis de quibus excipiuntur pro officio portarie wayte xx. Et ponendo viii. waytas singulis noctibus, venit wayta in xlv. nocte, et Schyrawayta venit in xxiv. nocte.

Summa omnium Waytarum capit cccclxxxxiii.

Summa omnium Schyrawaytarum de villis lxxxix.

Dal Codice Belgrado. o.

N.° 216.

1320 18 *Marzo Gemona.*

Reclami degli Abitanti di Forni di sotto contro Gualtiero di Nonta.

Stefano Romano Valconio Not.

Anno Domini m. ccc. xx. Indictione tertia, die xiv. exeunte Martio. Presentibus nobilibus et discretis viris

Dominis Gulielmo Decano Aquilegensis Ecclesie, Gillono Archidiacono ejusdem Ecclesie, D. Ulvino de Prampergo Plebano de Strassoldo, D. Pregonia de Spilimbergo, D. Tomasio de Pertinstain, Dominis Testa de Toppo, Fulcherio q.m D. Guarienti de Osopio, Francisco D. Stephani de Zeliacho, Josepho Cerioli de Glemona, magistro Girardo habitatore Utini, Andrea, Diosamo de Glemena testibus, et aliis ad hoc vocatis et rogatis.

Coram Reverendo in Christo Patre et D. Fratre Johanne Abbate Rosacensi, nec non Reverendi Patris et D. D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, Vicario generali, comparuerunt infrascripti viri D. Mieridus et Meynardus fratres q.m D. Francisci de Soclevo, Petrus q.m D. Nicolai de Glemona, Pellegrinus filius Vualteri Valuti ejusdem loci, et Johannes Mericha de Furno inferiori pro se, vice et nomine Communitatis, et Vicinantie, et hominum dicti Furni inferioris; ibique coadunati, presentes, et consentientes dixerunt conquerentes et protestantes: Domine, esse potest quod D. Gualterus de Nonta habeat certa jura et rationes in Furno ab Aquilegensi Ecclesia, et specialiter Garitum faciendi sub certis, et incertis modis et conditionibus. In quo Garito ipse D. Gualterus nobis facit violentiam et gravamen tribus causis, modis et conditionibus quod de jure facere non tenetur.

Prima vero causa qua nobis facit violentiam est, quod cum aliquis vicinus, seu persona de Furno predicto ponit aliquam querelam super alium suum vicinum de aliquo debito quod sibi teneatur, ipse D. Gual-

terus non vult eidem conquerenti tenere, nec facere rationem, nisi ponat querelam suam de violentia, ad hoc, ut judex majus lucrum habeat.

Secunda causa qua nobis facit violentiam est, quod cum aliqua sententia lata est coram ipso per juratos deputatos, et sententia lata non sit ad ejus voluntatem, ipse se appellat ad suos vassallos et servitores, et de hoc non vult petere per sententiam si hoc facere possit, aut non; et sententiam latam non vult mandare ad executionem.

Tertia quidem violentia est, quod cum plures Domini et persone Forijulii habeant Massarios et rationes in dicto Furno; et cum aliquis dicti loci petere et requirere se habebat super aliquem alium dicti loci de aliquo debito sive re, ille qui petere habebat ipsum oportebat ire ad requirendum rationem coram Domino illius cui petebat; qua de causa homines de Furno predicto dampnum et laborem maximum substinebant.

Quare ad omne dampnum evitandum, de voluntate et concordia dominorum, qui habent, et habebant rationes in Furno predicto, et totius Communis, hominum, et vicinantie dicti loci, unanimiter ordinaverunt et fecerunt multis temporibus elapsis unum Mericham, qui in Commune et vicinantia predicta facere et tenere debeat rationem, ut eorum domini facere possent de jure; quem Mericham ipse D. Gualterus non dimittit facere rationem more solito, ut husnsque rationabiliter antiquitus consuevit. Quare rogaverunt dictum D. Vicarium, ut sententialiter faciat deffinire si dictus D. Gualterus remanere debeat in dictis violentiis, quas eisdem injuste fa-

ciebat. Ad que dictus D. Gualterus respondit dicens: Domine, omnia bona et jura que habeo in Furno, et de hoc habeo bonum manutentorem, nec etiam mea jura non habeo ad presens, et ideo rogo ut mihi quemdam diem dare faciatis. Ad que vero supradicti D. Myeridus, et alii suprascripti, nomine dicte communitatis et vicinantie, replicaverunt dicentes, quod in predictis bonis et juribus dicti D. Gualteri, eidem litem in aliquo non movebant, nec movere intendebant, sed solummodo conquerebantur super ipso de violentiis, quas eisdem fecerat, et faciebat. Super quibus allegationibus petitum per dictum D. Vicarium a circumstantibus quid ordo juris postularet. Quare sententiatum fuit, quod dictus D. Gualterus suo nomine et arbitrio aliquem de Furno predicto molestare non debeat, nec facere violentiam, sed unicuique facere, ut tenetur, rationem, et eos conducere per laudum et per sententias, et sententias mandare ad executionem, ut extitit sententiatum, salva appellatione, si fuerit appellandum: et si aliquis appellaverit de dicto Furno, ipsam appellationem coram Commune et hominibus Furni superioris valeat producere et procurare, ut mos fuit et consuetudo dicti Furni Inferioris: et postmodum in antea si voluerit appellare, quod appellare et reducere debeat eam appellationem coram D. Patriarcha Aquilegensis Ecclesie, aut ejus Vicario.

De facto vero Meriche dictus D. Gualterus ex parte una, et D. Myeridus predictus, Pellegrinus, Johannes Mericha suprascripti, nomine quo supra, ex altera, de communi voluntate et concordia se remiserunt, et repromiserunt in discretos viros Odoricum et Franciscum

Nasutti notarios de Utino, tanquam in arbitros et amicabiles compositores: ita quod valeant arbitrare et sententiare inter dictas partes de causa Meriche alte et basse, amore et ratione, citatis partibus, et non citatis, una presente et altera absente, cum scriptis, et sine scriptis, ordine juris servato, et non servato, diebus feriatis, et non feriatis, sedendo et stando pedibus, et quidquid dictis arbitris in dicto Meriche facto placuerit sententiare, et ordinare: promittentes namque dicte partes sententiam, que per ipsos arbitros dabitur, inviolabiliter observare, nec de ea se appellare ad sententiam boni viri, seu bonorum virorum; et contra sententiam non facere, dicere vel venire ratione aliqua, sive causa; et hoc sub pena valoris dupli dicte questionis, minus quique solidis parvorum, cum obligatione omnium suorum bonorum mobilium et immobilium, presentium et futurorum: et pena soluta vel non, tamen presens instrumentum obtineat plenum robur.

Et cum dictus Gualterus retinuisset duo armenta Johanni Meriche causa qua tenebat rationem, ut ait Mericha, in dicto Furno inferiori, ipse D. Gualterus contentavit, et promisit reddere dicto Johanni Meriche, tenore hujus contractus, dicta armenta, vel valorem ipsorum infra octo dies postquam fuerit ipse Gualterus requisitus in Furno inferiori, ad extimationem hominum dicti Furni.

Actum Glemone, in palatio D. Patriarche. A.N.U.o.

N.° 217.

1320 28 *Marzo Aquileja.*

Pagano fa sapere al Pontefice di aver ricevuto il Pallio, e mandagli la formola del giuramento da lui prestato nel dì che gli venne imposto.

Sanctissimo Patri et Domino, Reverendo Domino Johanni Dei gratia Pape XXII. sacrosante Romane Ecclesie Summo Pontifici, Paganus Patriarcha Aquilegensis... ac reverentie debitum, et pedum oscula beatorum.

Noverit Sanctitas vestra me nuper a Reverendo Patre D. Artico Episcopo Concordiensi, Suffraganeo meo, Pallium, insigne Pontificalis officii, destinatum sibi per Barofinum de Cremona Canonicum Paduanum, nuncium meum, juxta formam, quam sub Bulla vestra interclusam misistis, devotissime recepisse, ac vestro, et ejusdem Ecclesie Romane nomine, ipsi Episcopo prestitisse, juxta formam similiter sub eadem Bulla inclusam, fidelitatis solitum juramentum, cujus quidem juramenti formam de verbo ad verbum per has patentes meas litteras meo sigillo signatas, Beatitudini vestre per Todeschinum ipsius Episcopi Nuncium proprium destinare curavi, que talis est.

Ego Paganus Patriarcha Aquilegensis ab hac hora in antea fidelis et obediens ero B. Petro, Sancteque Apostolice, Romane Ecclesie, et Domino meo Johanni Pape XXII. suisque Successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio, vel consensu, aut facto ut vitam perdant, aut membrum, vel capiantur mala captione. Consilium

vero quod mihi credituri sunt per se, aut per Nuncios suos, sive per litteras, ad eorum dampnum, me sciente, nemini pandam. Papatum Romanum, et regulas S. Petri adjutor eis ero ad retinendum et defendendum, salvo meo ordine, contra omnem hominem. Legatum Apostolice Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo. Vocatus ad Synodum, veniam, nisi prepeditus fuero canonica prepeditione. Apostolorum limina singulis bienniis visitabo, aut per me, aut per Nuncium meum, nisi Apostolica absolvar licentia. Possessiones vero ad meam Patriarchalem mensam Aquilegensem pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, nec alio modo alienabo, inconsulto Romano Pontifice. Sic Deus me adjuvet, et hec Sancta Dei Evangelia.

Datum Aquilegie, die xxviii. mensis Martii. Pontificatus vestri anno quarto. R. c.

N.° 218.

1320 20 *Aprile, Cividale.*

Feudi di Giovanni di Sofumbergo.

In nomine Domini amen. Anno ejusdem M.CCC.XX. Indictione tertia, die undecimo exeunte Aprili, in Civitate Austria, juxta domum ser Francisci Hospitatoris. Presentibus D. Guerardo de Civitate et Putulucio ejus filio, Henrico q.m D. Varenti de Civitate, Paletto hospitatori de Burgo porte Brossane testibus, et aliis.

D. Johannes de Sorphimberch coram dictis testibus et me notario infrascripto confessus fuit se habere a D. Patriarcha, et ab Ecclesia Aquilegensi in feudum bona infrascripta; videlicet mansos tres in villa de Obliza, et mansos duos in villa de Canebilis superiori, mansum unum in villa de Lasischa, Mansum unum et quartos tres in villa de Oculis, salvo plus vel minus que reperirentur.

Ego Jocobus de Civitate q.m D. Ropreti de Budrio Imperiali auctoritate notarius predictis interfui, et rogatus scripsi. A. C. U. o.

N.° 219.

1320 30 *Maggio.*

Feudo nel Castello di Vipacco concesso dal Patriarca a Ranieri Pincerna.

Dall' Inventario di Odorico Susanna.

D. Paganus Patriarcha investit Raynerium Pincernam de Castro Vipachi, et multis aliis bonis resignatis per D. Dietmarum de Grifemberch in Civitate. Manu Gabrielis notarii. C. P. c.

N.° 220.

1320

I Signori di Butrio promettono di non alienare alcuna parte del Castello di Butrio senza scambievole consenso.

Dall' Inventario di Odorico Susanna.

Promissio facta inter nobiles de Budrio et illos de Pavona de non alienando, sine voluntate alterius aliquam partem Castellarii, Montis, et Dommialium Budrii. Ex Petro de Budrio Notario. C. P. c.

N.° 221.

1320 31 *Maggio Cividale.*

Pagano commette a Guglielmo Decano che faccia restaurare la Torre detta dell' Arena in Aquileja promettendogli perciò dei compensi.

Paganus Dei, et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha dilecto filio, discreto viro Guilielmo Decano Ecclesie Aquilegensis salutem in Domino.

Cupientes quod Turris dicta de Arena, sita in Civitate Aquilegensi, pertinens ad nos et Sedem nostram, que ob Predecessorum nostrorum incuriam inhabitabilis est reddita, et quasi minatur ruinam, per tue discretionis industriam reparetur, et habitabilis fiat: nec ha-

bentes unde tibi expensas necessarias ministremus, gravati sarcina debitorum quibus Ecclesiam nostram per dictos predecessores invenimus obligatam, discretionem tuam rogamus et hortamur in Domino, ut tuis expensis predictam Turrim debeas reparare, et circa eam domos necessarias facere, sicut tue providentie videbitur expedire. Promittentes, nomine nostro, et ejusdem Ecclesie, ac Successorum nostrorum, sub omnium bonorum nostrorum et ipsius Ecclesie ypotecha, reddere tibi, vel tuis heredibus integraliter omnes expensas, quas pro reparatione et edificatione feceris Turris et domorum predictarum. Et interim Turrim ipsam et domos quas ibi edificabis cum omnibus juribus et pertinentiis earundem, habendas et habitandas per te, et illos quos volueris, ac tuos premissos heredes, tenore presentium, duximus concedendas. In cujus rei testimonium presentes fieri jussimus, et sigilli nostri appensione muniri.

Datum Civitate Austria, in Patriarchali Palatio nostro, die ultimo Maii, Anno Dominice Nativitatis M.CCC.XX. Indictione Tertia. A. C. C. o.

N.° 222.

1320 1 *Giugno Cividale.*
Costruzione del Ponte di Porta Brossana.

In nomine Domini Amen. Anno ejusdem M.CCC.XX. Indictione tertia, die prima mensis Junii, in Civitate Austria, in domo Communis. Presentibus D.' Utussio de Portis, Sclisulino de Prestento, et aliis.

Magister Odorlicus murator de suburbio S. Petri promisit et convenit D. Guilielmo q.m Magistri Valteri provisori Communis, ampliare Pontem Porte Brossane, secundum quod dictus D. Guilielmus designavit, et instruere spondas dicti Pontis per totum, usque ad Calendas julii proximi, sub pena unius marche, pro qua Dominicus murator de Mutina extitit fidejussor. Qui D. Guilielmus promisit ei dare duas Marchas, et quadraginta denarios: medietatem in principio, et aliam medietatem cum medietas dicti pontis facta fuerit. A. C. U. c.

N.° 223.

1320 6 *Giugno Cividale.*
Beni concessi dal Patriarca in feudo a Giovanni Notajo.

Parisino Not.

Anno Domini M.CCC.XX. Indictione tertia, die sexto intrante Junio. Presentibus venerabilibus viris Dominis Guidone de Villalta, Lombardino de la Turre Canonicis Aquilegensis Ecclesie, Dominis Franciscino de la Turre, Federico de Villalta, D. Asquino de Colloreto, D. Federico olim D. Costantini de Utino, et aliis.

Henricus dictus Santachinus de Utino certus Nuncius, Syndicus et procurator specialis D. Morascie ejus uxoris, sicut de procuratorio plenissime patet in quoddam publico Instrumento scripto manu mei Parisini notarii infrascripti in testimonium superius scripto procura-

tionis predicte, sub anno et indictione predictis, die quinto intrante Junio, procuratorio nomine quo supra, resignavit in manibus Reverendi Patris et D. D. Pagani Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche septem campos terre aratorie, quos tenet Mathiussius de Utino, sitos ad viam saltus in tabella ville Superioris Utini, quorum hii sunt confines: ab una parte est pascuus, ab aliis sunt vie publice, vel si qui alii veriores essent confines: spectantes ad feudum ministerii Cavallerie de sacco ipsius D. Patriarche et Ecclesie Aquilegensis. Quod feudum ipsa D. Morascia habebat a predicto D. Patriarcha, et ab Aquilegensi Ecclesia: et eidem D. Patriarche suplicavit quod dictos septem campos Johanni notario, filio olim Thomasini de Utino, deberet investire. Qua resignatione recepta, idem D. Patriarcha, suo et Aquilegensis Ecclesie nomine, investivit dictos campos dicto Johanni Notario, salvo jure Aquilegensis Ecclesie, et cujuslibet alterius persone, et dedit eidem Johanni tenute Nuncium Fabricium notarium de Utino, qui ipsum Johannem ponat et inducat in tenutam et possessionem dictorum camporum.

Actum in Patriarchali Palatio Civitatensi. A. C. U. o.

N.° 224.

1320 23 *Luglio Cividale.*
Amnistia accordata a Federico Indriottis.
Bertolotto detto Bot. Not.

In nomine Domini amen. Anno Domini M. CCC. XX. Indictione tertia, die nono exeunte Julio. In Civitate

Austria, in Patriarchali Palatio. Presentibus honorabilibus et potentibus viris Dominis Johanne Abbate Monasterii Rosacensis, ac Reverendi Patris et D. D. Pagani Dei gratia Patriarche Aquilegensis Vicario Generali, Philippono Preposito Civitatensi, Morando de Purcileis Preposito S. Stephani, Nicolussio de Portis Canonico Civitatensis Ecclesie, Hectore milite de Utino, Folchero de Civitate Austria, Federico, Odorlico de Villalta, Leonarduccio, Francisco de Tricano, Francisco de Pulzinicho, Federico de Murucio, Jacobozan de Fontebono Capitaneo S. Viti, Wargendo q.m D. Rodulphi de Mels, Antonio de Civitate Austria Notario, et aliis pluribus.

Coram Reverendo in Christo Patre ac D. D. Pagano Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha comparuit Indriottis filius D. Federici q.m D. Indriottis Castri Utini habitator, procurator, et procuratorio nomine dicti Federici Patris sui, prout de hujusmodi procuratorio constat publico Instrumento scripto manu Amati notarii de Utino, sub anno et Indictione predictis, die vero decimo exeunte Julio. Et proponens dixit, quod bone memorie D. Patriarcha Ottobonus eidem D. Federico dederat in mandatis per suos nuncios speciales, ut se de terra Utini personaliter absentaret, alioquin sibi faceret amputare caput. Idemque Federicus, recepta hujusmodi Ambassata, licet injusta, et habito consilio nobilium virorum Dominorum Petri, Constantini, Odorlici Notarii, Francisci Nasutti et aliorum quam plurium, qui eidem Federico spem dederant et dabant, secundum promissionem eis factam per dictum D. Patriarcham,

quod infra spatium xv. dierum, si se separaret de Terra Utini pro honore faciendo dicto D. Patriarche, quod elapsis dictis xv. diebus, in statum pristinum, Utinum reverteretur, ut erat, eodem die voluit obedire mandatis dicti D. Patriarche, et condescendere precibus et Consilio dictorum Dominorum, et se de Terra Utini separavit: quo separato, placuit quibusdam hominibus de Utino, licet idem Federicus non meruisset, eidem occupare mobilia et immobilia ipsius Federici, et violenter occupata detinere. Quare petebat dictus Indriottis procurator, et procuratorio nomine quo supra, sententialiter deffiniri, si dictus Federicus reduci deberet in possessionem et tenutam corporalem dictorum suorum bonorum, in qua erat eadem die, quando se separavit de Terra Utini, tam mobilium quam immobilium, postquam reversus est in Utinum Dei gratia et benignitate, ac voluntate dicti D. Patriarche in suum statum: et si dicti detentores dictorum suorum bonorum sibi debebant satisfacere de usibus et fructibus dictarum suarum possessionum, receptis per eosdem, et que percipi potuerint de eisdem. Et querente dicto D. Patriarcha a circumstantibus, quid inde juris esset, sententiatum fuit per omnes astantes, nemine discrepante, quod dictus Federicus debebat reduci in possessionem per dictum Patriarcham de omnibus suis bonis mobilibus, et immobilibus, ut possidebat ea die, quando se separavit de Terra Utini; et quod occupatores dictorum bonorum sibi debebant satisfacere de retentis et receptis; et quod D. Patriarcha predictus sibi dare debet Nuncium, sicut eidem Procuratori dedit Personam Preconem de Civitate Austria ad exequendum,

et complendum predicta, ut sententiatum extitit ibidem, jure cujuslibet salvo.

Et ego Bertolottus dictus Bot de Utino Imperiali auctoritate notarius, predictis omnibus interfui, et rogatus scripsi. A. C. U. c.

N.° 225.

1320 6 *Agosto Cividale.*
Accordo tra il Patriarca, e i Signori di Cucagna per la custodia della festa di S. Lorenzo del monte.

Stefano Guglielmini Not.

Die VI. intrante Augusto, Civitate, in Camera Patriarchali. Presentibus venerabilibus viris Dominis Guidone de Villalta Dei gratia Ecclesie Tergestine Electo, Gillone Archidiacono, et Warnero de Cucanea Canonico Aquilegensi, Petro Mora Capellano D. Patriarche, D. Raymundino de la Turre, et aliis.

Inter Reverendum in Christo Patrem et D. Paganum Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcham ex parte una, et nobiles Dominos Thomasium militem et Adalprettum de Cucanea ex altera, occasione Custodie festi S. Laurentii de monte, questione submota, placuit ipsis partibus pro bono pacis, videlicet ipsi D. Patriarche pro se et Ecclesia sua Aquilegensi, nec non D. Thomasutto filio dicti D. Thomasii, et Guarnero filio D. Adalpretti predicti, quod dictum instans festum custodiat, et custodire debeat Stephanus

natus q.m D. Egidii de Civitate, sine alterius partis prejudicio, et ipsum faciat proclamari, ut moris est, jure hinc inde semper salvo. R. o.

N.° 226.

1320 6 *Agosto Cividale.*

***Decisione** del Patriarca relativamente a quelli, che non richiesero a tempo debito l' investitura de' loro Feudi.*

Nicolò da Cividale Not.

Anno m.ccc.xx. Indictione iii. die vi. intrante Augusto; in Civitate Austria, in palatio Patriarchali. Presentibus D. D. Johanne Abbate Rosacensi, Guarnero Decano Ecclesie Civitatensis, Odorlico Longo de Civitate, Henrico q.m D. Warete de Civitate, Bertolotto Notario de Villalta commorante Civitate, Guecellone et Quontione q.m Maynardi de Faganea, et aliis vocatis testibus et rogatis.

D. Guilielminus q.m D. Egidii de Civitate Prepositus Concordiensis et Stephanus ejus frater, filii q.m D. Egidii de Civitate accedentes ante presentiam Reverendi Patris et D. D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, proposuerunt dicentes, quod ipsi habuerunt quemdam eorum fratrem nomine Gregorium, qui erat major eorum, et aliqui sunt qui habebant bona in feudum a dicto Gregorio, qui non requisiverunt dictos Guilelminum et Stephanum fratres

post mortem dicti Gregorii, transactus est annus, et dies, ut ipsi eos investirent de ipsis feudis. Quare petierunt sententialiter deffiniri quid juris est. Super quibus, petente dicto D. Patriarcha a circumstantibus, sententiatum fuit per omnes, nemine discrepante, quod dictus D. Patriarcha debebat dictis Dominis Guilielmino et Stephano dare Nuncium ad intromittendum dicta bona feudalia, non requisita per annum et diem, sine usufructu. Qui D. Patriarcha, juxta tenorem sententie antelate, dedit dictis D. D. Guilielmino et Stephano Ottonellum q.m Ugonis de Midea in Nuncium, et pro Nuncio ad intromittenda dicta bona, ut superius est expressum, sine usufructu, taliter quod notitia possit pervenire ad illos de villis ubi sunt dicta bona. A. N. U. o.

N.° 227.

1320 16 *Agosto Trevigi.*
Feudo in Lestizza e in S. Vidotto assegnato dal Conte di Gorizia ai Signori di Pramperch.

Enrico di Orzono Not.

In Christi nomine amen. Anno Nativitatis ejusdem M. CCC. XX. Indictione tertia, die XVI. Augusti. Presentibus D. Worlico de Gorfis, Bernardo de Strasau, Jacobo de Cormono, Wichardo de Petrapilosa testibus, et aliis.

Magnificus vir D. Henricus illustris Comes Goritie et Tyrolis, Aquilegensis, Tridentine et Brixinensis Ecclesiarum Advocatus, Civitatis et districtus Tarvisii Ca-

pitaneus generalis, pretio et foro centum et quinquaginta marcharum solidorum, quod pretium fuit coufessus et contentus habuisse ac integre recepisse a D. Henrico de Pramperch, renuntians exceptioni non habiti, et non recepti dicti pretii tempore hujus contractus, et omni legum et juris auxilio, tam Canonici, quam civilis, omnique alii juri, exceptioni, actioni, defensioni et rei sibi competentibus et competituris, cum quibus, aut eorum aliquo a contentis in hoc instrumento se posset aliqualiter defendere, aut tueri, per se, suosque heredes vendidit, dedit, et tradidit, ac jure recti et legalis feudi nomine investivit eidem D. Henrico pro se, suisque heredibus, et cui dare voluerit, salvo jure feudi, ementi et recipienti, decem Marchas in redditibus ad usum Curie de Advocatia ipsius D. Comitis in villis Lestizze et S. Vidotti, cum omni jure et dominio, omnique actione, sive jurisdictione, quod, et quam habebat, seu videbatur habere, et ipse et progenitores sui habuerunt, seu visi sunt habuisse de consuetudine, aut de jure in villis predictis super mansis et bonis solventibus censum predictum, ad habendum, tenendum, possidendum, et quomolibet suam voluntatem faciendum absque contradictione dicti D. Comitis, suorumque heredum, aut alicujus persone, salvo jure feudi, et salvo quod si in dictis villis, aut altera earum, et ipsarum pertinentiis maleficium aliquod committetur per massarios solventes dictum censum, aut aliquem eorum, aut ipsorum Manapastium pro quo quis deberet in persona puniri aut membro: tunc dictus de Pramperch, aut ejus heredes, aut officialis, sive Gastaldio, si malfactorem habere po-

terit, aut detinere captivum, teneatur extra villas predictas per cingulum dare et consignare dicto D. Comiti, suisque heredibus, aut officiali, sive Gastaldioni de Flambro, ab eo postea puniendum. Promittens dictus D. Comes venditor per se, suosque heredes cum obligatione omnium suorum bonorum presentium et futurorum, et expensarum litis et extra, refectione, ac interesse, memorato D. Henrico pro se, suisque heredibus stipulanti et recipienti, de predictis juribus, aut aliquo eorum litem, aut questionem aliquam non facere, aut movere, sed ipsa omnia sibi ab omni homine, universitate, Ecclesia et persona legitime defendere, auctorizzare, et in solidum disbrigare: numquam quoque contra predicta, aut ipsorum aliquo per se, aut interpositam personam dicere, facere, aut venire ratione aliqua, dolo, ingenio sive causa, sub pena dupli pretii, minus quinque solidis Veronensium parvulorum: qua soluta, aut non, presens Instrumentum obtineat plenum robur. Quibus sic peractis, dictus D. Comes remisit eidem D. Henrico Sacramentum fidelitatis, quod prestare paratus erat.

Actum Tervisii in hospitio D. Comitis supradicti.

Et ego Henricus de Orzono Imperiali auctoritate notarius predictis omnibus interfui, et rogatus scripsi.

Da una Pergamena presso i Sig.ri Co: Prampero.

N.° 228.

1320 21 *Agosto*, *Udine*.
Pace e concordia tra i Signori di Villalta.

Stefano Guglielmini Not.

Die XI. exeunte Augusto. Utini, in palatio Patriarchali. Presentibus Reverendo in Christo Patre D. Artico Dei gratia Concordiensi Episcopo, Nobilibus viris Dominis Nasinguerra et Sergio de Pola, Guidone de Manzano Archidiacono Concordiensi, Aldrigono de Pulzinico, Federico de Savorgnano, Guilielmo nepote q.^{m} magistri Walteri, Odorlico et Francisco notariis de Utino, Panthaleone de la Massaria notario de Civitate, et aliis.

Coram Reverendo in Christo patre et D. D. Pagano Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha convenientibus in unum nobilibus viris Dominis Federico de Villalta ex parte una, et Johanne, Odorlico, et Indrigutio de dicto loco ex altera, intuitu, et causa pacis et concordie inter eos perpetuo observande, dicte partes vicissim de omnibus et singulis injuriis, maleficiis, offensionibus, dampnis et contumeliis sibi ad invicem inter se usque ad presentem diem illatis, fecerunt pacem perpetuam, finem, remissionem et concordiam sempiternam. Promittentes sibi ad invicem inter se dicte partes, per se, suosque heredes cum obligatione omnium suorum bonorum etc. solempnibus stipulationibus hinc inde intervenientibus, et ad sancta Dei Evangelia

corporali prestito juramento, predictas pacem, finem, remissionem et concordiam, et omnia et singula suprascripta, et infrascripta firma et rata habere, observare perpetuo ac tenere, et non contrafacere aut venire per se aut per alios, aliqua ratione aut causa, de jure aut de facto: nec se ad invicem dicte partes offendere, aut offendi permittere in personis et Castris, scilicet ipsas pacem, finem, remissionem et concordiam sibi ad invicem inter se, et ad rectum et ad indirectum inviolabiliter observare sub pena cccc. marcharum denariorum Aquilegensis monete. Cujus pene centum D. Patriarche, residuum vero persolvatur parti pacem et concordiam observanti. Qua soluta aut non, presens tamen Instrumentum oblineat plenum robur.

Pro quibus omnibus observandis et firmiter attendendis nobiles viri Domini Lombardinus de la Turre, Manfredus de Purzillis, Nicolaus de Prata, Jacobus Zannus de Fontebono, Fulcherus de Spegnimbergo, Federicus et Meynardus fratres de Muruzio, Franciscus de Dercano, Franciscus et Pinzanuttus fratres de Pinzano, Gerardus de Castello, Thomasuttus de Pertinstayn, Wargendus de Mels, Symon de Castellerio, Bernardus de Colloreto pro parte Dominorum Johannis, Odorlici et Indrigutii predictorum. Et Osalchus de Strassoldo precibus et mandatis dictarum partium, ac pro ipsis prescriptis omnibus, ut premissum est, fidejussores extiterunt pro rata. R. o.

N.° 229.

1320 26 *Agosto, Attimis.*
Pace fra i Signori di Attimis.

Stefano da Cividale Not.

In Christi nomine amen. Anno Domini a Nativitate ejusdem м. ccc. xx. Indictione tertia, die sexto exeunte Augusto. In villa de Atyns. Ante Cimiterium S. Andree. Presentibus Henrico dicto Brand de Atyns, Simone de Pertistayno, Thomasino D. Johannis de Pertistayno, Nicolao de Pinzano, Virchmano de Atyns, Hermanno de Atyns, Birtulo et Jacobo Fratribus q.m D. Odorlici de Atyns, et D. Jacobino de Ronco Gastaldione Civitatis, et Acino de Osimo testibus, et aliis.

Nobiles viri Domini Vargendus q.m D. Janis de Atyns pro se, suisque amicis ex parte una, et Artuicus frater ipsius Vargendi, et Trufulinus filius ejusdem Arthuici, et Federicus q.m D. Jacobi de Atyns pro se et suis amicis ex parte altera, de omnibus et singulis injuriis, offensionibus, et excessibus hinc inde illatis quocumque modo, et quoquo nomine injurie censeantur, usque ad diem presentem fecerunt una alteri ad invicem per manus conjunctas in simul, perpetuam pacem duraturam inter se, finem, et remissionem hiis pactis et conditionibus habitis inter eos; quod dictus Vargendus non dimittat D. Hectorem de Savorgnano, nec aliquem de sua familia, nec reliquos forenses, seu inimicos mor-

tales, nisi forent cum eis concordes, intrare Castrum de Atyns, ne damnum aliquod valeant inferre. Promittentes dicte partes vicissim inter se stipulatione solempni, corporaliter ad sancta Dei Evangelia jurantes, pro se ipsis, suisque amicis utriusque partis, cum mutua obligatione omnium suorum bonorum mobilium et immobilium, presentium et futurorum, et omnium dampnorum, et expensarum, ac interesse litis et extra, refectione et perditione bonorum utriusque partis proprii et feudi, in manibus discreti viri D. Jacobini de Ronco Gastaldionis Civitatis, recipientis vice et nomine D. Patriarche Aquilegensis, predictam pacem, finem et remissionem, et omnia et singula in hoc Instrumento contenta ad invicem perpetuo firma, rata et grata habere et tenere, et non contra facere vel venire aliquo tempore per se, vel interpositas personas, seu movere questionem aliquam dolo, ingenio, ingratitudine, sive causa aliqua, de jure vel de facto, sub pena mutua centum Marcharum denariorum Aquilegensis monete in singulis hujus Instrumenti Capitulis scripta et promissa ad invicem una alteri, que toties exigatur, quoties in eam committetur: qua soluta, vel non, presens nihilominus pax, finis, et remissio, ac Instrumentum, stabilem semper obtineat firmitatem.

Nobilis vir Nicholussius filius D. Artuichi de Atyns in manibus discreti viri D. Jacobini de Ronco Gastaldionis Civitatis, recipientis vice et nomine D. Patriarche Aquilegensis, ac D. Vargendi, et suorum amicorum de Atyns approbavit, juravit, et ratificavit pacem, finem et remissionem factam per dictum suum patrem et reliquos

ipsi Vargendo perpetuo duraturam et conservaturam, juxta modum et formam pacis facte inter eos sibi lectam et declaratam per ipsum D. Gastaldionem Civitatensem, et me Stephanum notarium infrascriptum, sub iisdem penis et obligationibus in dicta pace contentis. A. N. U. o.

N.° 230.

1320 29 *Agosto, Udine.*
Feudo d' abitanza concesso dal Patriarca a Moschino della Torre.

Federico q.m Galvagni Not.

In Dei nomine amen. Anno ejusdem M.CCC.XX. Indictione tertia, die tertio exeunte Augusto. Presentibus venerabilibus viris D. D. Artuico Dei gratia Episcopo Concordiensi, Johanne Abbate Monasterii Rosacensis, Raynaldo de la Turre Thesaurario Ecclesie Aquilegensis, Leonardo et Henrico dicto Casimbere de Cassacho, Brisa de S. Daniele, Jacobino de Paona habitatore Castri Utini, Francisco Nasutti notario de Utino, et aliis multis.

Raymundus filius q.m D. Petri de Paona, habitator de Utino sponte et libere refutavit et resignavit in manibus Reverendi Patris et D. D. Pagani Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche habitantiam unam de Castro Utini, que quondam fuit D. Adubati, quam ab ipso D. Patriarcha et Aquilegensi Ecclesia recognoscebat, cum omnibus et singulis juribus spectantibus et pertinentibus ad dictam habitantiam, rogans et supplicans, ut predictam

habitantiam nobili viro D. Muschino de la Turre consentire dignaretur, et ipsum investiret de eadem. Qui D. Patriarcha predictus, recepta refutatione, seu resignatione a dicto Raymundo de dicta habitantia, prefatum D. Muschinum pro se, suisque heredibus recipientem, de ipsa habitantia cum omnibus suis juribus et pertinentiis, manu propria investivit, jure Aquilegensis Ecclesie semper salvo. Et in tunc modum dictus D. Patriarcha commisit mihi Notario subscripto, ut eumdem D. Muschinum de ipsa habitantia possessionem inducerem corporalem. Qua investitura facta, idem D. Muschinus juravit corporaliter ad Sancta Dei Evangelia fidelitatem dicto D. Patriarche, tanquam habitator Domino suo.

Actum Utini, in Patriarchali Palatio novo. A.C.U. o.

N.° 231.

1320 30 *Settembre*, *Udine.*

Il Vescovo di Concordia ordina ad Onestasio da Portogruaro di dover recarsi ad abitare a Cividale.

Pantaleone Not.

Ultimo die exeunte Septembri. Presentibus D. Meliorantia et Albertino Canonicis de Utino, Symone Bombeno Utini commorante testibus, et aliis.

Symon filius Cuzete de Civitate Austria, familiaris D. Episcopi Artuici Concordiensis, presentavit, ex parte dicti D. Episcopi, unam litteram Honestasio de Portugruario, ut deberet ire ad standum ad Civitatem Au-

strie, usque tantum, quod videretur eidem D. Episcopo, et quod in litera predicta continebatur, ut faceret sub certa pena. A. N. U. o.

N.º 232.

1320 27 *Ottobre*, *Gemona*.
Cessione de' beni.

Pellegrino Not.

Anno Domini M. CCC. XX. Indictione III. die quinto exeunte Octubri. Presentibus Conrado filio q.m Wargendi Molendinarii, Nicolao filio q.m Stephani, Henrico filio q.m Stephani, Henrico filio q.m Constantini, Leonardo filio q.m Decani, Mateo filio q.m Cavicii calcifice testibus de Glemona, Arnoldo pellifice, et aliis.

Nicholaus filius Indriusii de Gout Glemone pro se etc. de omnibus et singulis bonis mobilibus et immobilibus, que sperat habere a dicto Indriusio patre suo, tam occasione hereditatis, patrimonii, et rerum aliarum ab Ursutta matre sua etc. relictis vestibus, scilicet clamide, vestitu, pignolato, stivalibus et cappello, extra domum dicti patris sui in camiscia, et crabulis exivit. Omnibus hiis relictis, fecit ipse Nicolaus per se etc. dicto Nicolao etc. finem et remissionem perpetuam de omnibus supradictis de amplius non petendo aliqua de predictis etc. sub pena dupli etc. Et debeo corrigere, consilio Sapientum hoc instrumentum, si necesse fuerit etc.

Actum Glemone, in Gout, in domo dicti Indriussii. A. N. U. o.

N.° 233.

1320 27 *Ottobre*, *Cividale*.
I Signori di Zuccula pretendono che tutti quelli del Borgo di Ponte sien lor servi di Masnata.

Enrico Not.

Die quinto excunte Octubri. In Civitate Austria. In Palatio Patriarchali. Presentibus venerabilibus viris D. D. Johanne Abbate Rosacensi, Odorlico de Strassoldo, ac Nobili viro D. Fulcherio de Savorgnano, Federico et Parisino notariis de Utino, Philippo D. Quontii, Bertolotto de Civitate, Antonio notario Civitatensi, et aliis.

Coram Reverendo in Christo Patre et D. D. Pagano Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha pro tribunali sedente, D. Walframus de Zucula, ut procurator nobilium virorum D. Preogne et Bartolomei de Zucula ex parte una; et Anzelottus, Alzubetta et Pizzula ejus sorores, et Alzubetta filia dicte Pizule, Catarina et Palmeria sorores, filie q.m Bertuli, et Clara filia Catarine ex Burgo pontis ex altera, constitute: dicti de Burgo pontis per suum procuratorem proposuerunt dicentes: quod cum ipsi de Burgo pontis sint Aquilegensis Ecclesie, et in possessione et tenuta dicte Aquilegensis Ecclesie, ipsis Dominis de Zucula infamantibus et di-

centibus, ipsos de Burgo antedicto esse homines de Masnata, fecerunt dari primum, secundum et tertium terminos rationabiles qui essent hodie, volentes hanc infamiam a se repelli: ut si quid juris ipsi Domini habent in ipsos de Burgo pontis, illud coram dicto D. Pagano compareant hostensuri, et responsuri premissis de burgo pontis de omnibus que eis dicere haberent. Ad que dictus D. Valframus, procuratorio nomine quo supra, per suum procuratorem, sive Advocatum respondens dixit: quod dicti de Burgo pontis superius nominati sunt homines de Masnata dictorum Dominorum de Zucula; et si hoc negare volebant, paratus erat ipse Valframus procurator rationabiliter hostendere. Dicti vero de Burgo pontis contra hoc excipientes, proposuerunt dicentes, quod sunt, et semper fuerunt homines in tenuta et possessione Aquilegensis Ecclesie, et si hoc negare volebat, parati erant facere fidem, prout requirit ordo juris. Dictus D. Valframus, procuratorio nomine quo supra, replicavit dicens, quod de Consortibus dictorum de Burgo pontis per dictos Dominos de Zucula fuerunt quamplures manumissi, et ipsi omnes nominati de Burgo pontis sunt eorum homines de masnata. Ad quod dicti de Burgo pontis petiverunt sibi declarari quos dicti Domini de Zucula manumiserint, et qua de causa, et unde, aut ex linea paterna, aut materna dicti de Burgo pontis sint et pertineant ad homines de masnata dictorum Dominorum de Zucula. Dictus D. Valframus respondit dicens, quod hoc eis non debebat indicare. Super quibus petente D. Patriarcha a circumstantibus, quid juris inde esset, per majorem partem

sententiatum fuit, quod dictus D. Valframus procurator debet ipsis de Burgo pontis dicere, an pertineant ipsi de Burgo pontis ad dictos Dominos aut ex paterna linea, aut materna. Per minorem vero partem sententiatum fuit, quod probationes utriusque partis audiri deberent. Ad quam majorem quidem sententiam dictus D. Valframus, procuratorio nomine quo supra, sentiens se gravatum, ad quoddam Generale Colloquium appellavit, volens minorem sententiam obtinere. Quibus sic peractis, petiverunt dicti de Burgo pontis deffiniri in quantum tempus dicta appellatio fieri debet ... Super quibus petente D. Patriarcha, quid juris? per laudum Curie sententiatum venit, quod infra quindecim dies hoc fieri debet; et si appellatio non bene staret, debet consilio Dominorum Advocatuum refici et aptari. Demum ipsi de Burgo pontis petiverunt sententialiter deffiniri, quod cum ipsi dubitent de dictis Dominis de Spegnimbergo, si dictus D. Valframus habet ipsis de Burgo pontis satis dare ad reddendum ipsos securos, usque ad finem litis. Et sententiato ibidem per laudum Curie, quod dictus D. Valframus de hujusmodi satisdationem debet: et requisito ibidem per dictum D. Valframum procuratorem, quod de his cum premissis Dominis loqui vellet, ipse D. Patriarcha ibidem dictos de Burgo pontis in sua protectione et defensione recepit, ipsos, usque ad finem litis, reddendo securos. A. N. U. o.

N.° 234.

1320 29 *Ottobre, Cordovado.*

Procuratori nominati dal Vescovo di Concordia onde appianar le differenze vertenti tra esso Vescovo e il Podestà, Consoli, e Comune di Portogruaro.

Stefano Guglielmini Not.

Die tertio exeunte dicto mense Octubris. In Cordevado, prope portam Zironi dicti loci. Presentibus discretis viris presbitero Albertino de Mantua, et Antonio dicto Blancutio de Carnia Capellanis D. Episcopi infrascripti, Gerardino de Cordevado, et Vanzino de Padua ipsius D. Episcopi Domicello, et aliis.

Reverendus in Christo pater et D. D. Articus Dei gratia Concordiensis Episcopus fecit, constituit et ordinavit discretos viros Dominos Guidonem de Manzano, Bernardum de Civitate presentes, et Vincentium Thesaurarium Ecclesie Concordiensis, licet absentem, et quemlibet eorum in solidum, ita quod melior non sit conditio occupantis etc. suos, et dicte sue Ecclesie veros et legitimos procuratores et Nuntios speciales in causa, seu causis, quam, aut quas movet, aut movere intendit potentibus viris Dominis Potestati, Consulibus, Consilio, et Communi Terre Portusgruarii Diocesis Concordiensis, tam occasione catenarum sitarum in flumine Reghine et Datii capitionum dicte Terre, quam etiam occasione nemoris siti in pertinentiis dicte Terre Portusgruarii; quas quidem catenas, Datium, et nemus

idem D. Episcopus ad se et Ecclesiam suam predictam pleno jure asserit pertinere etc. Coram Reverendo in Christo Patre et D. D. Pagano Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha arbitro, arbitratore, et amicabili compositore, ut dicitur, questionum, seu litium predictarum. Ad agendum, defendendum etc. plenum Procuratorium. R. o.

N.° 235.

1320 1 *Novembre Sacile.*

Varj abitanti di Sacile reclamano le cose lor tolte nel dì che Rizzardo da Camino ebbe il governo di quella Terra.

Dal Sommario di Antonio q.m Ailino di Maniago. Not.

D. Conradus Pelizza de Sacilo, Jacobus dictus Bellon et frater, Johannes q.m D. Moltoni, Nicolaus dictus Scelus, et Petrus piscator, omnes de Sacilo fecerunt Procuratorem Federicum q.m D. Porfilasii de Aviano generalem ad agendum coram Capitaneo, sive Potestate Sacili, vel Gastaldione Curdignani occasione rerum eis ablatarum eo die, quo D. Patriarcha dedit Terram Sacili D. Rizzardo. C. M. c.

N.° 236.

1320 1 *Novembre.*

Francesco de Baveriis è creditore di mille marche dai Duchi di Austria.

Dal Memoriale di Antonio Belloni.

D. Franciscus de Baveriis de Florentia habitans Utini habere debet Marchas mille argenti a quondam Serenissimo D. Alberto Romanorum Rege, et a Dominis Rodulpho et Federico Ducibus Austrie filiis ejus. Manu Antonii notarii de Civitate. C. P. c.

N. 237.

1320. 26 *Novembre.*

S' incarica il Gastaldo di Cividale di inquisire intorno ai delitti che commetteansi ne' paesi a lui soggetti.

Dal Memoriale di Antonio Belloni.

Quod Gastaldio Civitatensis, vigore litterarum Patriarchalium, ad cognoscendum de criminibus que passim committebantur in oppidis et locis Gastaldie, tamquam industrie vir spectate, studium adjungere suum deberet. Adnotatione Antonii Civitatensis compertum habeo. C. P. c.

N. 238.

1320 5 *Dicembre Spilimbergo.*

Convenzione tra i Signori di Spilimbergo per riguardo ai Feudi.

Parisino Not.

In Christi nomine amen. Anno Nativitatis ejusdem M. ccc. xx. Indictione tertia, die quinto intrante Decembri. Presentibus Reverendo in Christo Patre et D. D. Pagano Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha, venerabili in Christo Patre D. Artico Dei gratia Concordiensi Episcopo; honorabilibus et discretis viris D. D. Ulvino de Prampercho, Odorlico de Strassoldo, Guidone de Manzano predicte Civitatensis Ecclesie Canonicis; nobilibus viris D. Olderico de Cucanea, Phebo et Muschino de la Turre Civitatis Mediolanensis, Manfredo de Purcilleis, Johanne et Rodulphino de Villalta, Artico de Pramperch, Johanne de Pulcinico, Rizzardo et Olderico fratribus, filiis olim D. Simonis de Cucanea, Francisco olim magistri Nasutti de Utino, et Guilielmo nepote olim Magistri Walteri de Civitate Austrie testibus, et aliis pluribus vocatis et rogatis.

Quoniam non solum inter extraneos, sed etiam inter proximos et affines propter bona communia, seu indivisa multoties oritur materia questionis, idcirco nobiles et discreti viri D. D. Preogna filius olim Walter Pertoldi de Spegnimbergo pro se, et Domino Bartholomeo fratre suo ex

parte una, et D. Fulcherius eorum consanguineus, filius olim Bernardi de Spegnimbergo ex altera, ad evitandam omnem causam et materiam questionis, volentes ad divisionem pervenire de eorum Castris, seu Fortiliciis, ac bonis, et territoriis ad predicta Castra, seu Fortilicia spectantibus, videlicet de Spegnimberch, de Zucula, et de Trus, de consilio parentum et amicorum suorum de Spegnimberch ad hoc specialiter electorum, fecerunt duas partes: in una quidem parte posuerunt Castrum, seu Zironum de Spegnimberch cum burgo predicti Zironi, et Trus cum omnibus domnealibus, campis, pratis, silvis, et aliis quibuscumque territoriis ad dictum Castrum de Trus spectantibus.

Item de territoriis spectantibus ad Spegnimberch posuerunt totum territorium quod laboratur inferiori parte vie que ducit Taurianum, quod laboratur in predicta parte.

Item etiam in predicta parte posuerunt silvam Caudarum, sitam juxta viridarium et silvam de Buzolis.

Item in dicta parte posuerunt quoddam pratum, quod appellatur pratum parvum, pratum D. Trinchetti, et pratum de Temano: que quidem pars de consensu et voluntate prefati D. Fulcherii devenit prefato D. Preogne recipienti pro se et Fratre suo, et de ipsa tacitus extitit et contentus.

In alia vero parte posuerunt Castrum de Zuccula cum omnibus territoriis, et aliis omnibus ad dictum Castrum spectantibus, et Valbrunam, seu cerchiam de Spegnimberch cum toto burgo exteriori.

Item totum territorium situm a parte superiori vie que ducit Taurianum, et Vidolis.

Item unum territorium quod laboratur a via per

quam itur ad Roncos Syrgulphi de Martignacco usque ad cisam olim Zinule, et usque ad Cosam.

Item in dicta parte posuerunt Silvam, bandum de Gajo, silvam D. Conii, silvam D. Jacobi, et silvam Redoglieti, et pratum Duline.

Item parti predicte addiderunt, seu addi voluerunt de eorum bonis communibus viginti Marchas de redditibus ad usum Curie, cum quibus, seu quibus mediantibus, hec pars sibi construere, seu edificare possit unum Castrum, sive Zironum in dicta cerchia, seu Valbruna: que quidem pars, de consensu et voluntate prefati D. Preogne consentientis pro se et dicto fratre suo, devenit prefato D. Fulcherio, et de ipsa contentus extitit.

Item voluerunt et contente fuerunt dicte partes quod Sellettum et Lerbagum sint eis communia, pascua etiam, ubicumque ea habuerint ad pasculandum, usque ad ea communia. Viridarium vero, non obstante eo quod supra dictum est, voluerunt inter eos equaliter dividi.

Item voluerunt et concordes fuerunt quod una pars, uno anno habeat Dominium, sive Garritum super eorum villis et Mercatis, ubicumque fuerint, ad omnem Justitiam faciendam, et prout hactenus facere consueverunt, et alia pars habeat alio anno: et si quis caperetur per partem non regnantem illo anno, dari debeat in manu tunc regentis, pro justitia fienda, et quod omnia banna, omnesque condempnationes et multe, inter dictas partes equaliter dividantur: et quod ex nunc ipse D. Fulcherius incipiat regere, et habeat Dominium et Garritum in predictis villis, ut supra dictum est.

Item voluerunt et concordes fuerunt, quod si aliquis,

quicumque fuerit, maleficium fecerit, seu quocumque modo deliquerit; puniri debeat, et si casu aliquo ad partem aliam de Spegnimberch effugerit, capi debeat per Dominum partis ad quam effugerit, et eum ipse Dominus restituere teneatur ad locum ubi deliquerit puniendum; et si ob causam delicti hujusmodi, seu maleficii aliqua condempnatio pecuniaria consecuta fuerit, inter ipsas partes equaliter dividatur.

Item voluerunt, firmaverunt, et concordes fuerunt dicte partes quod in factione Castri, seu Zironi in dicta Cerchia, seu Valbruna, utraque pars fossata ad illud opportune congruentia facere teneatur, ad requisitionem partis dictum Zironum facere volentis, sub pena centum librarum Veronensium parvorum, que toties committatur, quoties contra factum fuerit; scilicet quoties una pars per aliam laborare volentem sine fraude fuerit requisita; cujus pene medietas sit, ut infra continetur.

Item etiam quod utraque pars equaliter, seu pro rata teneatur facere fieri Fossatum, quod dividat Valbrunam ab alio Castro, seu fortilicio dictorum Dominorum Preogne et fratris ad requisitionem partis sine fraude laborare volentis, sub pena centum librarum Veronensium parvorum, que toties committatur, quoties una pars per aliam ad laborandum sine fraude fuerit requisita; cujus pene medietas sit D. Patriarche, et alia partis requirentis, seu laborare volentis. Et si dicta fossata tam ad factionem Zironi, quam ad divisionem fortiliciorum completa sunt aut non, tam in latitudiue, quam in profunditate, sit in determinatione prefati D. Patriarche et quatuor electorum per partes, videlicet Dominorum Olderici de Cucanea, Artichi de Pram-

pereh, Manfredi de Purcilleis et Federici olim D. Constantini de Utino.

Quibus omnibus sic actis, prefate partes, scilicet idem D. Preogna pro se et fratre suo, et prefatus D. Fulcherius pro se suisque heredibus sibi invicem fecerunt finem et remissionem una in parte alterius, seu per aliam acceptare, jure hereditatis semper salvo; et sibi invicem cesserunt omnia jura realia et personalia que una pars in parte alterius habere posset, vel haberet occasione quacumque.

Insuper dicte partes, nomine quo supra, sibi invicem solempnibus stipulationibus promiserunt partem dictorum Castrorum et Fortiliciorum ad se spectantem, et per se acceptatam, ut superius dictum est, non vendere, nec alio modo alienare sine consensu et voluntate alterius partis. Et si secus actum fuerit, dicta alienatio non valeat; et nihilominus qui contrafecerit cadat in infrascripta pena.

Et si casu aliquo necesse esset partem suam vendere, vel aliter alienare, teneatur alteri parti exhibere, et sibi dare pro decima parte minus quam alteri persone.

Item quod neutra pars in parte sua de Spegnimberch possit conducere gentem forensem, vel extraneam in dampnum vel prejudicium alterius partis etiam sub infrascripta pena. Promittentes sibi invicem dicte partes, nomine quo supra, solempnibus stipulationibus hinc inde intervenientibus per se et eorum heredes, cum obligatione omnium bonorum suorum, et refectione dampnorum et expensarum ac interesse litis et extra, super parte alterius litem vel questionem non facere vel movere, nec alicui inferenti consentire; sed predictam divisionem, finem, remissionem, concordiam, et pactum, et omnia et singula suprascripta, fir-

ma et rata habere, tenere et non contra facere, vel venire ratione aliqua, dolo, sive causa, sub pena quingentarum Marcharum denariorum Aquilegensis monete stipulatione premissa singulis Capitulis hujus Contractus: que toties committatur, quoties contrafactum fuerit; et ea soluta vel non, predicta tamen omnia et singula firma sint et rata.

Insuper prefatus D. Preogna promisit solempni stipulatione se facturum et curaturum omni exceptione remota, et sub predicta pena, quod prefatus D. Bartholomeus ejus frater predicta omnia et singula ratificabit, laudabit et approbabit.

Renuntiaverunt insuper predicte partes omnibus et singulis juribus, legibus, statutis, privilegiis et beneficiis in eorum favorem introductis, vel quibus, aut aliquo eorum a contentis in hoc Instrumento se possent defendere.

Actum in palatio Zironi de Spegnimberch.

Et ego Parisinus de Utino Imperiali Auctoritate Notarius predictis omnibus interfui et rogatus scripsi. A.C.U.c.

N. 239.

1320 18 *Dicembre, Cusano.*

Privilegio accordato dal Patriarca agli abitanti di Pissincana.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Anno Nativitatis Domini м. ccc. xx. Indictione tertia. Apud Ecclesiam S. Leonardi de Cusano. Presentibus testibus nobilibus viris Francisco de Pinzano, et Matheo de

Ragonea, Beltramino de Olgate et Fachino Barberio de Mediolano familiaribus infrascripti D. Patriarche.

Venerabilis Pater D. Paganus Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha, facta sibi relatione per venerabilem virum D. Fratrem Johannem Abbatem Monasterii Rosacensis, et discretum virum Franciscum Nasutum de Utino Notarium, quibus hoc Instrumentum specialiter commiserat ad intelligendum si homines et Commune de Piscincana solent ab antiquo commugnare, buscare, secare, et omnem suam voluntatem et utilitatem facere et exercere in quibuslibet Communeis Gastaldie S. Viti, specialiter in his locis, videlicet in Cagnano, et juxta S. Mariam de Tavella, et in Squarf, et in Silva mala, et generaliter in aliis locis, sicut vadunt illi de Gastaldia S. Viti.

Tunc prefatus venerabilis pater D. Paganus Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha, audita et habita relatione a prefato venerabili viro D. Fratre Johanne Abbate Monasterii Rosacensis, et a discreto viro Francisco Nasuto de Utino Notario, tamquam personis per prefatum venerabilem D. D. Patrem Paganum Patriarcham predictum datis et deputatis, sententiavit et per sententiam diffinivit; quod Commune de Piscincana, et omnes homines ipsius ville Piscinchane valeant in predictis Commugnis nominatis ipsius D. Patriarche Aquilegensis Ecclesie, in territorio Gastaldie S. Viti commugnare, buscare, secare, et copulare, et omnem suam voluntatem et utilitatem facere et exercere, salvis bannis, et frattis, absque impedimento, seu contradictione suorum Gastaldionum et Officialium, seu alterius cujuscumque persone presentium, et futurorum. De qua quidem sententia sic lata, me Notarium infra-

scriptum rogaverunt, ut eisdem de hoc publicum conficerem Instrumentum.

Ego Eusebius de Romagnano imperiali auctoritate Notarius, et prefati D. Patriarche scriba predictis interfui, et hoc Instrumentum publicum inde tradidi et scripsi, signoque meo consueto signavi rogatus. A. T. c.

N. 240.

1320 31 *Dicembre Gemona.*

Lettera Citatoria del Comunicario generale dell' Arcidiaconato Aquilejese.

Gio. Biachino Not.

Anno Domini M. CCC. XXI. (1320) Indictione IV. (III.) Die ultimo Decembris. Presentibus Dominis presbiteris Almacho, Blasio, Nicolao, Jacobo, Candido, Nicolao Boccapilosa notario, Clerico Clefonis, Stefano monico, testibus de Glemona. Mathiussius de Altaneto de Glemona, nomine petitionis Dominici Nigri de Glemona, presentavit et dedit ex parte D. Nicolai Plebani de Ayello Archidiaconatus Aquilegensis Communicarii generalis, unam litteram sigillatam D. Henrico Presbitero de Glemona, cujus tenor talis est.

Nicolaus Plebanus de Ayello Archidiaconatus Aquilegensis Communicarius generalis discreto viro presbitero Henrico de Glemona salutem in Domino.

Conquestus est nobis Dominicus de Glemona quod tu eidem in certa pecunie quantitate tenearis, et sibi satisface-

re recusas. Quare mandamus tibi per presentes, quod cum dicto Dominico Nigri in hiis que sibi teneris, sis concors, ita quod amplius non habeat materiam conquerendi de te. Alioquin coram nobis in majori Ecclesia Utini, decima die intrantis mensis Januarii proxime futuri, in exitu Vesperarum comparere procures, eidem Dominico, vel ejus procuratori in justitia responsurus. Quare terminum tibi pro duobus editis, et uno peremptorio assignamus; ita quod si dies termini in diem inciderit feriatum, sequens non feriatus pro termino etc. De presentatione vero presentium, latori earum nostro jurato dabimus plenam fidem.

Datum Utini die v. exeunte Decembri. Indictione. IV. Actum Glemone in Ecclesia S. Marie. A. N. U. o.

N.° 241.

1320

Indice di alcune Investiture accordate nel presente anno dal Patriarca, ed altri Atti accennati dal Tesoro Aquilejese.

Francesco Nasutti Not.

Investitio facta Merlito de duobus mansis sitis in villa de Baxedo, et certis aliis bonis jure feudi Habitantie de Sacilo.

Investitio facta Mastino de Meduna de octo passibus terre in Meduna solvendo pro quolibet passu denarios duos Ecclesie Aquilegensi.

Investitio facta Petro q.^{m} Ardemani de Aviano de habitantia quam habuerat Nicolaus filius q.^{m} Albrici Canis de Castro Aviani, eo jure quo dictus Nicolaus habuerat.

Investitio facta Alexandro filio D. Plasenterii de uno manso sito in Valdo, in villa que dicitur Corona, jure feudi ministerii portandi litteras.

Investitio facta Zantomasio de Meduna quod possit laborare super . . . terre medune super sua habitatione.

Investitio facta de uno passu terre Beccarie in burgo inferiori Utini, solvendo annuatim marcham unam denariorum D. Patriarche.

Investitio facta Bolpetto et Philippo de medio passu Beccarie in burgo inferiori Utini, solvendo marcham mediam novorum denariorum.

Investitio facta Henrico di Faganea de quadam habitantia, que fuerat Hermussii de Faganea. C. P. c.

N. 242.

1321 12 *Gennajo S. Vito*

Sentenza del Patriarcha nelle questioni vertenti tra il Vescovo di Concordia e il Comune di Portogruaro. Matteo di Farra Not.

In Christi nomine amen. Anno Nativitatis ejusdem M. CCC. XXI. Quarta Indictione, die Lune XII mensis Januarii. Presentibus testibus infrascriptis:

Reverendus in Christo pater et D. D. Paganus Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha, arbiter, et arbitrator, et amicabilis compositor a venerabili patre D. Artico Dei gratia Concordiensi Episcopo ex una parte, et Commune et hominibus Portusgruarii, seu eorum procuratore, ad hoc specialiter mandatum habente, ex altera, communiter Electus in questione, que inter ipsas partes super variis et diversis articulis, seu capitulis de quibus contentio erat, et inter ipsas partes vertebatur, sicut de ipsis articulis seu capitulis in actis mei Maphei infrascripti Notarii plenius constat, sententiam diffinitivam super jam dicta questione, articulis, seu capitulis, de quibus, ut premittitur, contendebatur inter partes, petente dicto D. Episcopo omnia et Singula in eisdem capitulis contenta, et per eum a dicto Communi et hominibus petita sibi et Ecclesie sue adjudicari, tamquam juris Ecclesie sue predicte, ac asserente se legittime probasse omnia et singula premissa per testes, omni exceptione majores, promulgavit et tulit in hec verba dicens:

Nos Paganus Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aqui-

legensis Patriarcha arbiter, arbitrator, et amicabilis compositor a venerabili patre D. Artico Dei gratia Concordiensi Episcopo, ejus nomine, et sue Ecclesie ex una parte, et Commune et hominibus Portusgruarii eorum nomine et dicti Communis ex altera, communiter Electus, ut patet publico Instrumento Compromissi tradito per Gabrielem de Cremona Notarium nostrum, visis; et diligenter examinatis petitione, quam faciebat idem D. Episcopus contra Commune, et homines predictos, capitulis ex ea formatis, ac testibus, et probationibus super eisdem capitulis productis et receptis, et omnibus et singulis actitatis in causa, plenius et sespius discussis, ac mente recensitis, dicimus sententiam, et arbitrantes diffinitive pronunciamus in hiis scriptis.

In primis super primo Capitulo; Flumen Leminis libere et plenarie cum omni onere et utilitate, Ecclesie Concordiensis esse, et ad ipsam Ecclesiam, et Episcopatum ipsius Ecclesie plene et libere spectare; et catenam, quam habent Commune et homines dicte Terre in dicto flumine pro custodia tantum ipsius Terre, debere habere ipsius Catene unam clavem, pro aperiendo ipsam catenam de die, et claudendo de nocte pro custodia ipsius Terre, et ipsum D. Episcopum, ut plene et libere facere possit de die et de nocte que sibi expediant et Ecclesie sue ne impediatur in exitu et reditu ipse et sui, sicut voluerint et placebit unam clavem habere debere, et penes seipsum clavem ipsam semper tenere, sicut in declaratione post hanc nostram sententiam factam, plenius colligitur. Nec in ipso flumine dicto Communi et hominibus ipsius Terre liceat deinceps aliam catenam ponere vel habere, nisi cum voluntate et beneplacito dicti D. Episcopi.

Item super secundo Capitulo. Nemus in capitulo contentum, situm infra Ecclesiam S. Jacobi prope Portumgruarium, esse debere Ecclesie predicti D. Episcopi, Communis et hominum dicte Terre, dictum nemus in custodia tenendo, vel ipsum dividendo pro medietate utriusque partis, sicut ipse D. Episcopus voluerit divisionem, vel communiter uti, sicut in ipsa declaratione continetur.

Item super tertio Capitulo, Mutam omnium marcatantiarum generaliter esse et fuisse Ecclesie Concordiensis et Episcopatus ipsius, et ad ipsam Ecclesiam, et Episcopatum plene spectare et pertinere, et in plena possessione ipsius Mute esse et fuisse per transitum temporis cujus non est memoria. Mutam vero carritiorum, ad ipsam Ecclesiam et Episcopatum predictum spectare et pertinere debere, et ejus possessionem plenam et liberam esse, sicut pertinuit et spectavit ad bone memorie D. Fulcherium Episcopum et Ecclesiam Concordiensem tempore ipsius, et in ea possessione esse debere, in qua fuit predictus D. Episcopus Fulcherius et Ecclesia Concordiensis, non obstante quolibet abusu, vel consuetudine habita in contrarium per usurpationem dictorum Communis et hominum, contra negligentiam vel impotentiam Successorum predicti D. Fulcherii Episcopi, usque ad presens tempus, de quorum Capitionis declaratione in premissa declaratione patet.

Item super quarto Capitulo. Terram predictam Portusgruarii et domos ejus spectare et pertinere ad ipsum D. Episcopum et Ecclesiam Concordiensem, et nullum Potestatem, vel Rectorem, vel Vcarium, seu

alium quemcumque defensorem, vel presidentem, quocumque nomine censeatur, debere, vel posse eligere, seu sibi preficere, nisi speciali licentia ipsius D. Episcopi et voluntate.

Item super quinto Capitulo. Terram ipsam libere et expedite ad ipsum D. Episcopum et Ecclesiam Concordiensem spectare et pertinere, et liberum exitum et introitum de die et de nocte, pro se et suis familiaribus, sicut sibi videbitur, et placuerit, sine contradictione et molestia Communis et hominum predictorum dicte Terre debere habere.

Item super sexto Capitulo. Eumdem D. Episcopum et Ecclesiam Concordiensem gironum, vel girona posse habere et debere pro custodia et defensione dicte Terre, sicut hactenus citra memoriam hominum hubuisse et habere consuevit; et ad restitutionem dictorum gironorum, que hactenus dicta Ecclesia in dicta Terra habuit, illos per quos, seu quorum causa, vel culpa, ipsa extincta et destructa fuerunt, teneri: quos ad restitutionem hujusmodi hac nostra sententia arbitraria, condempnamus, de quibus gironis constat per duo publica Instrumenta . . .

Item super nono Capitulo: ad satisfactionem dampnorum illatorum contra Conventionem factam inter antedictum D. Episcopum, et Commune, et homines dicte Terre de non comburendis domibus, et aliis inferendis dampnis inter partes easdem, Commune et homines teneri, quos simili modo presenti nostra sententia arbitraria ad hoc condempnamus, taxatione premissa boni viri facienda arbitrio.

Item super Decimo Capitulo: ad satisfactionem par-

tis, seu residui dampnorum illatorum de armentis subtractis Jurato de Fossalta jure teneri, quos, ut premittitur in proximo Capitulo, ad hoc condempnamus simili taxatione premissa.

Item super undecimo Capitulo: arbitramur et dicimus, statuta, seu Ordinamenta que unquam facta per dictos Commune et homines Portusgruarii, de quibus aliqua utilitas provenerit, si rationabilia sint, debere probari et confirmari, seu per D. Episcopum antedictum fieri de novo, sicut hactenus factum est, et eumdem D. Episcopum percipere et habere partem suam, sicut et de aliis Statutis prius factis fieri consuevit, et de perceptis hactenus dictos homines et Comune eidem D. Episcopo teneri, quos taxatione debita premissa jure premittitur, ad hoc comdempnamus, irrationabilia vero et illicita conculcari, et debere cassari.

Item super xII. Capitulo dicimus et arbitramur prefatos homines et Commune contentos esse debere territorio sibi assignato, nec ultra prodire, vel usurpare; quod eis sub pena Compromissi contradicimus, et inhibemus.

Item super xIII. Capitulo dicimus et arbitramur, prefatos homines et Commune non posse nec debere propria auctoritate aliquem vel aliquos de dicta Terra forbannire, seu confinare, absque consensu dicti D. Episcopi: que omnia et singula, et quodlibet promissorum inviolabiliter observari hac nostra sententia sub pena compromissi, sine deminutione volumus, precipimus, et mandamus. In quorum omnium testimonium, et firmitatem clariorem jussimus hanc nostram sententiam sigilli nostri Patriarchalis appensione muniri.

Actum in Patriarchali Palatio S. Viti, Presentibus venerabilibus viris D. Fratre Johanne Abbate Rosacensi supradicti D. Patriarche Vicario generali, Guilielmo Decano Aquilegensis Ecclesie, Odorlico et Francisco Nasutto Notariis de Utino, Francisco de Manzano, Materno de Opreno, Francisco de Villanova et Gabriele de Cremona Notario, et aliis ibidem testibus vocatis et rogatis pro jam dicto negotio explicando. In presentia Gualterii Notarii de Portugruario Sindici dicti Communis, Gerardi et Rodulphi fratrum de Cordevado procuratorum D. Episcopi supradicti.

Eodem anno, indictione eadem, die Dominico primo Martii. Presentibus testibus infrascriptis. Reverendus in Christo pater D. Paganus Patriarcha predictus, capitula retroscripta tria, que declaranda per ipsum sibi duxerat reservanda in priori sententia per eum lata in questione predicta, videlicet super Muta Capitionum, catena habenda in flumine Leminis, et nemore sito prope Ecclesiam S. Jacobi apud Portumgruarium, arbitraria potestate deffiniendo declaravit, et declarando arbitratus fuit, ut in dicta sententia, et ejus Capitulis in quibus de hoc agitur, plenius et expressius continetur.

Actum Utini in Patriarchali palatio. Presentibus venerabilibus viris Dominis Fratre Johanne Abbate Rosacensi, et Petro Mora Vicariis dicti D. Patriarche, Odorlico et Francisco Nasutto Notariis de Utino, Materno de Opreno, Gabriele de Cremona et Francino de Villanova Notario prefati D. Patriarche testibus, et aliis, in presentia venerabilis viri D. Guidonis de Manzano Archidiaconi Concordiensis procuratoris dicti D. Episcopi Concor-

diensis, et Stephani, dicti Zipolini, Sindici et procuratoris dicti Communis et hominum Portusgruarii.

Ego Mapheus de Farra Notarius tunc Officialis bone memorie prefati D. Patriarche, predictis omnibus interfui, et suprascripta Instrumenta sententias et declarationes, alias per me in publicam formam deducta, scripsi. A. V. P. c.

N.° 243.

1321 12 *Gennajo Cividale.*

De Carnibus Silvestribus, seu Selvadisinis.

Statuto di Cividale giusta il Codice Belgrado.

Anno Domini M. CCC. XXI. Indictione IV. die XII. Intrante Januario. Ordinatum fuit per Consilium et firmatum; quod nullus de Civitate et districtu mittat, aut portet extra Civitatem et districtum ad vendendum lepores, perdices, fasianos, aut alias selvadisinas. Et qui contra fecerit, illas perdat: quarum tertia pars sit accipientis, tertia Communis, et tertia Gastaldionis.

Si vero infra unum mensem post poterit reperiri, solvat tam ille qui miserit, quam ille qui per se portaverit, aut portari fecerit, unam Marcham Communi pro quolibet: et ille qui manifestaverit, habeat XX. denarios de qualibet marcha: quantum durat custodia Civitatis possit accipi, et quod revendiculus teneatur publice et manifeste tenere, et non denegare alicui homini de terra sub pena XIV. denariorum; quorum tertia pars sit Communis, tertia Gastaldionis, et tertia pandentis. o.

N.° 244.

1321 15 *Gennajo Cividale.*
Lapuccio da Firenze assume l' impegno di coniare la nuova moneta.

Giovanni da Cividale Not.

Die quintodecimo intrante Januario. In Civitate, in Curia Dominorum infrascriptorum Nicolai et Jacobi Porgariorum de Laybacho. Presentibus Nicolao filio q.m D. Candidi de Canussio, Valentino filio q.m Leonardi Valantini, et Grisulutto calcifice de Civitate, Henrico filio q.m Nasinguerre de Rubignacho, Candido dicto Sfrolg, Tebaldo de Venzono, Jacobo filio Gani de Florentia, et aliis.

Cum Nicolaus et Jacobus dicti Porgarii de Laybacho, una cum Lapuccio filio q.m Papiri de Florentia, Civitate commorante, et Albertino de Foro Urbino tenentur facere fieri in Civitate Aquilegie, Reverendo Patri D. Pagano Patriarche Aquilegensi monetam novam, secundum pacta habita inter eumdem D. Patriarcham, et eosdem Nicolaum, Jacobum, Lapuccium et Albertinum; prefati Nicolaus et Jacobus considerantes quod propter alia eorum negotia pertractanda, huic negotio faciendi monetam hujusmodi admodum cum ipsis Lapuccio et Albertino intendere non valebant, voluerunt ac contenti deinceps extiterunt, et eidem Lapuccio plenam dederunt licentiam, quod ipse Lapuccius tam in emendo argento, quam in aliis necessariis pro ipsa moneta facienda pro

semetipsis Nicolao et Jacobo, sicut ei melius videbitur, valeat facere, et fideliter operari, ratum habituri et firmum quidquid prefatus Lapuccius faciet in predictis. A. N. U. o.

N.° 245.

1321 18 *Gennajo Cividale.*

De non cooperiendis tectis domorum cum scandulis novis.

Statuto di Cividale giusta il Codice Belgrado.

Anno Domini M. CCC. XXI. Indictione IV. die XIII. exeunte Januario. Ordinatum fuit per Consilium et firmatum, quod, transacto presenti mense, nullus in Civitate et Burgis cooperiat, aut faciat cooperiri domos, seu tecta domorum cum scandulis novis, paleis, aut asseribus, nec cum cuppis aut laveribus. Qui vero scandulas novas in Civitatem conduxerit ad vendendum, solvat Communi denarios XL. et qui cooperuerit domum, solvat Communi denarios XL. et qui cooperiri fecerit, solvat Communi mediam marcham pro qualibet vice. o.

N.° 246.

1321 6 *Febrajo Faedis.*

Altro matrimonio fra Servi di Masnata.

Lupo Not.

In Fagedis, in domo D. Adalprety, die sexto intrante Februario. Presentibus D. D. Johanne, Warnero

fratribus, filiis dicti D. Adalprety, Pertoldo et Nicolao ejus filio de Fagedis, Jacossio filio Mynoje commorante in Fagedis testibus, et aliis.

Domina Suffia filia D. Adalprety de Cuchania per se et D. Adalpretum, una cum Dominis Thomasutto et Nicolao fratribus, filiis q.m D. Thome, contenti fuerunt quod Jacuma dicta Suris, filia Ropriti de Cuchania, femmina de Masnata dicte D. Suffie, et Mathiussius dictus Rodonech, filius Ottasii de Pertinstagno, homo de Masnata dictorum Dominorum Adalprety, Thomasutti, et Nicolai, contraherent matrimonium in simul, tali conditione, quod heredes procedentes a dictis jugalibus tam masculi, quam femmine, pariter cum bonis per dictos jugales aquisitos, et aquirendos, condividantur inter dictam D. Suffiam ex una parte, et dictos Dominos Adalpretum, Thomasuttum, et Nicolaum ex altera, sub pena centum librarum veronensium parvulorum. Promiserunt vero dicti D. Thomasuttus et Nicolaus fratres, quod darent operam bona fide, quod D. Johannes eorum frater dictam pactionem satisfaceret. A. N. U. o.

N.° 247.

1321 7 *Febrajo Cividale.*

Procura di Jacobo Zan di Fontana bona onde venire ad un accomodamento coll' Arcivescovo di Salisburgo.

Antonio da Cividale Not.

Die septimo intrante Februario. In Civitate Austria. Presentibus D. Filippo de Portis, Conrado D. Pauli, Jacobo q.m Gani de Civitate, et aliis.

Jacobus Zan de Fonte bono fecit et constituit D. Guilielmum q.m Magistri Walteri de Civitate presentem etc. suum procuratorem in omni causa, seu causis, quam, aut quas habet, aut habere posset cum venerabili patre D. Archiepiscopo Salzpurgensi, et hominibus subjectis Ecclesie Salzpurgensi, occasione cujusdam quantitatis pecunie, et aliarum rerum; et super omnibus de quibus se dicit habere, coram D. Patriarcha ad agendum, et comparendum etc. promittens firmum habere etc. A. N. U. o.

N.° 248.

1321 15 *Febrajo Gemona.*
Leonardo di Nicolò d' Angoleani
è bandito da Gemona.

Stefano Romano Valconio Not.

Die xv. intrante Februario Presentibus D. Albertono de Mediolano, Jacobo Angoleani, Petro ejus fratre, et Cunisano eorum nepote, Guecello et Luchino Sibelli de Glemona, et aliis.

Ex parte Reverendi Patris et D. D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, discretus vir Guilielmus Vicarius Vicecapitanei Glemone precepit, ut in litteris dicti D. Patriarche habebat in mandatis, visis et lectis a me ibique, et ordinavit Leonardo q.m Nicolai Angoleani de Glemona, quod a die crastina in antea permanere non debeat, neque valeat, et de ipsa recedat, et quod revertere et intrare Glemonam a dicto ter-

mino in antea non debeat, sub obtentu gratie D. Patriarche, et sub pena mille librarum Veronensium parvorum.

Actum Glemone, in foro sub Loza Communis. A. N. U. o.

N.° 249.

1321 20 ***Febrajo Aquileja.***

I Signori di Tricano son condannati a risarcire gli abitanti di S. Daniele dei danni lor arrecati.

Tommaso de Tebaldis Not.

Paganus Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha Nobilibus viris de Tricano Ministerialibus suis salutem, et omne bonum.

Conquesti sunt nobis habitatores nostri de S. Daniele, quod bona per vos accepta in mansis nostris, et aliis hominibus de S. Daniele, que per Sacramentum extimata fuerunt coram Albertolo nostro familiari, cui commisimus audire, et extimari facere; et sub pena nostre gratie vobis per ipsum preceptum fuit, quod dicta bona, secundum ipsam extimationem factam, reddere, et satisfacere debeatis ad certum terminum jam elapsum, quod facere noluistis. Quare vobis sub pena nostre gratie precipiendo mandamus, quatenus dicta bona usque diem Dominicam ad octo dies proxime futuros, integre eis satisfacere, et reddere debeatis; sin autem prima die lune proxima sequente coram nobis in Utino cum omnibus ve-

stris juribus compareatis, demonstraturi omnes vestras rationes quas habetis, et quibus probare intendatis tam super nostris pratis, quam super aliis questionibus. Alioquin inter vos, et ipsos, de consilio Sapientum, illa die diffinitivam dabimus sententiam.

Datum Aquilegie, die nono exeunte Februario, quarte Indictionis.

In nomine Domini amen. Anno ejusdem Domini M. CCC. XXI. Indictione quarta, die secunda Martii. In presentia Dominorum presbiteri Benevenuti Vicarii Ecclesie S. Marie de Castro Utini, presbiteri Michaelis de Predemano, Folcherii de Scotis de Coneglano, Albertoli de Novate familiaris D. Patriarche Aquilegensis, Jacobi filii D. Mathei de Ragonea, Misotti de Meduno, Francischini macellatoris de Utino, Guarini de Utino, testium ad hoc vocatorum et rogatorum, et aliorum.

Coram venerabili viro D. Johanne Abbate Rosacensi, et Reverendi patris et D. D. Pagani Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, Vicario generali, comparuerunt D. D. Mathiussius de S. Daniele, Berra q.m D. Musini dicti loci, Niculus D. Cozonelli ipsius loci, Bertulus et Conradella fratres, filii q.m D. Thomaxii nominati loci, Thomas dudum filius D. Bertolotti memorati loci, habitatores de S. Daniele pro se, et pro Commune supradicti S. Danielis dicentes: Domine, per litteras Domini nostri; D. Patriarche Aquilegensis preceptum fuit Dominis de Tricano, quod deberent esse hodie coram illo cum omnibus eorum juribus et probationibus tam super tollettis per illos factis hominibus de S. Daniele, quam super nostris pratis, que sunt ultra Cor-

guium, et super rosta molendini D. Rodulphi de Tricano, de quibus inter ipsos, et nos est questio: et per predictum Dominum nostrum, D. Patriarcham vobis est commissum jura partium audire, et depositiones nostrorum testium; et inter ipsos, et nos sententialiter deffinire. Quare vobis supplicamus, quatenus depositiones, et dicta nostrorum testium legi faciatis, et secundum commissionem per ipsum D. Patriarcham factam sententialiter deffiniatis. Et e converso Domini Leonardus et Jacobus q.m D. Jacobi de Tricano dicebant, aut dicere faciebant pro se, quod ipse D. Vicarius eis alium daret terminum, quia illi volebant loqui, et habere consilium cum aliis eorum consortibus et sociis de Tricano. Et ibidem per Albertolum familiarem dicti D. Patriarche preceptum et ordinatum fuit ipsi D. Vicario, pro parte ejusdem D. Patriarche, ut amplius non dilataret, imo audiret jura et testificationes partium, et diffinitivam inter eos ferret sententiam. Qui D. Vicarius precepit mibi Thome notario subscripto legere dicta Testium illorum de S. Daniele. Et dixit suo ore D. Leonardus Jacobo de Tricano, ut audiret depositiones testium productorum per illos de S. Daniele, et si ipsi haberent aliquod jus, et testificationes producerent, et producte, deberent per partes eas audire. Illi autem illicentiati recesserunt, et noluerunt interesse, nec dictas testificationes illorum de S. Daniele audire. Qui D. Vicarius, non obstante eorum absentia, visis et auditis rationibus et testificationibus per illos de S. Daniele coram ipso et testibus supradictis per me Thomam notarium subscriptum lectis, illis de S. Daniele dicentibus, illos de Tricano esse in contumaciam, sententialiter pro-

nunciavit, eos esse contumaces, et bene esse probatum per illos de S. Daniele tam super tolettis per illos de Tricano eis factis, quam super pratis et rosta molendini ipsius D. Rodulphi de Tricano, qui se probaturos obtulerunt: et sententiavit etiam, quod prata, que sunt ultra Corgnium penes Tricanum, de quibus inter dictos erat, et est questio, et que sunt de D. Patriarcha Aquilegensi predicto, deinceps in perpetuum sint, et esse debeant de ipso D. Patriarcha; et que sunt de specialibus personis de S. Daniele, similiter sint, et esse debeant de illis specialibus personis; et quod illi de Tricano non habeant ad agendum ulterius super ipsis pratis a die quo sunt banniti; et in banno positi illi de Tricano non possint, nec debeant pasculare quousque durat illud bannum; et bannum, quod fit de illis pratis, sit factum per illos de Tricano, sicuti per alios, et quando non sunt in banno, illi de Tricano possint pasculare in eis, sicuti alii faciunt, non faciendo aliud dampnum. Item sententiavit, et per sententiam dedit, quod illi de Tricano satisfaciant, et satisfacere debeant Massariis D. Patriarche, et aliis de S. Daniele omnia que per illos, et eorum conducta eis accepta fuerunt, secundum extimationem factam coram nominato Albertolo, et per me Thomam notarium scriptam; et quod rosta molendini supradicti D. Rodulphi moveri et auferri debeat a loco ubi nunc est, et non debeat poni, nec de cetero permanere super territorio illorum de S. Daniele. Quam quidem sententiam dictus D. Vicarius, sub obtentu gratie Domini nostri D. Patriarche Aquilegensis, et sub pena quam eis ipse D. Patriarcha accipere vellet, precepit inviolabiliter observari,

et mihi notario subscripto scribere precepit, et ordinavit.

Actum Utini, in palatio D. Patriarche Aquilegensis.

B. S. D. o.

N.° 250.

1321 21 *Febrajo Aquileja.*
Affittanza di beni in Sfignà fatta dal Patriarca ad Endriuccio Mutto.

Benvenuto q.m Corrado Not.

Die octavo exeunte Februario. In Civitate Aquilegie, in patriarchali palatio Aquilegensi. Presentibns venerabilibus viris D. Guilielmo Decano, D. Reymundino de la Turre, D. Artuico de Pinzano, Francisco Nasutti de civitate Utini, Nicolao filio q.m D. Ottolini de Canussio, Johanne notario q.m Magistri Juliani de Civitate, Paulo q.m D. Nodini de Civitate testibus, et aliis.

Paganus de la Turre Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha pro se, et nomine, et vice Aquilegensis Ecclesie, dedit, atque locavit Hendriussio, dicto Mutto q.m Rachisii de Civitate pro se, suisque heredibus recipienti, omnes mansos ville, que dicitur Sfigna, site in canale Tulmini, pro pustota, usque ad quindecim annos proxime venturos, ad habendum, colendum etc. solvendo singulis annis in festo S. Michaelis eidem D. Patriarche, aut Curie ejus, pro quolibet manso mediam marcham denariorum Aquilegensis monete. Promittens dictus D. Patriarcha pro se, et nomine quo supra, dictam locatio-

nem ratam et firmam habere etc. nunquam perpetuo contra predicta dicere, facere, aut venire usque ad dictum terminum, sub pena dupli ejus de quo questio moveretur, minus quinque solidis veronensium parvulorum, que toties peti et exigi possit etc. A. N. U. o.

N.° 251.

1321 7 *Marzo Udine.*
Feudo in Claujano concesso dal Patriarca a Francesco di Manzano.

Ulvino da Udine Not.

Anno Domini M. CCC. XXI. Indictione quarta, die septimo intrante Martio. Presentibus discreto viro Petro Mora familiare D. Patriarche, Francisco Nasutti et Hermanno notariis de Utino testibus, et aliis.

Nobilis vir D. Vargendus filius q.^{m} D. Rodulfi de Mels per se, suosque heredes in manibus Reverendi patris et D. D. Pagani Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, quemdam mansum situm in Clauyano, rectum per Rodericum, hujus Diocesis villa, quem Nobilis vir D. Franciscus de Manzano a dicto D. Vargendo emerat certo pretio, ut patet in quodam pubblico instrumento scripto manu mei Ulvini Notarii subscripti, et quem idem D. Vargendus ab Ecclesia Aquilegensi et D. Patriarcha Aquilegensi, jure recti et legalis feudi, dignoscebatur habere, libere refutavit et resignavit. Qua refutatione recepta dicti mansi per dictum D. Patriarcham, prefatus

D. Patriarcha per se, successoresque suos dictum D. Franciscum, recipientem pro se et D. Jacobo suo fratre, ac eorum heredibus, vel cui jus suum dederint, de dicto manso, cum omnibus ejus pertinentiis, jure recti et legalis feudi Aquilegensis Ecclesie, cum fimbria sue cappe libere investivit; dictis Francisco et Jacobo offerentibus se eidem D. Patriarche Sacramentum fidelitatis facere, ut mos est vassallorum suo Domino facere de feudis. Et in hunc modum ei dedit in Nuncium me Ulvinum Notarium subscriptum, qui ipsum in tenutam de dicto manso inducerem, et ponerem in possessionem corporalem.

Actum Utini, in Camera D. Patriarche. A. C. U. o.

N.° 252.

1321 8 *Marzo Udine.*

Il Patriarca incarica il Capitano di Gemona di far che Giovanni di Artegna consegni ad Arnoldo ed Artico de Brazzacco gl' istrumenti e carte promesse.

Giovanni Biachino Not.

Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha dilecto nobis Beltramino Brugno Capitaneo nostro in Glemona, aut vices ejus tenenti salutem et gratiam suam.

Ad petitionem Johannis de Artenea, Arnoldo et Articho fratribus de Brazzacho districte mandavimus, quatenus eidem Johanni de certa pecunie quantitate, in qua sibi tenebantur, occasione hereditatis cujusdam cognati

sui, satisfacere plene curarent. Qui dicti fratres, ut asserunt, studiose secundum mandatum nostrum fecerunt venditionem de quadam brayda et domo una simul cum ea se tenente, pro solutione plena dicte pecunie facienda eidem, dicto Johanne promittente omnia jura et instrumenta, quibus ab eis occasione predicta aliquid petere posset, se redditurum; que, ut ipsi dicunt, contra justitiam facere nunc denegat, et recusat. Quare tibi committimus per presentes et mandamus, quatenus ad tuam presentiam partibus evocatis, si inveneris dictum Johannem sic promisisse dictis fratribus, et per eos eidem Johanni fore satisfactum, compellas eumdem tradere et assignare predicta jura et instrumenta, sicut debet et promisit.

Datum Utini, in Palatio Patriarchali. VIII. Martii. A. N. U. o.

N.° 253.
1321 10 *Marzo Cividale.*

Appello al Parlamento.

Antonio da Cividale Not.

Die decimo intrante Martio. In Civitate Austria, ante Ecclesiam S. Johannis Baptiste. Presentibus Petro Fondani, Pellegrino q.^m^ Jacobi notario de Civitate, Artuico de Attems, et aliis.

Odorlicus Longus de Civitate fecit et constituit Thomadellum q.^m^ D. Oliverii, Matheum filium Covatti, et

Henricum q.m Venture de Civitate, licet absentes, et quemlibet eorum in solidum, suos procuratores ad presentandum, et prosequendum in generali Colloquio D. Patriarche quamdam appellationem in questione quam habet cum Leonardo et Stefano filiis, et Pasculina filia Johannis q.m Cuculini de Carraria; quos dicit suos esse servos de Masnata etc. promittens etc. A. N. U. o.

N. 254.
1321 13 *Marzo Udine.*

Feudo in Vissandone concesso dal Patriarca a Sofianna di Pertistagno.

Stefano da Cividale Not.

Die XIII. intrante Martio. Coram Reverendo in Christo patre et D. D. Pagano Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha, constitutus Nicholussius q.m D. Henrici de Pertistagno, tamquam procurator, et procuratorio nomine Rizzardi de Cenata ad resignandum quemdam mansum in Visandono, rectum per Antonium, jure Feudi Marchisatus de Atyns, quod hereditant masculi et femmine, resignavit, nomine quo supra, in manibus ipsius D. Patriarche dictum feudum jure Marchisatus de Atyns, quod hereditant masculi et femmine. Quam resignationem recepit, et ipsum Nicholussium libere investivit, salvo jure Aquilegensis Ecclesie, relaxans sibi Sacramentum fidelitatis, prout in talibus fieri consuevit, ac dando sibi in scriptis quamdam cedulam sub

hac forma, videlicet: D. Sofianna de Pertistagno quemdam mansum in Visandono jure feudi Marchisatus de Atyns, quod hereditat masculus et femmina, Ecclesie Aquilegensis rectum per Antonium de Wisandono: cum quodam capuccio investivit.

Actum Utini in Palatio Patriarchali. Presentibus D. D. Hectore milite, et Federico fratribus de Savorgnano, Hendricutio de Villalta, D. Johanne de Villalta, D. Odorlico de Villalta, D. Francisco Nasutti de Utino, D. Federico de Murutio, et Federico Burella de Utino, et Botto notario de Utino testibus, et aliis. A. N. U. o.

N.° 255.

1321 16 *Marzo Udine.*

Pagano ordina a Sifrido Canonico di non recar molestie a due suoi massari.

Antonio da Cividale Not.

Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha, discreto viro Syfrido Canonico Civitatensi, aut ejus locumtenenti salutem, et omne bonum.

Miramur qua auctoritate, et quo titulo, ad petitionem Religiosarum Mulierum Abbatisse et Conventus Monasterii Majoris Civitatis, Massarios nostros Hendricum, videlicet, et Pelegrinum de Toryano, ad prestationem Decime duorum camporum sitorum in mansis quos a

nobis et ab Ecclesia Aquilegensi habent, et de quibus nullam hactenus Decimam prestiterunt, compellis. Quare discretioni tue per presentes districte mandamus, quatenus massarios nostros supradictos ulterius non molestes, si a nobis non molestari desideras, cum parati simus tam tibi, quam Abbatisse et Monialibus antedictis, si tibi competitur jus in eis, plene cognoscere, et veritate cognita, mandare quod justitia suadebit. A. N. U. o.

N.° 256.

1321 17 *Marzo Udine.*

Pagano ordina al Gastaldo di Cividale di rimettere alla di lui Curia la causa vertente fra Nicolò Musatto e consorti, e Marino Schiavo.

Antonio da Cividale Not.

Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha, discreto viro Jacobino de Roncho Gastaldioni nostro salutem, et omne bonum.

Quia nuper intelleximus quod Nicolaus Musatus, et Franciscus q.m Jacomussii de Civitate, Marinum Sclavum coram te citari fecerunt in dato termino comparere, occasione cujusdam cessionis facte per uxorem q.m Andree Sclavi Civitatis, juxta Portam Broxanam in Burgo commorantem, propter dotes suas, et alia jura sua, eisque de justitia responsurum: quod si verum est, causam hujusmodi cognoscere non potes, cum ad nos, nostramque Curiam cognoscere pertineat, mandamus tibi, quatenus

prefatas partes ad nos, aut Vicarium nostrum cum omnibus suis juribus transmittas, cum predictam causam in nostra credamus Curia terminari.

Datum Utini, in nostro Palatio xvii. Martii iv. Indictione. A. N. U. o.

N.° 257.

1321 20 *Marzo Udine.*

Pagano delega il Gastaldo di Cividale a prender in esame, e a metter termine alle questioni vertenti fra i Signori di Pertinstayn e di Pinzano, e il Comune di Ramanzacco.

Antonio da Cividale Not.

Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha discreto viro Jacobino de Roncho Civitatis Gastaldioni nostro salutem, et omne bonum. Causam, seu questionem vertentem inter Johannem de Pertinstayn, et Bojadussam relictam q.m Artuici de Pinzano ex parte una, et Consilium et homines de Ramanzacco ex altera, discretioni tue, presentium tenore duximus committendum, mandantes, quatenus vocatis ad presentiam tuam partibus antedictis, inter ipsas quod justum fuerit, juxta consuetudinem terre, auctoritate nostra decernas, faciens quod decreveris firmiter observari. Testes autem qui fuerint vocati, si se odio, gratia, aut amore subtraxerint, compellas veritati testimonium peribere.

Datum Utini, xx. martii anno Domini M. CCC. XXI. Indictione IV. A. N. U. o.

N.° 258.

1321 22 *Marzo Cividale.*

Giacomo Purgravio di Laibacco s' obbliga di pagare pei cinque del venturo Agosto trecento marche al Patriarca, e nel caso ch' ei non sia in Friuli, al di lui Vicario.

Antonio da Cividale Not.

Die decimo exeunte Martio. Jacobus Porgarius de Laybacho, nomine depositi, quod fuit confessus se habuisse etc. promisit dare predicto D. Pagano Patriarche, si erit in Forojulio, sive aliter, venerabili viro D. Fratri Johanni Abbati Rosacensi, aut D. Materno, aut Barufino ejus Vicariis, marchas trecentas denariorum Aquilegensis monete, usque ad quintum diem mensis Augusti proxime venturi; pro quo Lapucius q.m Papiri de Florentia commorans Civitate, extitit Fidejussor. A. N. U. o.

N.° 259.

1321 25 *Marzo Cividale.*

Libro di Decretali dato in pegno.

Giovanni da Cividale Not.

Die septimo exeunte Martio. In curia domus D. Philipponi Prepositi Ecclesie Civitatis. Presentibus D. Phi-

lippono prescripto, D. Wilielmino Preposito Ecclesie Concordiensis, D. Odorlico q.m D. Ugonis de Midea Canonico, et Presbitero Morandino Mansionario Ecclesie Civitatensis, et aliis.

Magister Gerardus de Vicentia Canonicus Civitatis fuit confessus et contentus, quod ejus petitione et prece D. Philipponus de la Turre Prepositus Ecclesie Civitatis sibi accomodaverat quemdam suum librum Decretalium, quem ipse magister Gerardus obligaverat D. Jacobino de Bononia Canonico Civitatis, nomine pignoris, pro certa quantitate pecunie ab eo mutuo recepta. Quem quidem librum prefatus magister Gerardus, cum obligatione bonorum suorum, reddere et dare promisit, et stetit eidem Philippono a die dominico proxime venturo, usque ad octo dies proxime sequentes, aut sibi dare et solvere pro dicto libro decem marchas denariorum Aquilegensium, sub pena quatuor marcharum denariorum predicte monete etc. A. N. U. o.

N.° 260.

1321 31 *Marzo Cividale.*
Tregua fra i Signori di Attems fino al ritorno del Patriarca.

Stefano da Cividale Not.

Die ultimo Martii. Nichulussius filius D. Artuici de Atyns ratificavit, et approbavit pacem factam inter ipsum Artuicum patrem suum, et Wargendum de Atyns fra-

trem ipsius D. Artuici, et juravit non venire contra, juxta formam et modum pacis per me Notarium scriptam etc. in manibus D. Jacobini de Roncho Gastaldionis Civitatis recipientis pro Wargendo, etc.

Actum in Civitate Austria, in domo Communis. Presentibus D. Odorlico Longo de Civitate, ipso Artuico, Azino familiare D. Patriarche, Gregorio q.m D. Ossalchi Plebano, et Ottocino de Utino testibus, et aliis.

Item eodem die, loco et testibus. Domini Artuicus et Nichulussius pro se ipsis, et eorum amicis fecerunt in manibus ipsius Acini Trevuas per unum mensem ultra adventum D. Patriarche, Federicho de Atyns, sub pena feudi etc. juxta modum et formam treguarum. A. N. U. o.

N.° 261.

1321 8 *Aprile Gemona.*
Acquisto fatto dal Patriarca in Gemona.

Giovanni Biachino Not.

Die octavo intrante Aprili. Presentibus Mathiussio de Altaneto, Martino Musti, Blasotto filio Mathiusii Cucinini Becharii, Federico filio D. Adalgerii Prioris Hospitalis, Blasutto filio q.m Pagutti Calcificis, Laudo precone Communis testibus de Glemona, et aliis.

Cum Reverendus pater et D. D. Paganus Dei gratia, S. Sedis Aquilegensis Patriarcha, pro centum sexaginta marchis Denariorum Aquilegensium, quas dare te-

nuisset et debuisset Francisco et Henrico fratribus filiis q.^{m} D. Mathie de Glemona pro domo una eorum, quam habuerant in Castrum et saxum, apud castrum q.^{m} D. Federici de Pramperch, et quam dictus D. Patriarcha aquisiverat et emerat pro evidenti utilitate Aquilegensis Ecclesie, neu ad manus alias in detrimentum et dampnum dicte Ecclesie, et precipue fidelium suorum hominum Terre sue de Glemona devenire potuisset; et quia pecuniam non habebat ad presens, eidem Francisco pro se, Henrico fratri suo, ac eorum heredibus refutavit marchas sexdecim annuatim solvendas eisdem, et cui dederint de denariis livellorum suorum pro se, suisque Successoribus, sue Aquilegensis Ecclesie nomine, et manu propria assignavit et dedit hoc modo et pacto: quod ipse D. Patriarcha, suique Successores decem marchas denariorum Aquilegensium dare voluerint predictis Francisco et Henrico de qualibet dictarum sexdecim marcharum tunc pro rata, et in tantum libere reddere, restituere et dimittere teneantur et debeant ipsi D. Patriarche suisque Successoribus livella predicta; quas quidem sexdecim marchas assignavit et dedit super domibus, tenutis, et possessionibus infrascriptis, ut continetur in instrumento facto manu Francisci Nasutti notarii de Utino, sub anno Domini et indictione predictis, die duodecimo intrante Martio, viso et lecto a me Notario subscripto, prefati Domini Franciscus et Henricus fratres filii q.^{m} D. Mathie de Glemona, jure proprio, pretio quinquaginta marcharum et dimidie denariorum Aquilegensium, et XXVI. denariorum, deffinito, soluto et integre recepto: et si plus valuerint etc. per se etc. in perpetuum

dederunt etc. Hermanno filio q.^m Johannis Boni de Glemona etc. redditus dimidie marche et duorum denariorum Aquilegensium et decem Veronensium parvulorum tam de livello, quam de regalia, quos denarios, ipse Hermannus etc. olim solvebat dicto D. Patriarche annuatim pro quibusdam bonis, terris et possessionibus ipsius Hermanni, scilicet vero novem denarios Aquilegenses pro domo una firmante in domo q.^m Johannis Caristie, et in quadam Androna, et in via publica, et octo denarios Aquilegenses pro domo una firmante in domo ipsius Hermanni, et in domo Walteri Valuti, et in terra Henrici Olei; et quindecim denarios Aquilegenses pro domibus de villa firmantibus in domibus Jacobi de Amaro, et in domibus q.^m Bencary, et in via publica; et viginti quinque denarios Aquilegenses et decem veronenses pro medio molendino sito Glemone apud fontem Glemine: et quinque denarios Aquilegenses pro vinea que fuit olim Zachei, firmante in vinea ipsius Hermanni, et in vinea Pertoldi Valluti, et in terra Pyuti Calcificis, et in via publica; et quindecim denarios pro macello uno sito Glemone apud macellum: et quatuor denarios pro domo, que fuit olim Hengardi de Viconovo firmante in saxo Castri et in via publica, et in domo Vide etc. cum omni dominio et honore, jure et actione reali et personali, utili et directa, tacita et expressa dicto redditui dimidie marche et duorum denariorum Aquilegensium; et bonorum et possessionum in integrum pertinenti de jure consuetudinis, aut de facto ad habendum, tenendum etc. Promiserunt manutenere etc. cum obligatione etc. secundum modum, et formam, et

pactum quod habuerunt cum dicto D. Patriarcha etc. non facere etc. in pena dupli etc. penaque etc. et Nuncius tenute Martinus testis predictus. A. N. U. o.

N.° 262.

1321 21 *Aprile Gemona.*

Procura di Bertaldino da Gemona onde procedere a danno dei Sudditi del Duca di Carintia conforme al diritto di rappresaglia concessogli dal Patriarca.

Stefano Romano Valconio Not.

Die undecimo exeunte Aprili. Presentibus Jacobo q.m Danielis Furtini de Glemona, Aserbo Spiciario, Michaele Spiciario, et aliis.

Bertaldinus de Glemona fecit, constituit etc. Niculussium D. Galangani de Civitate Austrie presentem etc. suum certum Nuncium etc. ac legitimum procuratorem in causa etc. procedendi et pignorandi in bonis et personis servitores D. D. Ducis Carintie, occasione rappresalearum, quas ipse Bertaldinus habet super predictis, concessas sibi per D. D. Paganum Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcham, ut dicebat etc. ad agendum etc. et quidquid dicto procuratori permisit procurare; promittens habere ratum tam in perdendo, quam in lucrando, sub obligatione etc.

Actum Glemone, in statione Antonii Bave. A. N. U. o.

N.° 263.

1321 25 *Aprile Faedis.*
Tregua tra Federico di Attems ed Ettore Savorgnano.

Lupo Not.

Die sexto exeunte Aprili. In Fagedis: in platea, que dicitur Pulvis. Presentibus D. Warnero de Cuchania Canonico Aquilegensi, presbitero Nicolao Capellano D. Adalprety, Leonardutio q.m Romani, et Deniele ejus fratre commorante in Fagedis testibus, et aliis.

D. Federicus q.m D. Janisi de Attems pro se, et suis amicis fecit et juravit Trevuas D. Hectori de Savorgnano, et suis sequacibus. Promisit insuper dictas Trevuas observare sub pena centum marcharum denariorum monete Aquilegensis, medietas cujus cedat parti dictas Trevuas observanti, alia medietas D. Patriarche, qui pro tempore fuerit. A. N. U. o.

N.° 264.

1321 28 *Aprile Cividale.*
Tregua fra Ottonello di Medea, e Lodovico di Legio, e Nicolò di Canussio.

Antonio da Cividale Not.

Die tertia exeunte Aprili. In Civitate Austria, in Ecclesia S. Johannis Baptiste. Presentibus Henrico D. Vuarete, Adalpreto de Campelyo, et aliis.

D. Ottonellus de Midea laudavit in manibus D. Jacobini de Roncho Gastaldionis, Treguas D. Lodoyco de Legio et filio, et Nicolao q.^{m} D. Ottonelli de Canussio usque ad octavas S. Michaelis. A. N. U. o.

N.° 265.

1321 11 *Maggio Cividale.*
Il Capitolo di Cividale vende a Guido di Manzano le rendite di un anno di varj Benefizj.

Giovanni da Cividale Not.

Die undecimo intrante Majo. In Capitulo majoris Ecclesie Civitatensis. Presentibus Dominis Nicolao de Portis Civitatensi, Manno de Florentia, Fulchero de Goritia, Jacobo D. Pellegrini, Fulchero de Zucula et Bernardo de Civitate Canonicis, Vincentio Sacrista Ecclesie Concordiensis, Pologno q.^{m} D. Henrici olim D. Pizzole de Aquilegia, et aliis.

Venerabilis vir D. Warnerus Decanus majoris Ecclesie Civitatensis suo, et Capituli ejusdem Civitatensis Ecclesie nomine, ibidem ad hoc specialiter more solito congregati, vendidit, dedit, et ad firmum tradidit venerabili viro D. Guidoni de Manzano Archidiacono Ecclesie Concordiensis, Canonico Civitatis pro se, suisque heredibus, et cui dederit ementi et recipienti, in omnem suum eventum et periculum guerre, tempestatis, sterilitatis, et cujuslibet alterius inopinati eventus, a festo S. Jacobi mensis Julii proxime venturi, usque ad unum annum,

omnes redditus, proventus, et obventiones Plebium Wolzane, Tulmini, Plez, S. Viti, et Cavoreti, ac totam Decimam bladi et nascentium dictarum Plebium ad ipsos Decanum et Capitulum pertinentes, excepta Decima lini, caseorum parvulorum, et hiis que deputata sibi pro Beneficiis Vicariorum earumdem Plebium, pretio et foro centum et viginti octo marcharum et unius denarii Aquilegensis. Quas quidem centum et viginti octo marchas, et unum denarium prefatus D. Guido, cum obligatione omnium suorum bonorum etc. et omnium dampnorum et expensarum litis; et earum refectione ac interesse, prefato Decano securitatem recipienti pro se et dicto Capitulo, corporali ad S. Dei Evangelia prestito juramento, dare et solvere promisit, et stetit a dicto festo S. Jacobi proxime venturo, usque ad unum annum completum; sub pena decem marcharum denariorum dicte monete etc. Pro quibus omnibus et singulis supradictis, et infra attendendis, et firmiter observandis, parte prefati D. Guidonis, pro ipso, et ejus heredibus, Domini Wilielminus de Civitate Prepositus Ecclesie Concordiensis, Syuridus de Atemburch, et Petrus de Orsaria Canonici, ac Dominicus de Civitate Mansionarius prefate majoris Ecclesie Civitatensis, fidejussores extiterunt, quilibet eorum pro dicta sua rata, dare in Civitate pignus mobile etc. Alioquin liceat eisdem Decano et Capitulo, et cui commiserint, tam supra dictos fidejussores, quam supra dictum debitorem, emere, pignorare, et illa vendi facere, ac accipere pecuniam sub usuris, nec non accipere et vendi facere de bonis tam dictorum fidejussorum, quam etc. A. N. U. o.

N.° 266.

1321 11 *Maggio Cividale.*
Vendita della Decima della Porta del Ponte di ragione del Capitolo di Cividale.

Giovanni da Cividale Not.

Die undecimo intrante Majo. In Capitulo Majoris Ecclesie. Presentibus Dominis Nicolao de Portis, Manno de Florentia, Fulchero de Zucula et Bernardo de Civitate Canonicis, Vincentio Sacrista Ecclesie Concordiensis, Pologno q.m D. Henrici olim Domine Pizole de Aquilegia, et aliis.

Venerabilis vir D. Warnerus Decanus majoris Ecclesie Civitatis, suo, et Capituli ejusdem Civitatensis Ecclesie nomine, ibidem ad hoc specialiter more solito congregati, vendidit, dedit, et ad firmum tradidit D. Vincentio Sacriste Concordiensis Ecclesie, Civitate moranti pro se, suisque heredibus, et cui dederit ementi et recipienti, in omnem suum eventum et periculum guerre, tempestatis, sterilitatis, et cujuslibet alterius inopinati eventus, a die presentis Contractus, usque ad unum annum, totam ipsius Capituli Decimam Porte Pontis Civitatis vivi et mortui, pertinentem ad dictum Capitulum, pretio et foro centum et duodecim marcharum, et quadraginta denariorum Aquilegensium, et unius vasis vini terrani sex congiorum, solvendi in vindemiis proxime venturis Decano predicto. Tali pacto et conditione, quod dictus D. Vincentius, aut pro eo sui heredes, et cui commiserit, seu jus suum dederit, a quibuscum-

que personis debentibus ipsam Decimam solvere, eam valeat petere, exigere, recipere, et suam inde facere omnimodam voluntatem: et quod dicti Decanus et Capitulum, omnem personam debentem solvere hujusmodi Decimam, eam solvere recusantem spiritualiter compellere ad ejus solutionem faciendam teneantur, prout fieri consuevit; hoc salvo, quod de Decima Braydarum Carrarie, et Montiselli D. Patriarche, prefati Decanus et Capitulum bona fide, juxta suum posse, penes dictum D. Patriarcham, seu ejus Vicarium teneantur operam dare, quod eidem emptori et suis heredibus, seu cui jus suum dederit, dicta Decima persolvatur. Quod si efficere non possent, propter hoc eis prefatus emptor, aut sui heredis, seu cui jus suum dederit, nihilominus totum prescriptum pretium solvere teneantur. Et quod predictam Decimam prefati Decanus et Capitulum eidem emptori et suis heredibus, seu cui jus suum dederit ab omni homine et universitate manutenere, defendere, varentare et disbrigare jure legitimo teneantur. Quam totam prescriptam pecuniam, et vas vini, prefatus D. Vincentius debitor, cum obligatione omnium suorum bonorum etc. et omnium dampnorum prefato D. Decano stipulanti et securitatem recipienti pro se et dicto Capitulo, dare et solvere promisit et stetit, corporali ad S. Dei Evangelia prestito juramento, proportionaliter in tribus terminis infrascriptis: videlicet tertiam partem dicte pecunie in festo S. Martini proxime venturo, et dictum vas vini predicto D. Decano, in vindemiis proxime venturis: aliam tertiam partem in festo Nativitatis Domini proxime subsequenti, et residuum ipsius pecunie in festo Resurre-

ctionis Domini immediate proxime subsequenti, quolibet termino sub pena decem marcharum etc. De quibus suprascriptis omnibus et singulis et infrascriptis, parte dicti debitoris, pro ipso, et ejus heredibus, Nichulussius Archidiaconus Carnee, Mansionarius Ecclesie Civitatensis, Ognabenus murator, filius q.m magistri Girardini, Civitate morans, Matheus notarius, filius Bonetti Calcificis de burgo pontis Civitatis, et Coradutius filius Stephani q.m Irsnail de Civitate, fidejussores extiterunt, quilibet pro sua rata: promittentes etc. A. N. U. o.

N.° 267.

1321 16 *Maggio Cividale.*

Procura di Lodovico di Villalta onde ottenere dal Conte di Gorizia l' investitura di alcuni beni che avea avuto in feudo dai Signori di Butrio.

Antonio da Cividale Not.

Die xvi. intrante Mayo. In Civitate Austria, ante Ecclesiam S. Marie de Civitate. Presentibus dominis Vinerio presbitero de Muimacho, Dominico mansionario Civitatis, Johanne Becario de Civitate, Francisco Gramolye de Sofumbergo, et aliis.

Nobilis vir D. Lodoycus filius q.m D. Detalmi de Villalta fecit, constituit, et ordinavit D. Rantulphinum fratrem suum, licet absentem, et Hugonem q.m D. Quontii de Civitate presentem, et hoc mandatum suscipientem, suum certum Nuntium et procuratorem legitimum

ad comparendum coram magnifico et potenti D. Henrico illustri Goritie et Tirolis Comite, Civitatis et districtus Tarvisii pro majestate regia Vicario generali, et dicendum, quod cum de novo ad ejus audientiam pervenisset, quod D. Nicolaus q.m D. Henrici de Budrio pro se et fratribus suis vassallaticum quorumdam bonorum sitorum in Torsa, Sivilyano et Rivignano, quod quondam fuit D. Nicolai de Budrio, in manibus ipsius D. Comitis resignasset, petendum se, nomine dicti D. Ludoyci, investiri per ipsum D. Comitem de ipsis bonis, que ipse ad rectum et legale feudum habet a domo de Budrio; et ad prestandum omagium, et Sacramentum fidelitatis ipsi D. Comiti, quod vassallus suo domino facere consuevit, et debet: nec non in animam ipsius D. Lodoyci juramentum prestandum, et dandum dicta bona in scriptis, et generaliter omnia et singula faciendum in predictis, et circa predicta, que fuerint opportuna, et que ipsemet dicere, seu facere posset, si personaliter interveniret; promittens firmum habere etc. A. N. U. o.

N. 268.

1321 23 *Maggio Cividale.*

Compromesso per un aggiustamento tra Fulchero di Zucula e Leonardo Ribissi Gastaldo di Antro.

Antonio da Cividale Not.

Die nono exeunte Mayo. In Civitate Austria. In domo Communis. Presentibus Adalpreto de Campelyo, Johanne Fosco de Varmo, Nicolao notario de Civitate, et aliis.

D. Fulcherus de Zucula pro se et suis massariis de Rueda ex parte una, et Leonardus q.^{m} Ribissi Gastaldio Antri pro se et suis servitoribus ex altera, de omni lite et questione, que inter eos vertebatur occasione dampnorum, que dictus D. Fulcherus dicebat suis massariis esse illata per dictum Leonardum, et occasione injuriarum, que dictus Leonardus dicebat esse illatas sibi et suis per massarios dicti D. Fulcheri, in D. Guilielmum q.^{m} magistri Walteri de Civitate, tanquam in arbitrum etc. compromiserunt: promittentes firmum habere etc. quidquid per ipsum arbitrum fuerit diffinitum etc. sub pena ducentarum librarum Veronensium etc. A. N. U. o.

N.° 269.

1321 2 *Giugno Venzone.*
Il Capitano di Venzone mette in libertà i prigionieri di Gemona.

Stefano Romano Valconio Not.

Die secundo intrante Junio. Presentibus Raynuroto et Candido fratribus de Venzono, Jacobo Pizulo ejusdem loci, Parento puero D. Henrici Mauli Capitanei Venzoni, Leonardo q.^{m} Micosani de Glemona, et aliis.

Cum D. Henricus Maulus Capitaneus Venzoni detinuisset captivatos in Venzono Josephum Cirioli et Ottolinum Virtum de Glemona, et cum predictos captivatos dimisisset sub certo Sacramento, seu securitate infra certum tempus redeundi in carceribus ipsius Capitanei

postquam ipsi essent requisiti etc. tunc dictus D. Henricus, tenore hujus contractus, per se et suos successores Capitaneos in Venzono, dictos Josephum et Ottolinum ab omni promissione Sacramenti, seu securitatis eidem facte per ipsos Captivatos hucusque etc. dimisit et relaxavit liberos et absolutos in perpetuum, promittens rursus predictos non recipere, nec eos molestare, vel requirere sub pena dupli pactionis etc. cum obligatione omnium suorum bonorum.

Actum Venzoni, in loco quo moratur dictus Capitaneus. A. N. U. o.

N.° 270.

1321 *7 Giugno.*

Pascoli di Manzano e di Soleschiano.

Indice Belloni.

Manu Nicolai notarii Civitatensis. Sententia inter illos de Manzano et de Soleschano, quod homines et Commune de Manzano possint pascuare per campos et terras illorum de Soleschano, usque ad parvam ripam, que confinat usque ad caput rivi, juxta Natissam; et quod homines de Soleschano possint pascuare per tavellam ipsorum de Soleschano, et per pascuum et Salcetum Natisse, simul et communiter cum illis de Manzano. C. P. c.

N.° 271.

1321 12 *Giugno Cividale.*

La Gastaldia di Tolmino è per un anno dal Capitulo di Cividale affidata al Canonico Fulchero di Gorizia.

Giovanni da Cividale Not.

Die XII. intrante Junio. In Civitate, in majori Ecclesia Civitatensi. Presentibus venerabilibus viris D. Philippono Preposito, Jacobo Pellegrini, Fulcherino de Zucula, Johanne Custode, Bernardo et Wolrico de Civitate Canonicis Civitatis, et aliis.

Venerabilis vir D. Warnerus Decanus prefate Civitatensis Ecclesie, suo et Capituli ejusdem Civitatensis Ecclesie nomine, officium Castaldie ipsorum in partibus Tulmini pro anno proximo venturo, D. Fulchero de Goritia eorum Concanonico commisit, ac eum de eodem investivit, faciente ipso D. Fulchero securitatem prefatis Decano et Capitulo de bene solvendo census et jura ipsius Castaldie prefatis Decano et Capitulo, sicut alias fieri consuevit. A. N. U. o.

N.° 272.

1321 15 *Giugno Gemona.*

Aggiustamento dell' Arcivescovo di Salisburgo con Vergendo da Gemona.

Giovanni Biachino Not.

Anno Domini M. CCC. XXI. Indictione IV. die quinto decimo intrante Junio. Presentibus D. Guilielmino q.^m D.

Andalotti Vicecapitaneo Glemone, D. Indriuccio de Villacho, Mathiussio q.^{m} D. Nicolai de Altaneto, D. Francisco notario Reverendi patris et D.D. Pagaui Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, Artuico q.^{m} Petri Mirisini, Florito dicto Abbate de Glemona, Johanne filio q.^{m} Vendramini de Coneglano, et aliis.

Cum quedam sententia foret lata per Reverendum Patrem et D. D. Paganum Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcham inter venerabilem virum D. Federicum Archiepiscopum Salispurgensem ex una parte, et Wargendum q.^{m} Barufaldini de Glemona, et heredes q.^{m} Simutti ejus fratris ex altera, occasione et causa cujusdam rappresalie et pignoris date per Reverendum Patrem et D. D. Raymundum Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcham olim eisdem Wargendo et Simutto fratribus adversus dictum D. Federicum Archiepiscopum Salispurgensem, et mercatores, et homines ipsius Archiepiscopatus: qui dictus D. Paganus Patriarcha talem sententiam dedit inter ipsas partes. Quod dictus D. Fridericus Archiepiscopus, vel ejus Successores dare et solvere teneantur eisdem Wargendo et heredibus q.^{m} dicti Simutti sexcentas et viginti libras Veronensium parvorum in certo termino, ut ibidem asserebant: et cum dictus Simuttus quondam tempore suo et sue conducte cepisset mercatores, et homines in personis, et bona eorum prefati Archiepiscopatus pro causa et questione predicta, ut dicebant. Pro quibus omnibus supradictis discretus vir D. Paganinus Plebanus de Matheren, Archiepiscopi Procurator et procuratorio nomine ipsius D. Archiepiscopi, ut dicebat, pro se, et dicto D. Archiepiscopo, et mercatoribus, et homi-

nibus dicti Archiepiscopatus, de omnibus rapresaleis, robariis, et tolletis per ipsum Simuttum, vel alios homines loco sui, contentus et confessus, et manifestns fuit se integre habuisse et recepisse a Wargendo, et ab Artico herede dicti Simutti olim, prefatas rapresalias, robarias et tolletas, usque ad diem presentem, et quocumque alio modo reperiretur, tam cum cartis, quam sine cartis, faciens dictus D. Paganinus pro se, et pro dicto D. Archiepiscopo, et mercatoribus, et hominibus predicti loci, dominis Wargendo et Artico heredi dicti Simutti, finem et remissionem perpetuam de amplius non petendo aliqua de predictis, cum refectione omnium dampnorum et expensarum, credendo eorum largo verbo, sub pena duplicis petitionis etc. pena qua soluta, vel non, tamen omnia predicta attendere et observare teneatur, cum obligatione etc. et si qua carta, vel dicta testimonialia reperiret etc.

Actum Glemone, in domo Antonii q.m Justini.
A. N. U. o.

N.º 273.

1321 18 *Giugno Cividale.*
Degradazione di Siurido Canonico.

Antonio da Cividale Not.

Nos Mannus Prepositus Ecclesie S. Petri de Carnea Aquilegensis Diocesis advertentes, et, deliberatione diligenti perhabita, considerantes presbiterum Siuridum

de Tumetio, olim dicte Ecclesie Canonicum, in suspensione, excommunicatione et perjurio per biennium et ultra pertinaciter permansisse, prout de predictis et de eorum quolibet constat publicis documentis, ita quod possit aliqua tergiversatione celari, nolentes quod de ipsius pertinacia valeat gloriari, nec volentes predicta conniventibus oculis pertransire; imo volentes quod ipsius pena innotescat presumptoribus in exemplum ipsorum, per nostras literas legitime citato, et non comparente, imo contumaciter recedente, et ipsius absentiam divina replente presentia; Christi nomine invocato, eumdem Siuridum, jure ad nos devoluto, Canonicatu et prebenda, quas in dicta Ecclesia S. Petri noscebatur habere cum capellis de Plano, et cum omnibus earum dependentiis, in hiis scriptis, juxta Canonicas Sanctiones, nec non Reformationem factam per Reverendum in Christo patrem et D.D. Paganum Dei et Apostolice Sedis gratia nunc Aquilegensis Ecclesie Patriarcham, tunc vero Ecclesie predicte Conservatorem a Sede Apostolica deputatum, et juxta Statuta Ecclesie S. Petri predicte juramento firmata; nec non Constitutiones pie memorie D. Fratris Latini, olim Apostolice Sedis legati, sententialiter privamus, seu privatum denuntiamus de consilio et consensu dilectorum filiorum Odorlici Plebani de Piscincana Concordiensis Diocesis, Symonis de Placentia, Petri de S. Maria la Longa, Guidonis Archidiaconi Concordiensis, Presbiteri Jacobi de Plano, et Guilielmini Prepositi Concordiensis, Canonicorum ejusdem Ecclesie S. Petri huic privationi presentium, consentientium, et libere approbantium supradicta.

Item eisdem die, loco, et testibus. Supradictus D. Mannus Prepositus Ecclesie S. Petri de Carnea supradictos Canonicatum et prebendam dicte Ecclesie S. Petri cum appendentiis suis, et medietate Capellarum de Plano vacantes per privationem prefati presbiteri Siuridi, contulit Johanni Clerico filio D. Philippi q.^m D. Quontii de Civitate, recepto in Canonicum Ecclesie supradicte, et ipsum de illis cum quodam suo Capputio investivit, recipiens ab eo pacis osculum, et juramentum de conservandis Statutis et honoribus dicte Ecclesie, et dans ei dictum D. Guilelminum in nuntium, et pro nuntio, qui eum in tenutam et possessionem dictorum Canonicatus et prebende ponat pariter, et inducat.
A. N. U. o.

N.° 274.

1321 2 *Luglio Cividale.*

Contesa per l' abitanza in Tolmino.

Antonio da Cividale Not.

Die secundo Julii. In Civitate Austria, in sala palatii Patriarchalis. Presentibus venerabili viro D. Guilielmo Decano Aquilegensi, Paulo q.m D. Boyani, Pellegrino q.m Jacobi notario de Civitate, et aliis.

Venerabilis vir D. Johannes Abbas Monasterii Rosacensis commisit mihi Antonio Notario, ut examinem, et scribam dicta infrascriptorum Testium, quos Fran-

ciscuttus q.^{m} Jarize de Tulmino producere intendit ad probandum, quod medietas habitantie de Tulmino, quam nunc tenet Arpucius ejus patruus de Tulmino, ad eum pertinebat ex parte patris sui. Quare infrascriptus ibidem produxit Walframum de Zucula, et Possinum sartorem de Civitate, qui corporali ad sancta Dei Evangelia prestito jaramento, dixerunt divisi per se, prout inferius continetur. Videlicet Walframus de Zucula super predictis, suo Sacramento dixit, quod tempore quo ipse stabat in Tulmino pro D. Johanne de Zucula, ipse stabat, et habitabat in quadam domo in Çuria de Tulmino, que, prout Arpucius et alii dicebant, erat de habitantia q.^{m} Jarize de Tulmino, et sub illa domo erat quedam alia domus de habitantia pertinens ad Arpucium supradictum.

Item Possinus sartor de Civitate super predictis suo Sacramento dixit; quod tempore D. Patriarche Raymundi, in quo D. Comes Goritie, seu ille de Reifemberch cepit castrum Tulmini, Jariza de Tulmino dicens quod volebat stare cum D. Comite de Goritia, dixit Arputio fratri suo, quod volebat ei dimittere suam partem habitantie de Tulmino, ita quod ipse Arpucius eam sibi restitueret quandocumque tandem vellet. Qui Arpucius ei dixit, et contentus stetit, quod quandocumque dictus Jariza vellet, restituet et dimittet ei dictam partem habitantie supradicte.

N.° 275.

1321 *Agosto.*

Soldati Friulani al servizio de' Fiorentini.

Gio. Villani Cronaca lib. IX. Cap. CXXVII.

Nel detto anno M. CCC. XXI. i Fiorentini mandarono in Frioli per Cavalieri a Soldo, e vennero a Firenze nel mese di Agosto CLX. Cavalieri a elmo con altrettanti balestrieri a Cavallo tra Friolani e Tedeschi, molto buona gente d' arme, ond' era Capitano Jacobo di Fontana bona, e grande Castellano del Frioli; e fecciono guerra assai a Castruccio: almeno di poi che li sentì in Firenze, non s' ardì passare la Gusciana, come spesso era usato di fare.

N. 276.

1321

Imprese guerresche del Patriarca Pagano in Lombardia.

Corio. Storia di Milano.

Il Pontefice replicò le sue lettere a' suoi amici, che al suo Legato contro Matteo prestassero ogni ajuto; onde Bresciani mandarono 200. soldati, e Bolognesi con Cremona 100. Mandò àncora per Pagano Turriano Patriarca d' Aquileja, che con ogni sua possanza volêsse

andare verso Crema, e quivi cominciare a molestare le Terre del suo nemico. Venne adunque di subito Pagano con 100 uomini d' arme a Crema, e quanto potea diversi danni inferiva a' circostanti paesi, massimamente sopra il Lodigiano verso Comazo ... Per la qual cosa Galeazzo signor di Piacenza deliberò imitare i vestigj del padre verso la parte contraria. Adunque Vergusto di Lando e Ponzono de' Ponzoni fece capitani del suo esercito, e non quegli in persona se n' andò all' assedio di Crema con l' ajuto del padre. E quantunque paresse in alcune cose fosse tra loro discordia, niente di meno con quante forze potevano si convenivano sempre alla distruzion de' suoi contrarj ... Intorno al Castel di Crema fu il tutto guastato, ma niente, o poco danno potè fare alla Terra per essergli dentro il Patriarca con molti Turriani ed uomini d' arme di Brescia e di Cremona, che in tutto furono 700. Questi di continuo uscivano alla battaglia, onde molti da ogni banda restavano morti o prigioni. Mentre Galeazzo vi dimorava, gli Oppidani coi forestieri uscendo, bruciavano Spini, e molti altri luoghi, non potendogli la parte contraria ripugnare ... In questi giorni i soldati Cremaschi con quei del Patriarca su quello di Soncino acquistarono grandissima preda e prigioni; e così or quà, ed or là trascorrendo, s' incapparono nelle genti di Galeazzo, con le quali non potendo schifare la pugna, dall' una e l' altra parte con grand' animo s' azzuffarono, ma Cremaschi finalmente si voltarono in fuga. Quì fu preso gran numero di soldati, ed uomini primati, tra i quali fu Missino della Chiesa, Armaincollo Turriano, ed un altro

Contestabile Forlano, i quali tutti a Piacenza furono incarcerati.

Di là del Po era il Patriarca d' Aquileja con quelli de la Torre, e coi Bresciani, e teneano Cremona e Crema, e guerreggiavano il Capitano di Melano. Villani Cronaca Cap. cxxvi.

De mense Julii, illi de la Turre intraverunt Cremam, quam obtinuerunt. Et D. Simon de la Turre factus est Vicarius Brixie per Regem Robertum. Cronicon Regiense. Scriptor. R. J. T. xviii.

N. 277.

1321 3 *Agosto Cividale.*
De non faciendis injurias Judeis.

Statuto di Cividale giusta il Codice Belgrado.

Die tertio intrante Augusto. In Civitate Austria, in domo Communis. Ordinatum fuit per Gastaldionem, et Consilium, et firmatum, quod Judei, qui morantur in Civitate cum loco et foco, tractentur, et sint in protectione Communis, et de eis fiat justitia tanquam debet fieri vicinis, si eis in personis, vel rebus injuria, vel violentia fieret aut gravamen in Civitate, vel districtu. Si vero extra Terram gravarentur, Communis eos adjuvet bona fide. Et hoc pro eo quod annuatim circa Festum S. Georgii dare debent Camere Communis quinque, vel tres marchas denariorum Aquilegensis monete. o.

N. 278.

1321 24 *Agosto Udine.*
Confraternita de' Boni uomini del Borgo di Grazzano

Da un libro della Fraterna di S. Giorgio.

In Christi nomine amen. Sub anno Domini M.CCC. XXI. Indictione IV. die octavo exeunte Augusto. Incepta fuit Fradalia Proborum virorum laboratorum Terre de Grezano ad honorem Dei, et gloriosissime Virginis Marie Matris ejus, et Beatorum Martirum Georgii et Christophori, et ad honorem S. Ecclesie Aquilegensis, et bonum statum Terre Utini. Infrascripta Ordinamenta sunt constituta et ordinata per fratres dicte Fraternitatis, ut infra per ordinem describuntur.

Primo quidem ordinaverunt et statuerunt, quod prima die Dominica cujuslibet mensis omnes Fratres dicte Fraternitatis debeant convenire in Ecclesia S. Georgii, et facere celebrare unam Missam, et quod unusquisque teneatur offerire, et oblationem facere in dicta Missa, juxta posse suum. Et si aliquis interesse non posset, quod teneatur et debeat mittere oblationem suam per uxorem, vel per alium ydoneum et bonum nuntium; et qui contrafecerit, solvat unum Grossum, nisi ostendit justam causam.

Item ordinaverunt, et statuerunt quod quatuor cerei magni accendantur in dicta Missa. Similiter quod in dicta Missa detur unicuique Fratrum unum cereum parvum.

Item ordinaverunt et statuerunt, quod si aliquis Fratrum de predicta Fradalia moriatur, quod omnes Fratres debeant convenire ad domum dicti defuncti, et associare dictum defunctum quousque ad Ecclesiam, et stare ibi cum ipso quousque depositus in terra, et quod unusquisque teneatur et debeat ei dicere pro anima sua L. Pater noster, et L. Ave Maria. Et qui contrafecerit, solvat unum Grossum venetum.

Item pro uxore fratris facere teneantur et debeant per totum, ut supra, pro Fratre proprio.

Item statuerunt, quod quandocumque aliquis Fratrum moriatur, quod apportentur ad domum defuncti omnes quatuor cerei magni, et ibi accendantur, et portentur ante corpus defuncti quousque ad Ecclesiam, ponendo dictos cereos circa corpus, et permittendo eos quousque depositus fuerit in terra.

Item ordinaverunt, quod in obsequio cujuslibet Fratris unicuique detur unus cereus parvus in manu; et in obsequio uxoris cujuslibet Fratris, ut supra, per totum perficiatur.

Item statuerunt, quod si aliquis de familia dictorum Fratrum moriatur, simili modo portentur duo cerei, et unusquisque dicere teneatur pro anima sua xxv. Pater noster, et xxv. Ave Maria.

Item ordinaverunt et statuerunt, quod si aliquis Fratrum dicte Fraternitatis pervenerit ad tantam paupertatem, quod non posset se substentare cum suo, quod Fradalia teneatur et debeat sibi subvenire cum bonis dicte Fradalie, scilicet Camerarii de Consilio totius Fradalie, aut de Consilio Rectorum dicte Fradalie.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si aliquis de Fraternitate moriatur extra Utinum, videlicet infra Isontium et Tulmentum, et infra Glemonam et Aquilegiam, et ipse non haberet unde posset conduci in Utinum cum suo, quod dicta Fraternitas teneatur et debeat ipsum conducere in Utinum omnibus suis expensis.

Item ordinaverunt, quod quilibet Frater teneatur et debeat vigilare Fratrem infirmum, secundum quod sibi ordinabitur per Camerarios et Rectores, et qui contrafecerit, solvat unum grossum.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod omnes volentes intrare dictam Fraternitatem recipiantur, dummodo sint bone fame, de voluntate Camerariorum cum consilio Rectorum.

Item ordinaverunt, quod si aliqui de dicta Fraternitate haberent rixam, aut discordiam inter se, quod Camerarii cum Rectoribus debeant dare opus ad concordandum eos, eorum posse, et si illi qui fecerint rixam, aut habuerint discordiam, vel aliquis eorum spreverit mandatum Camerariorum et Rectorum, et illi noluerint obedire, immediate ejiciantur et deponantur a Fraternitate.

Item statuerunt, quod si aliqua mulier de dicta Fraternitate faceret aliquam maliciam de persona sua, et post hoc ter monita, a Rectoribus Fraternitatis quod cesset a dicta malicia, et ipsa spreverit eorum preceptis velle obedire, immediate deponatur a Fraternitate.

Item ordinaverunt, quod si contingeret aliquem de dicta Fraternitate publice stare et permanere in adulterio, quod Rectores cum Camerariis teneantur et debeant

ipsum monere ter, et si ter monitus non cessabit a peccato, statim deponatur a Fraternitate.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quandocumque dicta Fraternitas fecerit celebrare tam Missam conventualem dicte Fraternitatis, quam aliam, quod quilibet de Fraternitate teneatur et debeat dicere decem Pater noster, et decem Ave Maria.

Summa Indulgentiarum sunt, Quadragene XIII. que invente sunt pro Fratribus Fraternitatis. C. P. c.

N. 279.

1321 *7 Settembre.*

Questione pei Pascoli tra il Comune di Luinacco, e di Pagnacco.

Stefano da Cividale Not.

Sub M. CCC. XXI. Indictione IV. die septimo intrante Septembri. Infrascripti sunt Testes producti per Commune, sive homines de Luinacho super eo quod scire debeant, quod ipsi una cum hominibus de Pagnacho sine contradictione alicujus persone pasculaverunt ab antiquo, et consueverunt pasculare cum eorum animalibus et bestiis ultra Cormorium, versus Pagnachum usque ad viam, que est juxta Castenarias q.m Jacobi hominis D. Vitmari de Faganea, et usque ad Baiarcios de Pozo et Pazano, jurati ad sancta Dei Evangelia, remotis hodio, timore, amore, prece, et pretio dicere veritatem super

predictis, coram me Stephano notario Civitatensi, cui commissum est per venerabilem virum D. Fratrem Johannem Abbatem Rosacensem Vicarium D. Pagani Patriarche Aquilegensis, et Guilelmum q.^m Magistri Walterii de Civitate arbitros inter ipsos Commune de Luinacho, et Commune de Pagnacho dicta questione pascuum predicta vertente, juribus quibuscumque seorsim et separatim diligenter examinatis super ipso articulo sibi proposito.

In primis Stephanus q.^m Thomatis de Ceresano juratus super predictis dixit, se recordari et scire, quod Commune de Luynacho pasculaverunt, et consueverunt pasculare in dicto pascuo a sexaginta annis citra, sine, contraditione alicujus persone. Sed questio incepit modo sunt anni VIII. sine dampno bladorum et herbe baptute, et divisum est pasculum, ut continetur in articulo. Interrogatus si tangeret eum, dixit quod non, et dixit quod alias coram officialibus fuerunt examinate probe, prout sunt scripte per Odoricum notarium de Utino, et sciebat pro firmo, et sua scientia, quod fit maxima injuria, et contra justitiam contra Commune de Luinacho.

Morettus q.^m Odorlici, de Tavagnacho juratus dixit se recordari et scrire a XV. annis citra, quod dictum Commune de Luinacho consueverunt pasculare in dicto pascuo pacifice et quiete, sine contradictione alicujus persone, excepto quod modo duo anni sunt, quod questio incepit; et Commune de Pagnacho impignoraverunt dictum Commune de Luinacho pascens, et reddiderunt libere, et distincte sine securitate aliqua pignora; et sciebat quod fuit presens, quod promiserunt restituere pi-

gnora, et aportaverunt pignora in Luinachum, et reddiderunt libere.

Mathias q.m Artuichi de pallude juratus dixit, se recordari et scire a xxxiv annis citra, quod Commune de Luinacho obtinuit pascuum predictum contra Commune de Pagnacho, coram D. Guilelmino, tunc Gastaldione Tricesimi, et tunc postquam fuit obtentum, numquam questio fuit, se sciente, usque nunc, et plus etiam ultra ipsum pascuum, ubi aratur, solvitur quartesium.

D. Wargendus de Atyns juratus dixit suo Sacramento super predictis, quod tempore Werre de Budrio fuit Castaldio Tricesimi pro D. q.m Ottobono Patriarcha, et Bulgarinus Gastaldio de Faganea fuerunt supra dictum pascuum de mandato dicti D. Patriarche ad diffiniendum, ita quod illi de Pagnacho dicebant, quod non debebant pascere, et illi de Luinacho dicebant, quod debebant, ita quod ab illo tempore pasculaverunt et consueverunt pasculare communiter in simul in dicto pascuo, et pluribus vicibus vidit illos de Luinacho pascere usque modo, quod questio incepit, et quod plus etiam scit pro certo, quod solvunt illi de Luinacho quartesium plebi de Tricesimo, et cum Cruce Tricesimi vadunt illi de Luinacho, et numquam scit quod usque modo fuerit questio, et usque ad ripas Castillerii plebes de Tricesimo habet quartesium. A. N. U. o.

62

N. 280.

1321 *7 Settembre Cividale.*
Il Podestà di Aquileja è pronto a giustificarsi di un abuso di potere che veniagli apposto.

Antonio da Cividale Not.

Die septimo intrante Septembri. In Civitate Austria, in domo Communis. Presentibus Henrico q.m D. Vuarette, Micho, Stephano et Nicolao notario, et aliis.

D. Gorgius Potestas Aquilegie fecit in manibus D. Wilielmi Vicegastaldionis Civitatis securitatem parendi juri ad voluntatem Consilii, secundum consuetudinem Terre Civitatis, de eo quod dicitur ipsum revelasse, et fecisse injuriam Leonardo Preconi de Utino, et Zampulino de Senis commoranti Utini, qui faciebant accipere, seu intromittere duos Roncinos. Et D. Philippus de Portis, et Johannes Rubeus de Florentia fidejussores extiterunt.
A. N. U. o.

N. 281.

1321 16 *Ottobre Cividale.*
Misure prese dal Comune di Cividale contro degli Usurai.

Antonio da Cividale Not.

Die xvi. intrante Octubri. In Civitate Austria, super domo Communis. Presentibus D. D. Bernardo Ca-

nonico, Jacobo Decano Civitatis, Hermanno q.m D. Odorlici de Budrio, et aliis.

D. Rugerius de Madiis Castaldio Civitatis, et Consilium Civitatense ad sonum campane more solito congregati, et dictum Commune fecerunt, et constituerunt Dominos Guiliemum nepotem Magistri Walteri de Civitate, et Pellegrinum q.m Jacobi notarium de Civitate presentes, et Johannem q.m Magistri Juliani de Civitate, licet absentem, et quemlibet eorum in solidum suos, et dicti Communis nuntios, Syndicos, et procuratores legitimos ad petendum, exigendum, et recipiendum tam ab heredibus q.m Bartholomei Senensis, et ab heredibus q.m Rodulphi de la Barba, quam ab heredibus q.m Conraducii Pegule, et ab aliis omnibus qui accepissent usuras a Commune Civitatis, seu ab ejus Camerariis omnem pecunie quantitatem, quam a dicto Communi etc. recepissent etc. Et ad conveniendum eos, et eorum quemlibet pro dictis usuris coram Reverendo patre D. Pagano Patriarcha, aut ejus Vicario, aut coram Archidiacono Civitatis etc. ad agendum etc. promittentes firmum habere etc. perdendo et lucrando etc. et cum omni melioramento. A. N. U. o.

N. 282.

1321 26 *Ottobre Udine.*

I mercanti di Stayn spogliati da Grampolino Beccajo.

Antonio da Cividale Not.

Die sexto exeunte Octubri, Utini, in palatio Patriarchali. Presentibus Federico de Soldoneriis de Flo-

rentia, Utini commorante, magistro Francisco filio Bicutii de Utino, Johanne q.m Magistri Juliani, et Stephano notario de Civitate, et aliis.

Matheus notarius de Burgo pontis Civitatis pro se, et sociis suis coram venerabili viro D. Fratre Johanne Abbate Monasterii Rosacensis, Reverendi patris D. Pagani S. Sedis Aquilegensis Patriarche Vicario generali comparens, denuntiavit, et protestatus fuit, quod Muta Civitatis, quam ab eo emerat, ad presens non habebat debitum cursum, propter derubationes factas per Grampulinum Becarium de Civitate, qui Mercatoribus de Stayn accepit certam pecunie quantitatem, petens, ut dictus D. Vicarius super hoc provideret, ita quod non recipiat in dampnum. A. N. U. o.

N. 283.

1321 29 *Ottobre Cividale.*
Tregua fra Bartolo de la Barba e Merlino da Siena.

Stefano da Cividale Not.

Die tertio exeunte Octubri. Bartholus q.m Rodulphi de la Barba de Florentia, Civitate commorans, pro se suisque amicis, quos posset mittere et adunare, quos habet, aut habiturus est in Forojulii, laudavit Trevuas in manibus D. Rugerii Gastaldionis Civitatis, accipientis nomine et vice Merlini de Senis pro suis amicis et ipso Merlino, occasione mortis q.m Petri consanguinei ipsius Bartholi, excepto Francischino de Velo, hinc ad octo dies

post festum S. Georgii proxime futurum, sub pena manus et quinquaginta librarum, ut moris est Treguarum.

Actum in Civitate Austria, in domo Communis. Presentibus D. Fulchero de Savorgnano, Philippo de Portis, Pellegrino q.m Jacobi notarii de Civitate, Zanulo de Civitate, et Matteo filio Pellegrini testibus, et aliis. A. N. U. o.

N. 284.

1321 30 *Ottobre Cividale.*

Grampulino beccajo promette di restituire i denari tolti ai mercanti di Stayn, e il Gastaldo di Cividale s' obliga in contracambio di fargli avere le patenti di poter esercitare le rappresaglie sopra altre strade fuori di quella di Tolmino.

Antonio da Cividale Not.

Die penultimo Octubris. In Civitate Austria, in domo Communis. Presentibus D. Fulchero de Savorgnano, Paulo q.m D. Boyani, Guilielmo q.m Magistri Walteri de Civitate, et aliis.

Stephanus notarius de Civitate, nomine Grampulini et Minii beccarii de Civitate, fecit securitatem in manibus D. Rugerii de Madiis Gastaldionis Civitatis, faciendi quod ipsi restituerent pecuniam per eos acceptam Hermanno mercatori de Stayn, usque ad diem mercurii proximi. Pro quo Philippus de Portis extitit fidejussor: et dictus Gastaldio affidavit eos, promittens facere quod

Commune Civitatis eis dabit suas patentes litteras quod in aliis stratis, preter quam in strata Canalis a Tulmino, valeant ad satisfactionem dampnorum pervenire: et in hoc eis dabit consilium, auxilium, et favorem.
A. N. U. o.

N. 285.

1321 5 *Novembre Cividale.*
Risarcimenti ottenuti da Ermanno di Stayn per rapine fattegli da Grampulino e compagni da Cividale.

Stefano da Cividale Not.

Die quinto intrante Novembri. Hermannus Leuniza de Stayn mercator, Blasuttus et Paulus beccarius de Stayn, procuratores ipsius Hermanni, ut dicitur, omnes tres principaliter et in solidum vocaverunt, et fuerunt confessi et contenti habuisse, et recepisse quadraginta unam marcham solidorum, et sexaginta solidos, quas acceperunt a Grampulino beccario de Civitate et Dominico q.m Stanici beccariis de Civitate, et fecerunt eis finem, et remissionem, pactum, et quietationem perpetuam de Marchis, prout fuerunt confessi et contenti, et plura non fore sibi accepta, ac de dampnis, expensis, et interesse in perpetuum: promittentes omnes tres pro se ipsis, et eorum heredibus, fide prestita manuali, nomine Sacramenti dictis Grampulino et Dominico, recipientibus pro se ipsis et eorum heredibus, dictam finem, et remissio-

nem perpetuo firmam, et ratam habere et tenere, ac dare operam efficacem quod D. Nicolaus Lantesella de Stayn nunquam propter predicta aliquam faciet novitatem contra ipsos Grampulinum et Dominicum, seu homines de Civitate, et nunquam faciet rappresalia, neque tolletas nomine tollete predicte, neque Commune de Stayn hinc ad xv. dies proxime futuros, sub pena dupli de quo questio moveretur etc. sub obligatione etc.

Actum in Civitate Austria, in domo Communis. Presentibus D. Paulo q.m D. Boyani, Philippo de Portis, Guilielmo q.m Magistri Walteri, Adalpreto de Campelyo, Peregrino q.m Jacobi notario, Gerardo de Coneglano, Magistro Antonio notario Civitatensi, Johanne Rubeo de Florentia, et Adundricho q.m Arnoldi testibus, et aliis. A. N. U. o.

N. 286.

1321 6 *Novembre Cividale.*
Vendita di quattro donne.

Antonio da Cividale Not.

Die sexto intrante Novembri. In Civitate Austria. In mercato: ante stationem Zampulini de Senis. Presentibus Galangano q.m Odorlici Surdi, Wecellono et Quontio fratribus de Civitate, Zampulino de Senis, Jacossio de Fagedis, e aliis.

D. Johannes q.m D. Thomasii de Cucanea per se, suosque heredes promisit et stetit Girardo q.m D. Ar-

trusini de Coneglano pro se, et D. Sophia et filia dicti Johannis stipulantis, dare quatuor feminas de masnata convenientes, et in etate legitima constitutas, a festo S. Martini proximi ad unum annum proximum etc. sub pena quingentarum librarum Veronensium etc. A. N. U. o.

N. 287.

1321 10 *Novembre.*

Compromesso per un aggiustamento tra l' Arcivescovo di Salisburgo e Jacobo Zan di Fontana bona.

Indice Belloni.

Compromissum inter D. Fridericum Archiepiscopum Salzpurgensem, et Commune, et homines Salzpurgi, et subditos Ecclesie Salzpurgensis, et Jacobum Zannum de Fonte bono natum q.m D. Francisci, ministerialem et subditum Ecclesie Aquilegensis, super certis rappresaleis concessis dicto D. Jacobo contra subditos Ecclesie Salzpurgi. Manu Gabrielis Cancellarii Patriarche Pagani. C. P. c.

N. 288.

1321 10 *Novembre Gemona.*

Federico di Pramperch rinnova l' investitura di alcuni beni da lui dati in Feudo a Cauto da Udine.

Stefano Romano Valconio Not.

Anno M. CCC. XXI. die X. intrante Novembri. Presentibus D. Guilielmino Brugni Vicecapitaneo Glemone,

Andrea dicto Savio, Henrico Oleo, Bertaldino q.^{m} Bertuldi de Glemona, et aliis.

Ad presentiam D. Federici de Pramperch pervenit Cautus de Utino dicens, quod Franciscus q.^{m} D. Tomasini de Utino certa bona habeat de Feudo a domo ipsius D. Federici, quare dictus Cautus tutor, et tutorio nomine heredum q.^{m} dicti Francisci, tempore hujus Contractus, ut ibi se asserebat, petiit et rogavit dictum D. Federicum, ut sibi tanquam tutori dictorum heredum, dicta bona, que a domo ipsius habebant in feudo, investire et confirmare deberet. Ad que vero dictus D. Federicus respondit dicens, quod bona que dictus D. Franciscus ab ipso, seu a domo ipsius habebat in feudo, eidem deciderant ex eo quod ipse Franciscus non requisiverat dictum feudum tempore debito, et hoc, dixit, quod sententialiter obtinuerat coram suis vassallis etc. Sed tamen eidem Cauto, nomine quo supra, dictum feudum investivit, salvo suo jure.

Actum Glemone, in foro sub lozia Communis.
A. N. U. o.

N. 289.

1321 13 *Novembre Cividale.*
Vendita di un libro di Medicina.

Stefano Guglielmini Not.

Die XIII. Intrante Novembri. Publica via Civitatis, prope domum Cozhetti Stationarii de Civitate. Presentibus dominis presbitero Vincentio Sacrista Concordiensi,

et presbitero Odorlico Mansionario Ecclesie Civitatensis, et aliis.

Pellegrinus q.m Jacobi notarii de Civitate precio et foro duarum marcharum denariorum Aquilegensis monete, quod totum confessus et contentus fuit habuisse, et recepisse a Magistro Gerardo phisico Canonico Civitatensi, renuntians exceptioni etc. dedit, vendidit, et tradidit eidem Magistro Gerardo unum Almansorem, librum artis Physice, qui fuit q.m Magistri Laurentii fratris sui, et si plus valeret dicto pretio, illud plus donavit sibi donationis nomine etc. ad habendum etc. juxta plenam formam talium venditionum. R. o.

N. 390.

1321 22 *Novembre Gemona.*
Dazio del vino in Gemona.

Stefano Romano Valconio Not.

Die nono exeunte Novembri. Presentibus D. Gualtero de Nonta, Josepho Cirioli, D. Spinello, D. Lappo Amidei, Henrico Oleo, Antonio Bava, Rugerio Justo, et aliis.

Cum Andreas dictus Savius de Glemona emisset Datium vini Glemone ad incantum pro pretio centum et undecim marcharum cum dimidio denariorum Aquilegensium, et decem denariorum, solvendo pro rata in capite mensis, ut dicebatur contineri in instrumento manu Francisci Sibelli notarii de Glemona confecto, Mathiussius dictus Fres-

soria de Glemona et Dominicus Nigri dicti loci pro parte dictarum centum et undecim marcharum cum dimidio, et decem denariorum, tanquam fidejussores, et principales pro se etc. dare, et solvere promiserunt Petro de Altancto Massario Communis Glemone recipienti vice et nomine dicti Communis etc. sexaginta unam marcham denariorum Aquilegensium et decem denarios in capite cujuslibet mensis, hinc ad unum annum, ut ipse Savius pro dicto Datio solvere tenebatur, et Franciscus Sibelli notarius de Glemona dare etc. promisit dicto Petro etc. nomine quo supra, pro dicta causa quinquaginta marchas denariorum Aquilegensium, solvendo, ut dictum est, in capite mensis etc. cum obligatione omnium suorum bonorum etc. qui pro dicto Communi se constituit possidere.

Eodem die, presentibus testibus supradictis. Cum Andreas Savius de Glemona emisset Datium vini Communis Glemone ad incantum ad unum annum etc. ut dicebatur contineri in publico Instrumento manu Francisci Sibelli notarii de Glemona, dictus Andreas Savius pretio et foro centum marcharum denariorum Aquilegensium deffinito, soluto etc. cum voluntate D. Guilielmi Vicecapitanei Glemone petiit massariis et hominibus Consilii majoris dicti loci congregati etc. dictum Datium, et omne jus etc. dedit, tradidit, et renuntiavit etc. Mathiussio dicto Fressoria et Francisco Sibelli notario de Glemona etc. Ita quod exigere valeant etc. usque ad dictum terminum, et absque contradictione dicti Andree Savii etc. sub pacto, et conditione adjecta; quod si de dicto Datio provideret quod ad dictas centum marchas ipsi Mathiussius et Franciscus non possent pervenire, quod quidquid deficeret, dictus An-

dreas de residuo pro tertia parte predictis Mathiussio et Francisco etc. solvere, et satisfacere teneatur, sub obligatione omnium bonorum etc. Si vero haberent ultra etc. dictas centum marchas, quod dictum lucrum tertie partis dare etc. teneantur dicto Andree Savio, sub obligatione etc.

Actum Glemone, in foro sub Loza Communis.

A. N. U. o.

N. 291.

1321 26 *Novembre Cividale.*

Procura di Antonio da Cividale onde ottener risarcimenti da Lazzaro di Premariacco.

Stefano da Cividale Not.

Die quinto exeunte Novembri. Magister Antonius de Civitate fecit, constituit, et ordinavit suum procuratorem Henricum notarium q.m Venture de Civitate presentem etc. in omni causa quam movet, aut movere intendit Lazzaro q.m Nicolai de Premariacho, seu occasione unius tollete per eum facte de quatuor armentis, et xxx. capitibus bestiarum cuidam Massario dicti Antonii, aut alterius occasione quacumque, coram D. Fratre Johanne Abbate Rosacensi Vicario D. Pagani Patriarche Aquilegensis, aut alio quocumque judice etc. ad agendum, defendendum, etc. promittens etc. sub obligatione etc.

Actum in Civitate Austria, in domo Communis. Presentibus D. Paulo q.m D. Boyani de Civitate, D. Rugerio

de Mediolano Gastaldione Civitatis testibus, et aliis. A. N. U. o.

N.° 292.

1321 12 *Dicembre Gemona.*
Risarcimenti pretesi da Nicolò di Ragonia dal Comune di Pordenone.

Stefano Romano Valconio Not.

Die XII. intrante Decembri. Presentibus D. Spinello, Henrico Oleo, Federico et Valentino fratribus filiis Valteri, Landulo et Lando Preconibus Glemone, et aliis.

Coram discreto viro D. Guilielmino Brugno sedente in judicio, vice Capitaneo Glemone, Josephus Cirioli q.m D. Zuti de Glemona testis juratus productus ad instantiam etc. D. Nicolai de Ragonea, super rebus inferius adnotatis. Qui Josephus interrogatus etc. dixit, quod scit quod D. Vuorlicus q.m de Ragonea habebat multos livellos in Portunaonis et territorio, pro quibus etiam solvebant, ita quod Commune et homines dicti Portusnaonis fecerunt quemdam fossatum circa Terram, apud viam que procedit adversus Sacilum, in quo fossato posuerunt et devastaverunt quamdam terram pro qua solvebant dicto D. Vuorlico duodecim denarios Aquilegenses jure livelli annuatim: ita quod dictus Josephus, qui tunc temporis erat Gastaldio et factor dicti D. Vuorlici q.m pro dicta causa ivit coram Capitaneo, Rectoribus, et Consiliariis dicti Portusnaonis, ut dicto D. Vuorlico ipsum dampnum inferre non deberent, et sibi, nomine dicti D. Vuorlici,

satisfacere promiserunt, sed nunquam aliquid fecerunt. Et dixit, quod fuit bene sex vices etc. Et hoc fuit circa x. annos.

Actum Glemone in foro, sub loza Communis. A. N. U. o.

N. 293.

1322 1. *Gennajo Cividale.*
Giovanni Custode della Chiesa di Cividale è incaricato della riscossione delle Collette.

Stefano Guglielmini Not.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti amen. Anno Domini M. CCC. XXII. Indictione quinta, die prima mensis Januarii. In Choro Majoris Ecclesie Civitatis Austrie. Presentibus discretis viris Domino presbitero Valexio, et Johanne Rubeo Mansionariis ejusdem Ecclesie, et aliis.

Venerabilis vir D. Frater Johannes Abbas Rosacensis Vicarius Reverendi patris et D. D. Pagani Dei gratia Patriarche Aquilegensis, Colectam nuper impositam Dominis Canonicis et Capitulo Civitatis, nec non D. Manno Preposito et Capitulo S. Petri de Carnia, D. Nicolao de Portis Plebano Quadubrii, et D. Tramontano ejus nepoti, dandam et assignandum voluit, et commisit D. Johanni Custodi Ecclesie Civitatensis predicte, non obstante aliqua commissione per ipsum D. Abbatem hujusmodi occasione facta. R. o.

N. 294.

1322 11 *Gennajo Udine.*

I Signori di Butrio son condannati a restituire le cose tolte alle Monache del Monastero maggiore di Cividale.

Parisino Not.

In Christi nomine amen. Anno a Nativitate ejusdem M. CCC. XXII. die XI. Intrante Januario. Presentibus Nobilibus viris Dominis Hectore et Federico fratribus de Utino, Muschino de la Turre de Mediolano, Odorlico Notario, et Francisco olim Magistri Nasutti de Utino, et Johanne q.^m magistri Juliani notario de Civitate Austria testibus, et aliis pluribus vocatis et rogatis.

Constitutis in judicio coram venerabili viro D. Fratre Johanne Abbate Monasterii Rosacensis Reverendi Patris et D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche Vicario generali, Dominis Nicholao, Rapotto, Odorlico et Simone fratribus de Budrio ex parte una, et Stephano Notario de Civitate procuratore, et procuratorio nomine venerabilium Dominarum Abbatisse et Conventus Majoris Monasterii S. Marie de Civitate ex altera: idem Stephanus, procuratorio nomine ut supra, rogavit prefatum D. Vicarium, quod cum dicti fratres quemdam ipsârum Dominarum mansum situm in villa de Muris, qui regitur per Dominicum de dicta villa, auctoritate propria intromiserunt, et censum super ipso manso acceperunt violenter, et contra debitum ra-

tionis, videlicet certam quantitatem vini et bladi, ut ipse D. Vicarius eos compelleret ad dimittendum prefatis Dominabus dictum mansum pacifice et quiete, et eis ablata restituere, sicut postulat ordo juris. Ad quod dicti fratres respondendo dixerunt, quod dictus mansus erat ipsorum feudum, et quod ipse mansus eis exciderat pro eo quod aliquis non petierat de ipso manso ab eis investiri debito tempore. Ad quod dictus procurator replicando respondit, quod dictum mansum q.^{m} D. Guilielminus earum Gastaldio emerat pro proprio, et pacifice et quiete possederat pluribus annis, et dedit ipsum mansum pro proprio eisdem Abbatisse et Conventui, et de hoc habent bonum manutentorem, et defensorem in jure. Unde super his, consulente ipso D. Vicario omnes circumstantes, et ab ipsis petente per sententiam deffiniri quid juris esset super predictis: consultum, et sententiatum extitit per omnes circumstantes, quod dicta intromissio ipsius mansi nullius esse debet valoris, et quod ipse mansus in tenuta et possessione pacifica et quieta dicte Abbatisse et Conventus remanere debebat; et eis dictus Vicarius debebat restitui facere quidquid per ipsos fratres de super ipso manso acceptum fuerat, salvo omni jure dictorum fratrum: et quod si ipsi jus aliquod in dicto manso crederent se habere ratione feudi, convocatis vassallis suis, prosequi debeant jus suum, ita quod de hujusmodi citatione et convocatione vassallorum constet Abbatisse et Conventui supradictis. Et juxta prefatam sententiam et consilium, prefatus D. Vicarius mandavit dictis fratribus, quod infra viginti dies, super dicto manso restituant quidquid per eos, aut ali-

quem eorum de ipso acceptum fuit. De quo dicti Fratres fuerunt taciti et contenti.

Actum in Patriarchali novo Palatio Utini. Et ego Parisinus de Utino Imperiali auctoritate Notarius predictis omnibus interfui, et rogatus scripsi. A. D. U. o.

N. 295.

1322 22 *Gennajo Avignone.*

Il Pontefice autorizza il Patriarca Pagano a trovar denari ad imprestito fino alla somma di cinque mila fiorini d' oro.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Johannes Episcopus Servus Servorum Dei venerabili fratri Pagano Patriarche Aquilegensi salutem, et Apostolicam benedictionem.

Fraternitatis tue sinceritas promeretur, ut petitiones tuas ad exauditionis gratiam admittamus. Cum itaque, sicut exhibita nobis tua petitio continebat, tam pro recuperatione, et redemptione, et reparatione locorum Ecclesie tue Aquilegensis, que tue promotionis tempore ad eamdem Ecclesiam, occupata et dissoluta, te, asseris, invenisse, quam etiam pro solutione Communis servitii pro quo tempore predecessoris tui Patriarche Aquilegensis eadem Ecclesia fuerat obligata; nec non et pro subportatione aliorum onerum, que tibi et eidem Ecclesie incubuisse dudum, sicut adhuc incumbere dignoscuntur, multa et magna te subire oportuerit, sicut adhuc oportet, onera expensa-

rum, nobis humiliter supplicasti, ut usque ad summam quinque millium florenorum auri mutuum contrhaendi, sub modis et formis infrascriptis, sine quibus creditores te putas invenire non posse, tibi largiri licentiam dignaremur. Nos igitur de tua tam in hiis, quam in aliis circumspectione ac diligentia confidentes, tuis supplicationibus inclinati, Fraternitati tue contrahendi mutuum propter hoc usque ad predictam summam quinque millium florenorum auri, nomine tuo, ac ipsius Ecclesie Aquilegensis, ac te ipsum, et Successores tuos, ac tua, et eorumdem bona mobilia et immobilia, presentia et futura, ac predictam Ecclesiam, propterea usque ad summam predictam creditoribus obligandi, usuris omnino cessantibus, et renuntiandi Constitutioni de duabus Dietis, edite in Concilio generali, et felicis recordationis Bonifacii Pape VIII. predecessoris nostri, qua cavetur ne quis certis, exceptis casibus, extra suam Civitatem et Diocesim ad judicium evocetur, et beneficio restitutionis in integrum, omnibus litteris et indulgentiis Apostolicis impetratis, et impetrandis, omni juris Canonici et Civilis auxilio, conventioni judicum et locorum, si eorumdem creditorum nomine super hiis Apostolicas litteras contigerit impetrari, nec non et omnibus aliis exceptionibus, per quas contra creditores eosdem tu, dictique tui Successores possetis in posterum vos tueri; plenam, auctoritate presentium, concedimus facultatem. Volumus insuper et concedimus, juxta quod postulasti a nobis, quod tu et Successores tui, creditoribus ipsis hujusmodi pecuniam de bonis dicte Ecclesie solvere, ac dampna, et expensas, et interesse reficere teneamini, si in terminis ad hoc constituendis eadem pecunia non fuerit persoluta, quodque

ipsis creditoribus pretextu alicujus Constitutionis Canonice vel civilis, aut cujuscumque privilegii vel indulgentie Sedis Apostolice, de quibus in nostris litteris plenam et expressam, ac de verbo ad verbum oporteat fieri mentionem, et per que tu, et Successores prefati valeatis ulterius vos tueri, dictam summam in jam dicte Ecclesie conversam utilitatem fore probandi necessitas non incumbat, sed sola tui hoc facientis confessio in Instrumentis conficiendis super mutuo hujusmodi quantitatis inserta, sufficiens, plena, et efficax probatio irrefragabiliter habeatur. Ceterum ne in hoc vorago locum sibi vindicet usurarum, nostre intentionis existit, et volumus, quod tu et iidem Successores, ac dicta Ecclesia Aquilegensis, tua, seu sua, vel ipsorum bona per has nostras litteras pro cujuspiam fraudis, seu calliditatis astutia, sub quovis pallio, seu colore verborum ad usuras aliquas obligari nullatenus valeatis, easdem litteras, concessiones, cautiones et recognitiones, seu promissiones per eas, vel earum auctoritate, seu occasione factas quoad obligationem usurarum hujusmodi, decernentes irritas, inanes et nullius penitus existere firmitatis: eis nihilominus quo ad premissa que usurarum pravitatem non sapiant in suo robore duraturis, nec usurarum pretextu maliciose aliquatenus impugnandis. Volumus etiam quod eadem Ecclesia pretextu nostre concessionis hujusmodi, ratione mutui supradicti ultra triennium nullatenus remaneat obligata.

Datum Avenione, VIII. Kalendas Februarii. Pontificatus nostri anno sexto. C. F. o.

N. 296.

1322 *Gennajo.*

Invito ai Signori di Villalta di mandare le loro genti alla rassegna in Campoformio.

Frater Johannes etc. Universis Nobilibus de Villalta salutem, et dilectionem.

Cum per Consiliarios nostros tam principales, quam alios undecim adjutores nuper sit nobis consultum, quod Monstra Equestrium Armatorum impositorum inter fideles Aquilegensis Ecclesie fieri faciamus in Campoformio, tertia Dominica proximi mensis Februarii, hora none; devotioni vestre mandamus, quatenus dictis die, loco, et hora, equites vobis impositos bene paratos, sub penis super hoc contra inobedientes ordinatis, ad dictam monstram mittere procuretis. A. C. U o.

N. 297.

1322 2 *Febrajo Udine.*

Quietanza per denaro di Decime papali.

Melioranza Can. P.

Die secundo mensis Februarii, Utini in Castro et Palatio Patriarchali. Presentibus venerabili viro D. Fratre Johanne Abbate Monastarii Rosacensis Vicario generali, D. Berofino de Cremona Canonico Aquilegensi Vicedomino, et Milano de Villalba Mediolanensi Canipario D. Patriarche infrascripti, testibus.

Discretus vir D. Maternus de Opreno de Mediolano Capellanus, negotiator, gestor et procurator generalis Reverendi patris D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche in remotis agentis dixit, guarentavit, ac confessus fuit se, nomine ipsius D. Patriarche, ac procuratorio nomine ipsius, et de mandato ejus, et de commissione et voluntate ipsius D. Berofini Vicedomini tunc corporea infirmitate gravati, de mensibus Octobris et Novembris proxime preteritis habuisse, et integraliter recepisse, ac sibi datas, numeratas, et manualiter assignatas fuisse a discreto viro Gabriele de Cremona notario, et familiari ipsius D. Patriarche, de mandato ejusdem Domini sibi facto, marchas octuaginta Frixachensium novorum Aquilegensis monete, de pecunia papalis Decime per sex annos imposite per felicis recordationis D. Clementem Papam v. habita et recepta per dictum Gabrielem, ex commissione ipsius D. Patriarche a Clero Civitatis et Diocesis Aquilegensis, pro secundo et ultimo termino sexti anni: renuntians exceptioni non sibi date, recepte, ac in se habite dicte quantitatis pecunie, doli, mali, et in factum, ac omni spei future numerationis et solutionis: faciens procuratorio nomine ipsius D. Patriarche, dicto Gabrieli suisque heredibus de dicta pecunia finem, remissionem et quietationem perpetuam, et pactum de amplius non petendo, ac promittens, nomine quo supra, eumdem Gabrielem conservare indempnem, et ipsum liberare ab omni onere et periculo quod incurrere posset occasione predicta, sub obligatione bonorum dicti D. Patriarche et Ecclesie Aquilegensis. Volentes dicte partes

de communi concordia, quod aliud instrumentum confectum per Odoricum de Gonars notarium super assignatione triginta septem Marcharum cum dimidio et denariorum viginti octo, et parvulorum octo, que de pecunia dicte Decime fuerint, cassum sit, vanum, et nullius penitus valoris. C. F. o.

N. 298.

1322 6 *Febrajo Udine.*
Compenso per servigio militare ad Asquino di Colloreto.

Melioranza Can. P.

Die sexta Februarii, in castro Utini, super palatio Patriarchali. Presentibus Guidone vicario in Morteiano, Milano de Villalba Mediolanensi, Albertono de Novate, Acino d' Ozino, Francisco de Brambate, et aliis.

Hendricus Azar nuncius et familiaris nobilis viri D. Asquini de Colloreto dixit, guarentavit, et confessus fuit se, nomine ipsius Aquini, habuisse et integraliter recepisse a venerabili viro D. Fratre Johanne Abbate Monasterii Rosacensis Vicario, et a D. Berofino Canonico Aquilegensi Vicedomino, Materno de Opreno procuratore Reverendi patris D. Pagani Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, dantibus et solventibus pro ipso D. Patriarcha, libras triginta quatuor Imperialium, quas idem D. Patriarcha mandaverat sibi dari propter defectum expensarum equorum ipsius D. Asquini, quas expensas non habuerat integre in Lombardia de Curia

ipsius D. Patriarche; renuntians exceptioni non sibi date, recepte, ac in se habite dicte quantitatis pecunie tempore hujus Contractus, doli, mali, et in factum, ac omni spei future numerationis et solutionis. C. F. o.

N. 299.

1322 1. *Marzo Cividale.*

Compromesso per un accomodamento tra Guglielmo di Valtero e tra Guarnero e Vezilo da Urusbergo.

Stefano da Cividale Not.

Die primo Martii, D. Guilielmus nepos q.^m Magistri Walteri de Civitate ex parte una, et Warnerus pro se, et Wezilo ejus Fratre q.^m Intiglini de Urusspergo ex parte altera, de omni lite et questione vertente inter ipsas partes, occasione tolletarum factarum per ipsum D. Guilielmum q.^m patrem ipsius Warneri, quam per ipsos Warnerum et Wezilum factas ipsi D. Guilielmo, et alterius occasione quacumque, et quam una pars alteri dare posset hinc ad diem presentem, libere compromiserunt communiter et concorditer in D. Philippum q.^m D. Quontii de Civitate, Worlicum q.^m Martini de Civitate, et Wezilum q.^m D. Maxnardi de Faganea, Civitate commorantem, tanquam arbitros, arbitratores etc. promittentes dicte partes vicissim inter se habere firmum etc. sub pena centum librarum Veronensium parvulorum etc. sub obligatione etc. Pro parte ipsius D.Gui-

lielmi, precibus et nomine ejusdem, et pro ipso, extitit fidejussor D. Philippus de Portis q.m D. Johannis; et pro parte ipsius Warneri, precibus et nomine ipsius, et pro ipso extitit fidejussor Nicolaus Longus q.m Liupoldi Pater nostri de Civitate, cum obligatione omnium suorum bonorum.

Actum in Civitate Austria, in domo Consilii. Presentibus Dominis Rugerio de Mediolano Gastaldione Civitatis, Utussio de Portis, Nicolao q.m D. Mussatti, Fulchero de Savorgnano, Johanne Rubeo de Florentia, Johanne q.m Covatti, Zirulino de Civitate, Henrico dicto Miutto de Civitate testibus, et aliis. A. N. U. o.

N. 300.

1322 6. *Marzo Gemona.*

Quietanza di denaro ricevuto per l' affitto di un anno della Muta e dazio del vino in Gemona.

Stefano Romano Valconio Not.

Die sexto intrante Martio. Presentibus Nicolao Boccapilose notario, Fantulino et Paulo fratribus ejus nepotibus, Nicolao q.m Martini Capellarii, Jacobo Angolani testibus de Glemona, et aliis.

D. Barufinus factor Reverendi Patris D. D. Pagani S. Sedis Aquilegensis Patriarche contentus et confessus fuit se integre habuisse et recepisse, nomine et vice dicti D. Patriarche ab Hermanno notario de Glemona, occasione et causa Mute et Mensurarum, que pertinent

dicto D. Patriarche in Terra Glemone, viginti marchas denariorum Aquilegensium; et hoc super solutione predictarum Mute et Mensurarum pro anno presenti, de quibus dictus D. Berofinus, nomine ipsius D. Patriarche, eidem Hermanno fecit finem et remissionem pro Communi Glemone, et promisit non contrafacere, nec amplius petere sub pena dupli petitionis, que dicto D. Hermanno causa predictorum fieret ab aliquo homine, seu persona, et sub obligatione omnium suorum bonorum mobilium et immobilium etc. A. N. U. o.

N. 301.

1322 13 *Marzo Aquileja.*

Procura onde riscuotere da' Veneziani l' annuo censo per la cessione lor fatta di alcune giurisdizioni nell' Istria.

Melioranza Can. P.

In nomine Domini amen. Anno Nativitatis ejusdem M. CCC. XXII. Indictione V. Venerabiles viri D. Guido de Villalta Vicedecanus et Capitulum Ecclesie Aquilegensis ratificantes et approbantes procuratorium factum per Reverendum Patrem D. Paganum Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcham in personis Venerabilis viri D. Fratris Johannis Abbatis Rosacensis Vicarii ipsius D. Patriarche, ac Dominorum Berofini de Cremona et Materni de Opreno, sicut constat publico Instrumento

scripto manu Eusebii de Romagnano notario ipsius D. Berofini, pro paga et solutione debita dicto Patriarche et Ecclesie Aquilegensi in istanti termino mensis Martii per D. Ducem et Commune Venetiarum, pro juribus et jurisdictionibus Ystrie, ad presentiam ipsius D. Ducis specialiter destinatum, in quantum spectat ad eos, procuratores constituerunt pro paga supradicta petenda, habentes ex nunc ratam et gratam pagam et solutionem hujusmodi termini antedicti, et facientes eidem D. Duci et Communi Venetiarum finem, remissionem et quietationem omnimodam.

Actum Aquilegie in Capitulo Aquilegensi, die XIII. mensis Martii. Presentibus D. Rolando de Ferraria scolastico, presbitero Jacobo Glemonassio, presbitero Tadeo Mansionario predicte Ecclesie Aquilegensis, presbitero Gerardo Plebano in Harlat, et aliis. Et in testimonium predictorum mandavit et statuit dictum Capitulum, presens publicum Instrumentum sui sigilli appensione muniri.

Nota super publicatione facta super quibusdam processibus Summi Pontificis de predicanda Cruce contra... de Marcha Anconitana. C. F. o.

N. 302.

1322 29 *Marzo Cividale*

Il Comune di Cividale ordina che sia eseguito il Regolamento risguardante le guardie della Città.

Statuto di Cividale giusta il Codice Belgrado.

Anno M. CCC. XXII. Die tertio exeunte Martio. In Civitate Austria, super domo Communis. Presentibus Dominis Fulchero de Savorgnano, Odorlico Longo,

Paulo q.m D. Bojani, Utussio de Portis, Adalpreto de Campelyo, et aliis. Ibidem per D. Rugerium de Matiis Gastaldionem, et Consilium Civitatis reformatum extitit et firmatum, quod omnes et singuli de villis, de quibus consuevit fieri custodia Terre Civitatensis, constringantur per D. Gastaldionem et Commune Civitatis ad faciendum custodiam Terre Civitatensis in waytis et Schyrawaytis, prout reperitur in libris et Instrumentis dicti Communis; et quod nullus eximatur, aut excipiatur, nisi solum illi Ministeriales, et qui reperiuntur in libris Communis debere esse exempti; et quod nullus de Consilio, aut alius de Terra Civitatis excuset aliquem alium qui debet facere dictam custodiam sub pena xiv. denariorum pro quolibet, et qualibet vice, de quibus Gastaldio habeat viii. denarios, exigendo residuum pro Communi. Et hoc fuit preconizzatum per Mathiussium Preconem Communis ipso die apud domum Communis. o.

N. 303.

1322 1 *Aprile Gemona.*

Manummissione.

Giovanni Biachino Not.

Die primo Aprilis. Presentibus D. Fanfino de Prampergo, D. Hermanno notario, Ottolino de Portis, D. Jacobo filio olim D. Gomoreti, Chosoto filio Domini Trufu-

lini, Nicolao filio Petri de Altaneto, D. Bartolomeo Dodi Carno, et aliis.

Nobilis milex D. Artuicus de Prampergo pro se etc. de certa scientia e pura, nomine et titulo donationis, intuitu omnipotentis Dei, et Beatorum Hermagore et Fortunati, et pro parentum suorum ejusque remedio peccatorum, tradidit, atque dedit Nicolao filio Gervasii de Nespoleto, Henrico de Talmassons, et Domeniè ejus uxori, et Marie ejus filie, et omnibus eorum filiis liberis masculis et feminis; tam presentibus etc. libertatem meram et puram, secundum usum et consuetudinem Forijulii. Quos omnes et singulos, tam presentes, quam absentes etc. a sua potestate, dominio, manu, et ab omni conditione et gravamine corporis et operum imposito nunc et in futurum a jure patronatus et revocationis in servitutem ob quacumque ingratitudinem penitus liberavit; ipsosque Nicolaum, Domeniam et Mariam, et eorum descendentes mere, pure et libere absolvit, et dimisit Dominicali case Dei, et Ecclesie Aquilegensi dictorum Beatorum Hermagore et Fortunati, ut amodo dicti Nicolaus, uxor, et filia, et ceteri descendentes in perpetuum, sint in Casa Dei et Ecclesie memorate, et absoluti ab eo, et ejus heredibus, ac Casata, ab omni vinculo servitutis, et jugo penitus liberati: Constituens et faciens dictus D. Articus D. Nicolussium filium olim D. Cazonelli suum certum procuratorem etc. et refutavit in manu ejus, dans etc. et totum eorum peculium etc. ut investiri et assignari debeat D. Patriarche, vel Dominicali Ecclesie Dei etc: tali pacto et tenore, quod nulli

Patriarche liceat prefatos etc. vendere, donare, alienare, nec aliquo modo obnoxiare, sed in dominio et potestate perpetua Dominicalis Case Dei et Ecclesie etc. permanere etc. nec super ipsos ordinare, nisi tantum, quantum potest super suos Dismanos, et non a dicto D. Artico ullam de cetero habeant reprehensionem, vel servitutis molestiam, nec ob aliquam ingratitudinem in suam de cetero revocari servitutem: penitus dans eis etc. totum eorum peculium etc. a rationibus Domini separatum, et tribuens eis generalem administrationem rerum suarum, ita quod sine obstaculo servitutis, dominii, manumissionis etc. vel alterius cujuscumque contradictionis etc.

Actum Glemone. A. N. U. o.

N. 304.

1322 5. *Aprile.*

Feudo cui è annesso l' obbligo di punire i malfattori accordato a Nicolò di Attemps.

Memoriale di Antonio Belloni.

D. Rugerus Gastaldio Civitatis de Consensu D. Abbatis Rosacensis Vicarii Reverendissimi D. Patriarche Pagani, presentialiter investivit Nicolaum filium Jupili de Attemps preconem fabrum de uno manso in Alcida, recto per Antonium: Ita quod ipse Nicolaus faciat Officium puniendi malefactores, qui in Civitate fuerint sententialiter condemnati. Manu Antonii notarii de Civitate. C. P. c.

N. 305.

1322 10 *Aprile Aquileja.*

Feudo in Carisacco concesso a P. Giacomo.

Die x Aprilis, super Patriarchali palatio. Presentibus D. Fratre Johanne Vicario, D. Lantelmo Vicario D. Patriarche, D. Materno de Opreno, fratre Raimundo Priore S. Egidii de Aquilegia, et aliis.

D. Vicarius et D. Berofinus investiverunt presbiterum Jacobum de duobus Casalibus, quos habere consuevit Clemonus de Carisacco, pro quibus debet solvere duos operarios ad seligendum fenum, et unum operarium qui fodere debet lapides. Pro primo casali habet unum sedimen cum curte domus in Aquilegia, in contrata de Zadris, juxta terram Odorlici de Gonars, et terram Catherine uxoris Nicolai Drisa. Item unum campum juxta molendinum de Spileso, et terram Marcutii Cinussii. A. C. U. o.

N. 306.

1322 10 *Aprile Aquileja.*
Licenza al Vescovo di Petena di assentarsi dalla Diocesi.

Frater Johannes etc. Venerabili in Christo Patri D. Fratri Enoch Dei gratia Episcopo Petenensi salutem in Domino.

Pro parte vestra porrecta nobis petitio continebat, quod cum ex certis, rationabilibus causis ab Episcopatu vestro vos absentare, et in partibus Carniole, et precipue in loco Fratrum Heremitarum S. Augustini in Laybacho, aut in Frautz ad tempus moram trahere intendatis, vobis licentiam super predictis, et etiam celebrandi in Pontificalibus, cum ad solemnitates, aut ad funera fueritis invitati, et quod XL. dies Indulgentie ex parte dicti D. Patriarche cum Missam pontificaliter celebrabitis elargiri possitis, concedere dignaremur. Quare vestris petionibus annuentes, Paternitati vestre, auctoritate dicti D. Patriarche, licentiam in predictis, tenore presentium, impartimur: ita tamen quod Ecclesiam vestram non omnimode negligatis, sed eam teneamini debitis et opportunis temporibus visitare.

Data Aquilegie, die x. Aprilis A. C. U. o.

N. 307.

1322 *Aprile Brescia.*

Pagano raduna in Brescia un esercito e si dispone a marciare contro i Visconti.

Illis autem diebus D. Paganus de la Turre Patriarcha Aquilegensis subdelegatus Summi Pontificis, tunc in Brixia residens, post solemnem Misse celebrationem, universo ejusdem Civitatis populo assistente, Nepoti suo vexillum S. Ecclesiæ contra ejusdem Ecclesiæ hostes et rebelles deferendum obtulit. Erant tunc in

ea urbe Brixiæ circa quatuor millia qui ad honorem et statum S. Matris Ecclesie Crucis signum deferebant. *Jacobi Malvetii Cronicon Cap. LIX. Scrip. Ital. T. XIV.*

Arrigo avuto il mandato dal fratello suo, e in disparte dal Capitano di Melano e dalli altri tiranni di Lombardia moneta assai, avendo ordinato coi Bresciani e col Patriarcha di Aquileja, e con loro seguito di andare ad oste sopra la città di Bergamo, ch' era in trattato di arrendersi, mosse questione a' Bresciani, che in prima che si partisse volea la signoria di Brescia. I Bresciani negando che ne la potea avere, perchè, vacando Imperio, s' erano dati al re Roberto, incontanente senza nullo ritegno si partì dalla Terra addì XVIII Maggio M. CCC. XXII. *Giovanni Villani Cronaca Cap. CXLIII.*

N. 308.

1312 18 *Aprile Cividale.*

Compromesso per un aggiustamento tra i Massari di Fulchero di Zucula e di Filippo di Canussio.

Stefano da Cividale Not.

Die XIII exeunte Aprili, D. Fulcherus de Zucula pro se ipso et Nicolao de Sobodoch filio, Thomasii massario suo ex parte una, et D. Philippus de Canussio pro se ipso, et Marino de Obliza massario suo ex parte altera, de omni lite et questione vertente inter ipsas

partes, occasione pacis fracte inter ipsas partes, videlicet massarios, et injuriis illatis inter se, et securitatibus decem marcharum, et omni alia questione ex hac dependente, libere compromiserunt in Worlicum q.^m^ Martini de Civitate, tanquam in arbitrum, arbitratorem et amicabilem compositorem; promittentes inter se pro se ipsis, vice et nomine suorum Massariorum, ad invicem ipsi arbitro habere firmum et ratum quidquid per ipsum arbitrum sententiatum fuerit etc. sub pena centum librarum Veronensium parvulorum etc. steterunt fidejussores dicti Domini suis massariis, obligando ipsorum bona, ipsis Massariis presentibus.

Actum in Civitate Austria, in domo Communis. Presentibus D. Nicolao de Sofimbergo, Nicolao fratre ipsius Ulvini, Benevenuto notario q.^m^ Pantaleonis de Civitate, Johanne becario Civitatis, et Jacobo filio Poppi testibus, et aliis. A. N. U. o.

N. 309.

1322 28 *Aprile Brescia.*
Pagano assente al cambio vicendevole de' Beneficj di Villaco e di Ek.

Eusebio da Romagnano Can. P.

Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha religioso et discreto viro fratri Joanni abbati monasterii Rosacensis Vicario nostro salutem et dilectionem sinceram.

Com discreti viri Conradus de Varmo Plebanus plebis de Villacho, et Conradus Plebanus plebis de Ek, nostre Diocesis, ex certis causis rationabilibus, atque justis, Plebes suas predictas invicem permutare desiderent, tibi presentium tenore, duximus committendum; quod si rectas eorum intentiones inveneris atque justas, et quod hujusmodi permutatio fiat omni permutatione cessante, auctoritate nostra eorum desiderio valeas complacere. Ita quod hinc inde, nomine nostro resignatione accepta, dicta permutatio compleatur. In cujus rei testimonium presentes tibi concedimus nostri sigilli appensione munitas.

Datum Brixie, XXVIII. Aprilis. Anno Dominice Nativitatis M. CCC. XXII.

N. 310.

1322 13 *Maggio Udine.*
Indulgenze concesse agli ascritti alla Confraternità di S. Pietro Martire.

Frater Petrus Dei et Apostolica gratia Archiepiscopus de Nazaret dilectis in Christo Fratribus, Clericis, et aliis fidelibus in Aquilegensi Diocesi constitutis, presentes litteras inspecturis, salutem et pacem in Domino sempiternam.

Quoniam viam salutis eterne querentibus benigni favoris est suffragiis succurrendum, ut quos divini Amoris fervor, et S. Spiritus gratia inspiravit ad bonum, per adjectionem gratie in piarum operum inceptarum salubri proposito roborentur: idirco de Omnipotentis

Dei misericordia, et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et B. Petri Martiris, et Beatorum Martirum Hermagore et Fortunati confisi suffragiis, omnibus vere penitentibus et confessis, qui sunt, vel se pro zelo constituent de Fradalia B. Petri martiris de Utino, et qui ad Missam, quandocumque predicti Confratres ad honorem Dei, et gloriose Virginis Marie Matris ejus, ac B. Petri Martiris in Ecclesia B. Petri Martiris de Utino fecerint celebrari, devote intererint, et Missam audierint reverenter; et ad subportanda onera dicte Fradalie, et pro opere protegendo, de bonis sibi a Deo collatis manus porrexerint adjutrices; XL. dies de injuncta eis penitentia misericorditer in Domino relaxamus. In cujus rei testimonium presentes litteras nostri sigilli appensione fecimus roborari.

Datum Utini M. CCC. XXII. Indictione V. die XIII. Intrante Majo.

Nos Frater Johannes Abbas S. Petri Monasterii Rosacensis Reverendi patris et D. D. Pagani Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, Vicarius generalis supradictam Indulgentiam XL. dierum per Reverendum patrem et D. D. Fratrem Archiepiscopum antedictum, dicte Fradalie S. Petri Martiris de Utino, ut in predictis litteris contentam atque concessam, vice et nomine dicti D. Patriarche, et pro ipso, ratam et gratam habentes; eidem prestamus consensum pariter et assensum. In cujus rei testimonium etiam presentes litteras nostri sigilli appensione fecimus roborari.

Datum Utini M. CCC. XXII. Indictione V. die XIII. Intrante Majo. *Da una Pergamena esistente nella Chiesa di S. Pietro Martire di Udine. o.*

N. 311.

1322 1. *Giugno Cividale.*

Procura di Aquilegia di Legio onde ottenere compensi dal guasto arrecato a' di lei campi dalle Monache di S. Giorgio.

Stefano da Cividale Not.

Die primo Junii. D. Aquilegia q.^{m} Conradi de Civitate uxor D. Ludoyci de Legio cum consensu et voluntate dicti sui mariti presentis, fecit, constituit et ordinavit Thomadellum q.^{m} Oliverii de Civitate presentem et hoc mandatum suscipientem, et Johannem notarium de Utino, licet absentem tamquam presentem; et quemlibet eorum in solidum etc. suos procuratores in omni causa, quam, aut quas habet, movet, et movere intendit Priorisse Monasterii S. Georgii prope Civitatem, et ipsius Conventui, nomine, et occasione cujusdam exfortii, pro eo quod destrui fecerunt, seu destruxerunt quasdam arengatas vitium et arborum duorum camporum sitorum in confinibus S. Georgii predicti etc. coram Venerabili viro D. Fratre Johanne Abbate Rosacensi Vicario Reverendi in Christo Patris et D. D. Pagani etc. ad agendum, defenden-

dum etc. promittens etc. sub ypotecha omnium suorum bonorum.

Actum in Civitate Austria, ante domum Henrici q.m D. Gyni. Presentibus magistro Leonardo Sartore Civitatensi, Gervasio et Ortalo, Trissutto filio Zannini q.m Fredonis, Benito dicto Imperatore beccario Civitatis, et Raymundo Fratre mei Stephani notarii testibus, et aliis. A. N. U. o.

N. 312.

1322 13 *Giugno Cividale.*

Pene stabilite contro agli Omicidi.

Statuto di Cividale giusta il Codice Belgrado.

Anno Domini M. CCC. XXII. Indictione V. die XIII. Intrante Junio. Ordinatum fuit per Consilium et firmatum, quod si quis interfecerit aliquem quoquo modo, solvat Communi libras ducentas Voronensium, et quilibet, qui ei astiterit, solvat libras centum. Ita quod per Dominium nulla securitas recipiatur ab eis, nisi intrent Terram et juram Civitatis; nec fiant eis tregue, nisi prius Camerarii Communis habeant dictum bannum. Si vero Gastaldio contrafecerit, Commune habeat regressum de consimili banno. o.

N. 313.

1322 23 *Giugno Udine.*

Bando di Odorlico Malizia.

Melioranza Can. P.

Die xxiii. Junii. In castro Utini, in Curia Patriarchali. Presentibus D. Materno de Opreno, magistro Francisco Cilurgico, qui fuit de Florentia, et moratur in Utino, Acino d' Ozimo, Johanne de Osenago, et aliis.

Odorlicus dictus Malitia de Civitate constitutus coram venerabili viro D. Fratre Joanne Vicario etc. promisit, et se obligavit ipsi D. Vicario, sub pena perpetui carceris, statim recedere de Utino, et non intrare ipsam Terram, nec Terram Civitatis, nec per quatuor milliaria se approximare, sine licentia ipsius D. Vicarii. C. F. o.

N. 314.

1322 30 *Giugno Udine.*

Appello del Vicario Patriarcale dall' indiscrete esigenze del Collettore Pontificio.

Melioranza Can. P.

Die ultimo Junii. In castro Utini, in Patriarcali Palatio lecta fuit ista appellatio coram D. D. Fratre Achil-

lotto Priore Predicatorum, Fratre Nicolao de Portunaonis lectore, Fratre Francisco de Plebe Sacci Guardiano, Fratre Mapheo de Mantua lectore, D. Christophano Custode, Magistro Nicolao de Terdona, Albertono de Novate, Prandolino Clerico de Padua, Castello Alberico dicto Scana de Mediolano familiare D. Patriarche, et aliis.

Coram vobis venerabili viro D. Arnaldo Canonico Meldensi, Nuncio D. Pape et Collectore ad exigendas et recipiendas certas quantitates pecuniarum tam de censibus Ecclesie Romane debitis, quam de fructibus per triennium reservatis per D. Summum Pontificem a quibuscumque personis Ecclesiasticis secularibus et regularibus, apud quas existerent, a predicto Summo Pontifice deputato, dico et propono ego Frater Johannes Abbas Monasterii S. Petri Rosacensis, Vicarius Reverendi Patris D. Pagani S. Sedis Aquilegensis Patriarche, quod cum in mandamentis per vestras litteras speciales, et Domino meo Patriarcha predicto absente, per similes litteras inter alia continentes, quod vobis totam illam pecuniam, quam recepissem de fructibus Beneficiorum vacantium per triennium reservatis tempore Domini nostri summi Pontificis, ac illam quam de censibus simili modo recepissem Ecclesie Romane debitis, et maxime octingentos florenos auri, quos asseruistis me recepisse a venerabili in Christo patre D. Abbate S. Benedicti de Podolironis, vobis, aut mercatoribus de Scalis de Florentia, Venetiis commorantibus, infra certum dierum spatium, nomine S. Romane Ecclesie assignare deberem, prout in vestris litteris hec et alia plenius continen-

tur, et tanquam obedientie filius, totam illam pecuniam, quam de dictis fructibns receperam, et apud me existebat mercatoribus predictis, juxta mandatum vestrum, infra tempus mihi assignatum, presente Bindo de Florentia familiare vestro, per bonum et fidelem nuncium Dominum Bassanum de la Turre jurisperitum, videlicet libras CLXI. Frixachenses XVI, et denarios octo parvorum miserimus assignandam, et predictos florenos octingentos non recipi, nec unquam in mea potestate, baylia, aut penes me fuerunt; nec revera fuerunt quadringenti et duo quos recipi fecit D. Patriarcha predictus per alium suum familiarem et habuit; nec in Patriarchatu Aquilegensi dictus D. Patriarcha aliquam pecuniam de jam dictis frufructibus reservatis per triennium per se, aut per alium, nec illam per me supra nominatam et mercatoribus assignatam, ut credo, recepit: sentiens me gravari, et gravatam esse ex predictis vestris litteris, monitionibus, et preceptis in eis contentis; et maxime quia mandaveritis me debere assignare jam dictos florenos quos nunquam habui; aut recepi, et simili modo Dominum meum gravari, et gravatum esse, in eo quod mandavistis per ipsum debere assignari majorem quantitatem, ut supra dicitur, quam recepit, et quam visi estis asserere et dicere velle quod de fructibus antedictis pecuniam receperit in Patriarchatu, seu Diocesi Aquilegensi, quam non recepit; a predictis vestris litteris, monitionibus, et sententiis in quantum Dominum meum predictum et me tangerent, seu tangere possent indebite et injuste, super eo quod non fuisset habitum et receptum per me, aut per ipsum, meo proprio et ipsius

nomine tanquam ejus officialis, Vicarius, et procurator ad negotia generalis, maxime cum sit absens, et in servitio, et pro obedientia sancte Romane Ecclesie, ad ipsam sanctam Sedem Apostalicam et dominum nostrum Summum Pontificem D. Johannem divina providentia Papam XXII appello, cum adhuc sim a tempore presentationis mihi facte infra debitum tempus mihi statutum, et appellans peto, et iterum peto, cum debita instantia peto, supponens Dominum meum et me protectioni et defensioni dicti Domini nostri summi Pontificis, ac rogans vos venerabiles et religiosos Fratres Priorem Predicatorum, Guardianum Minorum, et vos D. Custodem S. Marie Utinensis, coram quibus, tanquam coram publicis et honestis personis, sum constitutus, cum habere non possim dicti D. Arnaldi presentiam, coram quo hanc meam appellationem preponere, et facere valeam, sicut deberem propter longam distantiam et viarum discrimina infra tempus a jure statutum, quod hujusmodi appellationem latam, et coram vobis recitatam eidem D. Arnaldo, cum poteritis per vestras litteras, significare vellitis. C. F. o.

N. 315.

1322 2 *Luglio Aquileja.*

Il Vescovo di Vicenza col mezzo di un suo Procuratore visita la Chiesa di Aquileja.

Melioranza Can. P.

Anno m. ccc. xxii. Indictione v. die secunda Julii, in majori Ecclesia S. Marie Aquilegensis. Presentibus

venerabilibus viris D. Fratre Johanne Abbate Monasterii Rosacensis, Vicario venerabilis Patri D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, D. Rolando de Ferraria Scolastico, Lantherio Vicario dicti D. Patriarche in predicta Ecclesia, Francisco de Utino Plebano Murucii, et aliis.

Venerabilis vir D. Berofinus de Giroldis de Cremona, Canonicus Aquilegensis, Procurator, et procuratorio nomine, ut dicebat, Reverendi patris D. Fratris Francisci Dei gratia Episcopi Vicentini, comparuit, et se presentavit in dicta Ecclesia, nomine antedicto, pro anno nuper preterito et pro presenti, dicens se visitare ipsam Ecclesiam et limina Sanctorum Hermagore et Fortunati Martirum; et deinde ivit ad altare majus ipsius Ecclesie, ipsum flexis genibus osculando, et oblationem faciens super illo. C. F. o.

N. 316.

1322 7 *Luglio S. Margherita.*

Dono di una Schiava fatto al Monastero di Plaino.

P. Giacomo di Castel Gruagno Not.

M. CCC. XXII. Indictione V. die VII. intrante Julio. Presentibus Dominis Jacobo et Nicolao fratribus de Brazzacco inferiori, Odorlico olim Aldiarine de Brazzaco Superiori, Finchero de Villanova testibus, et aliis pluribus.

D. Johannes filius olim D. Federici di Brazzaco inferiori per se, suosque heredes dedit et tradidit, nomine irrevocabilis donationis, que dicitur inter vivos, D. Lucarde Priorisse S. Marie de Tavella, sive de Plagino recipienti pro se et Conventu dicti loci, unam suam feminam de masnata, Ulivam filiam olim Polecii et Bertolotte de Casal cum tota prole sua ex ea de cetero descendente, et ejus peculio: ita tamen quod de dicto Conventu et loco numquam eam et ejus liberos possint separare donando, vendendo, nec aliquo modo, vel causa. Promittens dictus D. Johannes per se suosque heredes dicte Priorisse stipulanti pro se suisque successoribus et loco predicto, dictam datam traditionem firmam et ratam habere et tenere, sub pena centum librarum veronensium, et cum omni melioramento.

Actum in auditorio S. Margarete de Gruagno. A. N. U. o.

N. 317.

1322 22 *Luglio Artegna.*

Giudizio di Ermani.

Anonimo Not.

Anno M. CCC. XXII. die XXII. mensis Julii. Presentibus D. Phamphino de Prampergo, Antonio dicto Bultrocho, Tramontano, Jacobo dicto Baderzo, Johanne Cervasini, Bubito testibus de Artenea, et aliis.

Coram suis Hermannis comparuit nobilis vir D. Articus de Prampergo dicens sententialiter deffiniri:

postquam Odorlicus meus Hermannus de Camuzacho possessiones Hermannie vendiderat personis extraneis, me et Hermannis non scientibus, quid juris? etc. Super quibus sententiatum extitit ... C. P. c.

N. 318.

1322 9 *Agosto Gemona.*
Sentenza del Vicario Patriarcale nella causa vertente tra l'Abbate di Moggio e i Signori di Prampergo.

Francesco Sibelli Not.

In Christi nomine amen. Anno Domini M. CCC. XXII. Indictione V. die nono intrante Augusto. Presentibus venerabili viro D. Johanne divina providentia Abbate de Arnolstayn, Dominis Asquino de Colloreto, Lappo Amidei de Florentia, Bancho Bombeni, Mambello de Florentia habitatoribus Glemone, Spinello de Sochollo, Hermanno notario, Josepho Cirioli, Nicolao fratre ejus, et Petro Clefoni, Ottolino de Portis, Petro de Altaneto, et aliis.

In nomine Christi amen. Frater Johannes divina miseratione Abbas Rosacensis, Reverendi patris et D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, Vicarius generalis, de voluntate et expresso consensu religiosi viri Fratris Pertoldi Abbatis Monasterii Mosacensis pro se et monasterio suo volentis, et sponte consentientis, et Nobilium virorum Dominorum Ulvini Plebani de Strasganth, Artuichi mi-

litis, Guilielmi dicti Fanfini et Henrici fratrum de Prampergo super questione, que movebatur inter ipsos, et diutius fuerat ventilata, tam super Garitto Massariorum dicti Abbatis, de quo questio fuerat inter ipsos, Abbate ipso dicente ipsum Garittum massariorum suorum in strata Cluse ad ipsum spectare, et ad monasterium suum; et e contra jam dictis Dominis de Prampergo eundem Garittum, jure quod habent a D. Patriarcha Aquilegensi, ad eos pertinere dicentibus, dictus Vicarius sic duxit inter partes providendum et ordinandum. Quod questio hujusmodi Garitti differatur ad adventum D. Patriarche, et in ejus adventu per ipsum, sicut sibi videbitur, et de jure terminetur; et isto medio tempore, Garittus ipse regatur per dictum D. Articum, usque ad finem dicte questionis, ejus nomine pro quo questio fuerit determinata.

Item dictus Vicarius de ambarum partium voluntate et expresso consensu super questione montis, ex quo trahitur ferrum, de quo questio fuerat inter partes, sic declaravit et ordinavit; montem ipsum esse in pertinentiis et confinibus Cluse, et secundum Instrumentum et pacta inita inter partes, sed utilitatem provenientem in ipso monte, esse communem, juxta formam dicti Instrumenti, et pacta in eo contenta, hoc modo, quod decima dicte utilitatis primo deducatur tanquam debita Abbati et Monasterio jam dicto, et residuum dicte utilitatis dividatur communiter inter partes: scilicet quod de milliare ferri, quod provenit de Decima dicte utilitatis, deducatur decima ipsius milliaris nomine Decime, scilicet centum libras ferri, et sic de majori

quantitate aut minori dicte utilitatis, et a simili pro qualibet rata plus et minus, sicut et de aliis fructibus provenientibus ex dicto monte solvitur, et debetur. Et si major utilitas posset haberi de ferro dicti montis, quod possit locari in nona parte, aut octava, equaliter inter partes, prius soluta dicta Decima dicto Abbati, et si pro undecima tantum, aut duodecima, aut ulteriori parte locaretur, simili modo dividatur inter partes decima prius soluta, ipsis tantum D. D. de Pramperch solvendo medietatem expensarum factarum, et que fieri debent in dicto monte et furnis equaliter; sicut utilitas dividitur.

Item prefatus Vicarius super questione emptionis facte per ipsum D. Abbatem a Francisco olim D. Mathie de Glemona in monte Moltasii in Clusa, et in pertinentiis Cluse simili modo ordinavit de voluntate et consensu ipsarum partium, quod Garittus spectans ad ipsam emptionem regi debeat per prefatum D. Artuichum usque ad adventum D. Patriarche, sicut de superiori Garitto Massariorum dicti D. Abbatis, ut dictum est: et quod ipsius questio terminari debeat per predictum D. Patriarcham: ita tamen quod quandocumque dicti Domini de Pramperch vellent emere, ac recompensare pro quadragiuta marchis Denariorum Aquilegensium totum illud jus quod dictus Abbas emit a dicto Francisco olim D. Mathie in Clusa, et Moltasio, et ejus pertinentiis, quod dictus Abbas teneatur et debeat restituere dictis Dominis de Pramperch integre dictum jus pro dicto pretio, salva semper omni ratione Francisci predicti, et quod in ejus prejudicio non deducatur.

Item super questione pontis de Resiutta sic ordinavit dictus D. Vicarius, quod per ipsum D. Abbatem retineatur, et conserveretur ad publicum transitum omnium transeuntium, sicut moris est, et nihil pro transitu ipso recipiat a transeuntibus cum equis ac sine equis, aut curribus, usque ad adventum dicti D. Patriarche, cui in ejus adventu ista deducantur in notitiam: et ipse, recognito et examinato negotio, ordinet et disponat quidquid videbitur pro publica utilitate et Monasterio ordinandum. Que partes presentes etc. promiserunt attendere etc. cum obligatione etc. per se, et eorum successores, et heredes etc. in perpetuum.

Actum Glemone in Ecclesia S. Marie. A. N. U. o.

N. 319.

1322 22 *Agosto Gramogliano.*
Corrado di Reifemberch vende a Reulo di Gramogliano la villa di Lippa.

Stefano da Cividale Not.

Die decimo exeunte Augusto. D. Conradus de Rayfemberch pro se ipso et D. Dyetmaro ejus fratre, ac suis heredibus, proprium pro proprio, et feudum pro feudo, in proprium dedit et vendidit D. Reulo militi de Gremogliano ementi et recipiendi pro se, suisque heredibus, totam villam de Lippa supra Carsium habentem sex mansos, tractis vineis ad mansos non pertinentibus, cum omnibus suis juribus et rationibus ad ipsam villam spe-

ctantibus et pertinentibus, ad habendum etc. pro pretio et foro triginta marcharum denariorum solidorum, de quibus vocavit se fore solutum, et plenarie satisfactum. Renuntians etc. Pro quibus extitit manutentor etc. Conradus q.$^{m.}$ Guatimani de Priazio de confinibus de Dorumberch, cum obligatione etc.

Actum in Castro Gramogliani. Presentibus. Reulo de Wipulsano fratre ipsius Reuli, Dyebardo de Gramogliano, Aynzalo q.^{m} Ebradi de Wirespurch, Nicolao q.^{m} Uguli de Windisgratz commorante cum ipso D. Reulo, testibus, et aliis.

Item eisdem die, loco, et testibus. Supradictus D. Reulus emptor promisit et stetit reddere et restituere ipsi D. Conrado, et ejus fratri, ac suis heredibus dictam villam integraliter hinc ad S. Georgium proxime futurum, si sibi solverit triginta marchas denariorum solidorum etc. sub pena dupli; et si non solverit, libere dicta villa sit ipsius Emptoris etc. A. N. U. o.

N. 320.

1322 28 *Agosto Faedis.*
Convenzione dell' Abbate di Moggio coi Signori di Cucagna.

Lupo Not.

Presentibus D. Bernardo Plebano de Mozio, presbitero Benevenuto Capellano D. Johannis di Cucania, D. Pertholdo de Fagedis, Nicolao ejus filio, Gabriele fratre

dicti D. Pertoldi commorante in Fagedis, Nicolao de Flagonia testibus, et aliis.

Venerabilis vir D. Frater Pertoldus Abbas Monasterii de Mozio pro se, et Capitulo dicti Monasterii, prout dicebat, ex una parte, et Johannes et Warnerus fratres de Cuchania filii D. Adalprety de Cuchania ex altera, pro se, et fratribus suis, prout dicebant, occasione toletarum factarum per unam partem alie: videlicet per dictum D. Abbatem, sive per Massarios Abbatis Monasterii predicti et Capituli, sive per ipsorum servitores super bonis dictorum Dominorum Johannis et Warneri Fratrum, in Canali de Radiso: et per dictos Dominos Johannem et Warnerum fratres super bonis dicti D. Abbatis et Capituli in Canali de Resia, seu alia occasione quacumque ad tale concordium, sive pactum amicabiliter condescenderunt. Videlicet quod dicti Domini Johannes et Warnerus fratres servent et teneant de bestiis Massariorum dicti D. Abbatis et Capituli, quas in domo habent, pecudes quinquaginta pro bestia dictorum Dominorum Johannis et Warneri fratrum, quas dictus D. Abbas, seu sui servitores, sive Massarii eis acceperunt; cum ista conditione, quod si ullo tempore possit reperiri quod massariis dictorum Dominorum Johannis et Warneri minus dictarum quinquaginta pecudarum forent accepte, superfluum reddere promiserunt dicti Domini Johannes et Warnerus fratres, et ad hoc se solempniter obligaverunt.

Pro quibus omnibus attendendis, et firmiter observandis, et precibus dictorum Dominorum Johannis et Warneri, Nicolaus filius D. Pertoldi de voluntate patris, et Jacossius filius Minoye commorans in Fagedis, fidejus-

sores extiterunt in parte et toto: adjicientes, volentes, et firmantes dicte partes, quod dampna et expense exinde quocumque percepta occasione predicta sint cassa, et vana, et penitus nullius firmitatis existant; neque de cetero in capitali reincidant. Promittentes dicte partes omnia et singula in hoc instrumento contenta rata et firma perpetuo habiture, sub pena centum librarum Veronensium parvulorum: medietas cujus cedat parti observanti concordium, alia medietas Patriarche, qui nunc est, aut pro tempore fuerit, soluta per partem que illud infringet: et ea soluta, aut non, presens instrumentum, et omnia que continentur in eo, perpetuo firma perdurent.

M. ccc. xxii. Indictione v. die quarta exeunte Augusto, in Fagedis, in Ecclesia S. Marie. A. N. U. o.

N. 321.

1322 1 *Settembre Gemona.*
Condotta medica in Gemona.

Stefano Romano Valconio Not.

Die primo Septembris. Presentibus D. Henrico de Pramperch, D. Guilielmino Brugno Vicecapitaneo Glemone, D. Lappo Amidei de Florentia, Ottolino Capitaneo Osopii, Andrea dicto Savio, Petro D. Odorlici Clefonis de Glemona, et aliis.

In consilio Glemonensi majore etc. Josephus Cirioli, Petrus de Altaneto, Hermanus notarius et Franciscus q.m Valteri Valuti, omnes de Glemona pro se, eorumque

heredibus in solidum, ac parte et toto, nomine salarii firmiter dare et solvere promiserunt D. Bonaventure Physico etc. a die, ac festo S. Michaelis proximi ad tres annos completos et sequentes annuatim in dictis tribus annis trecentas libras Veronensium parvorum: videlicet dimidietatem dictarum trecentarum librarum Veronensium annuatim in festo S. Martini proximi, et aliam dimidietatem in festo Pentecostes tunc sequenti, sub pena unius marche puri argenti; et omnium dampnorum, et expensarum, ac interesse reficiendarum etc. cum obligatione omnium suorum bonorum mobilium et immobilium, presentium et futurorum. Que bona dicti debitores pro dicto D. Bonaventura se constituunt tenere etc. obligantes se dicti debitores in solidum, undique locorum etc. dicto creditori respondere etc. Et ex nunc, prout ex tunc ipsi debitores in solidum contenti esse convicti per laudum etc. a dicto Creditore, coram Dominio Glemone etc. et promiserunt manuali fide non contrafacere etc.

Actum Glemone, in Ecclesia S. Johannis in Consilio majori. A. N. U. o.

N. 322.

1322 12 *Settembre*, *Udine*.

Il Legato Pontificio ordina che a titolo di sua provvigione vengangli contati dal Vicario Patriarcale* 1230 *fiorini d' oro.

Melioranza Can. P.

Die XII. Septembris. In Castro Utini, super Patriarchali Palatio. Presentibus Francisco de Brabante Utini

commorante, Mixo de Villalta, magistro Nicolao Sonatore de Utino, et aliis.

Discretus vir Bindus Rodulphi de Florentia nuncius Reverendi patris D. Bertrandi titulo S. Marcelli presbiteri Cardinalis, Apostolice Sedis Legati, presentavit, ex parte ipsius D. Cardinalis, venerabili viro D. Fratri Johanni Abbati Rosacensi, Vicario Reverendi Patris etc. quasdam patentes litteras ipsius D. Cardinalis sigillo pendenti sano et illeso munitas, que littere incipiunt: Bertrandus miseratione divina, titulo S. Marcelli presbiter Cardinalis, Apostolice Sedis Legatus, venerabili in Christo Patri Pagano Dei gratia Patriarche Aquilegensi, aut ejus Vicario, seu vices gerenti, salutem in Domino. Et finiunt: Datum Valentie Papiensis Diocesis, secundo Kalendas Augusti, Pontificatus Sanctissimi Patris D. Johannis Pape XXII. anno sexto. Et dicte Littere infra continent qualiter idem D. Legatus petit, et mandat quod idem D. Patriarcha pro presenti anno mille ducentos triginta florenos auri de Florentia justi ponderis a Capitulo et Clero Civitatis et Diocesis Aquilegensis, juxta morem consuetum, cum justis et moderatis expensis petat et accipiat, pro procuratione ipsius D. Legati, et infra duorum mensium spacium, post presentationem presentium, suo risico et fortuna, per suum specialem Nuncium ad locum quo venerabilis vir magister Arnaldus Sabaterii Electus Bononiensis Capellanus; et Cante de Branche de societate Scalarum de Florentia, domicellus et familiaris ejusdem D. Legati, aut eorum alter ipsi D. Patriarche assignet, ut transmittat solvendos eis, aut eorum alteri, aut alii, aut aliis, quos duxerit nominandos, sicut in ipsis litteris plenius continetur.

Item presentavit eidem D. Vicario ex parte supradicti D. Arnaldi quasdam patentes litteras continentes, qualiter dictus D. Arnaldus assignat Castrum, seu Terram Valentie Papiensis Diocesis, et merchatores de societate Scalarum de Florentia, in quo loco ipsis mercatoribus dictam pecuniam, secundum mandatum D. Legati, assignaret. Qui D. Vicarius reverenter recepit litteras supradictas, et respondit, quod ex officio suo faciet quidquid poterit, et pro eo non stabit quatenus mandatum D. Legati adimpleat juxta posse. C. F. o.

N. 323.

1322 17 *Settembre, Cividale.*
Appello del Vicario del Patriarca contro l'ordine speditogli dal Legato Pontificio.

Melioranza Can. P.

Die Veneris XVII. Septembris. Civitate, in Curia Patriarchali. Presentibus venerabilibus viris Dominis Guarnero Decano, Philippono Preposito Ecclesie Civitatensis, Manno Preposito S. Petri de Carnia, Rogerio de Madiis de Mediolano Gastaldione Civitatis, Lombardino Archipresbitero Modoetiensi, et aliis, lata, et interposita fuit subscripta Appellatio.

Coram vobis Reverendo in Christo patre D. Bertrando titulo S. Marcelli presbitero Cardinali, Apostolice Sedis Legato, expono, propono, et dico ego Frater Johannes Abbas S. Petri Rosacensis, Vicarius Reverendi Patris

D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, quod cum mihi mandaveritis procurationem mille ducentorum et triginta florenorum auri, recti ponderis, vobis debitam pro tertio anno, ut mandavistis per vestras litteras, monitiones et sententias certas continentes, quas, sicut scripsistis, me incurrere voluistis ipso facto, nisi infra spatium duorum mensium pecuniam antedictam Sociis de Scalis Venetiis, seu apud Castrum Valentie assignem, aut assignari faciam: quod non solum difficile, sed et impossibile est, propter angustam brevitatem temporis, cum vix propter amplam et diffusam Diocesim ad distributionem quantitatis pecunie hujusmodi, et notificationem faciendam locis et personis Ecclesiasticis, quos pro rata pecunia tangit antedicta, tempus in vestris litteris comprehensum vix sufficiat, nedum ad exigendum, et ad pecuniam ipsam mittendum, ex angustia et brevitate temporis hujusmodi, non voluntate, aut animo differendi, seu contempnendi quod mandastis; quinimo potius, prout fuerit possibile, omni mora postposita et negligentia semota, obediendi et complendi, sentiens me gravari et gravatum esse, appello ad S. Sedem Apostolicam, et appellans peto, et iterum peto, et cum instantia iterum peto, supponens me, et omnia jura mea protectioni et defensioni Sedis ejusdem, ac instanter rogans vos venerabiles viros Dominos Guarnerum Decanum, Philipponum Prepositum Civitatis, ac Lombardinum Archipresbiterum Modoetiensem, et Mannum Prepositum S. Petri de Carnia, coram quibus hanc meam appellationem interponere curavi, tanquam coram publicis et honestis personis, cum presentiam ipsius D. Lega-

ti, propter longam viarum distantiam, infra decendium, infra quod omnis appellator debet interponere, habere non valeam, quatenus eidem D. Legato presentem meam appellationem per vestras testimoniales litteras speciales intimare vellitis.

Die sexto exeunte Octubri. In Castro Utini, super Patriarchali palatio. Presentibus Dominis Guarnero Decano Civitatis, Morando de Purcillis, Christophano Custode Majoris Ecclesie Utinensis, Odorlico de Mydea Canonico Civitatis, Gabriele de Cremona Notario D. Patriarche, et aliis.

Venerabilis vir D. Frater Johannes Vicarius etc. eodem modo appellavit, ut supra, super impositione Procurationis quarti anni Legationis D. Legati. C. F. o.

N. 324.

1322 21 *Settembre Cividale.*

Reclamo di Odorlico Longo per rapine fatte a' di lui Massari da Raimondo della Torre Capitano di Tolmino.

Stefano da Cividale Not.

Die decima exeunte Septembri. D. Odorlicus Longus de Civitate requisivit semel, bis et tertio D. Raymundum de la Turre Capitaneum Tulmini[1], qui receperat securitatem ydoneam a Stephano et Personussa Preconibus de Tulmino, quod acceperunt et depredati fuerunt Massarios suos, et abstulerunt sibi tres equos,

septem boves et quadraginta capita bestiarum, et alias res mobiles rapuerunt, cum petat jus ab ipso quod de parendo juri respondeat usque ad cognitam rationem. Alioquin si certus ejus defectus, tenetur sibi dicta bona de hiis que obtinebit, seu sui massarii obtinebunt, restituere.

Actum in Civitate Austria, apud domum D. Philipponi Prepositi. Presentibus Tadeo Plebano S. Marie in Circhinitz, Magistro Jacobo Scolarum de Civitate, Artuico de Tulmino, et Petrussio q.m Salomonis de Burgo pontis testibus, et aliis. A. N. U. o.

N. 325.

1322 24 *Settembre Uruspergo*
Tregua tra Filippo de Portis e Filippo di Zuccula.

Stefano da Cividale Not.

Die VII. exeunte Septembri. Philippussius q.m D. Conradutii de Uruspergo, et Johannes q.m D. Virgilii de Civitate commorans in Uruspergo pro se, et eorum amicis ac sequacibus, ad requisitionem venerabilis viri D. Fratris Johannis Abbatis Rosacensis Reverendi in Christo Patris et D. D. Pagani Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, prorogavit ac fecit treguas Philippo de Portis, et Philippo q.m D. Ossalchi, et Gregorio ejus fratri pro se, eorumque amicis, ac sequacibus hinc ad festum S. Georgii proxime futuri, sub iisdem promis-

sionibus, penis, et obligationibus, juxta formam et modum treguarum factarum per dictum D. Patriarcham. Et ex nunc fide prestita manuali, nomine Sacramenti, promittentes, ac se obligantes cum obligatione omnium suorum bonorum.

Actum sub Castro Uruspergi. Presente D. Francisco nepote dicti D. Patriarche, Beltramo de Olzate, Johanne q.m Galangani, Stephano fratre D. Juliani, Gabriele notario, Meliorantia notario, Tadeo Plebano in Circhiniz testibus, et aliis.

Item eo die. Philippus q.m D. Johannis de Portis ad requisitionem dicti D. Vicarii pro se, suisque amicis, et sequacibus, supradicto Philippo q.m D. Ossalchi prorogavit treguas, ac fecit, et Philippuccio q.m D. Conradutii de Zuccula commoranti in Uruspergo pro se et suis amicis, juxta modum et formam predictos; et laudavit fide prestita manuali etc. cum obligatione omnium suorum bonorum.

Actum in Civitate Austria. In Palatio Patriarcali. Presentibus D. Paulo q.m D. Boyani, Fulchero de Savorgnano, Philippo q.m D. Quontii de Civitate, Guilielmo q.m Magistri Walteri, Nicolao Mussattino, et Antonio notario Civitatis, Gregorio fratre dicti Philippi, et Jacobo q.m Johannis Ottonelli testibus, et aliis. A. N. U. o.

N. 326.

1322 2 *Ottobre*
Vendita del Castello di Butrio.

Dall' Inventario di Odorico Susanna.

Castrum Budrii venditur per Dominos Ropretum, Matheum, et Jacobum de Budrio, Domino Pagano Patriarche, cujus possessionem adipiscitur D. Frater Johannes Abbas Rosacensis, Vicarius Patriarchalis, nuncio D. Federico de Savorgnano. C. P. c.

N. 327.

1322 13 *Ottobre Cividale*
Convenzione di Fulchero di Zucula e di Guecellone da Camino.

Stefano da Cividale Not.

Die decima tertia intrante Octubri. Nobilis vir D. Fulcherus de Zucula fecit, constituit, et ordinavit nobilem virum D. Manfredum de Purziliis, licet abscentem tanquam presentem, suum verum et certum nuncium, missum et procuratorem legitimum et specialem ad vocandum se fore solutum a magnifico et potenti viro D. Veccellono de Camino pro rata sibi contingente de soldo quod habere debet ab ipso D. Weccellono, et concordandum, pacta de fine et re-

missione faciendum, securitates prestandum et recipiendum, et generaliter ad omnia et singula faciendum, et liberaliter exercendum, que circa hujusmodi solemnem Concordiam actum, factum, gestum, seu procuratum fuerit in premissis et quolibet promissorum, quomodo si ipse personaliter interveniret etc. Promittens se ratum habiturum etc. cum obligatione etc.

Actum in Civitate Austria, apud domum Communis. Presentibus D. Girardo q.m D. Altrussini de Coneglano, Civitate commorante, Amideo q. Lupoldi Paternostri de Civitate, Turino de Florentia Civitate commorante, Petro notario filio Johannis magistri Scolarum de Civitate, Nicolao q.m Nodorigi de Civitate, et Guilielmo q.m Blasiole de Civitate testibus, et aliis. A. N. U. o.

N. 328.

1322 8 *Novembre Faedis.*
Pace fra Tommasutto di Cucagna e Vergendo d'Attems.

Lupo Not.

Nos Adalprettus de Cucania Arbiter et arbitrator, et amicabilis compositor litis et questionis, que vertebatur, et erat inter D. Thomasuttum de Cucania, filium olim D. Thomasii ex una parte, et D. Wargendum de Attems filium olim D. Janisi ex altera, occasione cujusdam equi concessi dicto D. Wargendo per dictum Thomasuttum, prout dicebatur, seu alia occasione quacumque, volumus et mandamus, arbitramur,

et sententialiter deffinimus, quod dicti Domini Thomasuttus et Wargendus sint, et esse debeant de cetero veri amici, et quod omnes habite offensiones, et concessiones facte inter eos usque ad hodiernum diem, sint casse et vane, et penitus nullius firmitatis. Item volumus, mandamus, et deffinimus, quod dictus D. Wargendus, occasione equi predicti, dicto D. Thomasutto solvat octo marchas monete Aquilegensis, minus quadraginta denariis ejusdem monete: medietas dicte pecunie in proximo Festo Purificationis S. Marie; residuum in proximo Festo S. Georgii immediate sequentis. Item volumus et mandamus, ut omnia supradicta inviolabiliter observentur, et hoc sub pena in compromisso contenta. A. N. U. o.

N. 329.

1322 14 *Novembre Tulmino.*
Inspezione al Ponte di Tolmino.

Stefano da Cividale Not.

Die xiv. Intrante Novembri, Jacobus Grammaticus de Civitate, tanquam procurator Petri de Cossiza massarii Nicolai Musattini, et procuratorio nomine predictorum, et Zirulinus de Civitate, se presentarunt supra pontem ultra Insontium, post Tolminum, versus S. Martinum, ante vesperas, et expectaverunt Henricum Notarium de Civitate, tanquam procuratorem magistri Jacobi muratoris de Premariaco. Ipso Jacobo non comparente, nec

dicto Henrico ejus procuratore usque ad horam cene ultra occasum solis, cum datus esset terminus per D. Vicarium de voluntate partium ad videndum si pons esset completus, et si sponde essent, ut pactum fuerat. Per infrascriptos homines diffinitum fuit per eorum Sacramentum, quod pons debebat tendi usque ad quamdam nucem, et lapis frangi, et facere lagum ibi: et ex utraque parte muri, in amplo deficiebat unus passus muri pro parte, sicut signatum fuit a principio pontis, nusquam factus fuerat per Nicolaum q.m Michaelis Pocharelli de villa Tulmini, qui pactum fecit hujusmodi: et sponde non erant usque ad illud prout ordinatum fuerat, nec expediebat immorare pontem, et sponde non tangebant neque usque ad Bragitum; in majori parte pontis me Stephano notario infrascripto mensurante, et per Stephanum preconem de Modrezza, et per Martinum calcificem de Calgino, per Andream filium Modressarii de Calgino, per Florianum juratum de Milz, per Martinum filium Modezii de Modrezo, et alios quam plures.

Actum supra dictum pontem. Presentibus Martino q.m Laurentii de Modreza, Mathia ejus fratre, Segna filio Thomasii de Modreza, jurio de Modreza filio Petri de Chinesia testibus, et aliis. A. N. U. o.

N. 330.

1322 17 *Novembre Cividale.*

Tregua tra Giacomo Zachagnino e Giacomo Canonico. Pietro da Grudignano Not.

Die XIV. exeunte Novembri. In Civitate Austria. Sub domo Communis. Presentibus D. Ulvino de Civi-

tate, Hendriolo de Venetiis commorante Civitate; Zannino de Civitate q.m Meynardi de Faganea, et aliis.

Jacobus, dictus Zachagninus de Travisio commorans cum Magistro Gerardo de Vicentia Canonico Civitatensi, fecit, solummodo pro sua parte, neque astringendo cum se amicos suos, in manibus D. Rucerii Gastaldionis Civitatis, Trevuas D. Jacobo de Travisio Canonico Civitatensi et amicis ejus, usque ad festum S. Georgii proxime venturum, secundum consuetudinem Trevuarum. A. N. U. o.

N. 331.

1322 26 *Novembre Cividale.*
Protesta del Gastaldo di Cividale contro le rappresaglie degli Udinesi.

Stafano da Cividale Not.

Die quinto exeunte Novembri. Discreto viro D. Rugerio de Madiis de Mediolano Gastaldioni Civitatis Austrie Aquilegensis Diocesis, supradictus Dominicus Nuncius ex parte D. Ugutionis Confalonerii et populi Civitatis Utini, dedit et presentavit literas subscripti tenoris, ut in supradicto Instrumento continetur, confecto manu Albrigetti Notarii de Utino. Quibus litteris receptis, dictus D. Gastaldio, respondit, quod dictum impedire non est sua jurisdictione, neque Ecclesie Aquilegensis, protestans ne dictum Commune Utini contra homines de Civitate Austria faciat rappresaleas, neque excessus.

Actum in Civitate Austria Aquilegensis Diocesis, ante Ecclesiam S. Johannis Baptiste. Presentibus D. Paulo q.m D. Boyani de Civitate Capitaneo Montisfalconis, Antonio notario de dicta Civitate, Turino de Florentia in dicta Civitate commorante, testibus, et aliis. A. N. U. o.

N. 332.

1322 22 *Decembre Udine.*
Vendita della Grazia del Vino.

Melioranza Can. P.

Die xxii. Decembris. In castro Utini, super Patriarchali palatio. Presentibus D. Mathia de Ragonea, Federico de Attems, Botto notario de Utino, Guilielmo dicto Bogognono hospitatore de Utino, et aliis.

Venerabiles viri Domini Frater Johannes Abbas Monasterii Rosacensis Vicarius, et Maternus de Opreno Canonicus Plebis de Buvulenta Camerarii, procuratores, et negotiorum gestores in solidum Reverendi in Christo Patris et D. Pagani Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, de voluntate, prout dicebant, D. Barofini Aquilegensis Canonici, Vicedomini ejusdem D. Patriarche et comprocuratoris eorum, procuratorio nomine dicti D. Patriarche, et pro ipso et Ecclesia Aquilegensi, dederunt, vendiderunt, et concesserunt discretis viris Cursio de Bardis de Florentia habitatori in Utino pro dimidietate, et Gabrieli de Cremona no-

tario et familiari ejusdem D. Patriarche predicti pro se et pro Benoardo, qui fuit de Justinopoli, et Bitholio de Urbino civibus Aquilegensibus, suisque heredibus pro alia dimidietate, Gratiam vini, quod de partibus Ystrie ad partes Forijulii, vigore litterarum que eidem D. Patriarche et Ecclesie Aquilegensi per D. Ducem et Commune Venetiarum conceduntur, ducitur, et duci consuevit libere et expedite: ac omne fructum, lucrum et emolumentum, quod ex ipsa Gratia percipi et haberi potest et consuevit, usque ad unum annum proximum et completum, ita quod ipsi emptores, aut alter eorum, aut factores sui possint et debeant, nomine dicti D. Patriarche et Ecclesie Aquilegensis, usque ad dictum tempus uti dicta Gratia vini, ac petere, colligere, exigere et habere omnem utilitatem, lucrum, commodum et profectum dicte Gratie, et ad ipsam Gratiam quomolibet spectantia, et que ex ipsa Gratia provenerint: et de dicta Gratia, et utilitate, et lucro facere quidquid voluerint, sine contradictione ipsius D. Patriarche, dictorum Procuratorum, et alterius cujuscumque persone. Promittentes dicti Procuratores, nomine quo supra, prefatis Cursio, et Gabrieli, suisque heredibus, sub ypotecha bonorum Patriarchatus Aquilegensis, Gratiam hujusmodi ab omni impedimento, aut briga manutenere, defendere, disbrigare, et concessionem hujusmodi nullo unquam tempore, quousque finita fuerit, revocare. Et pro predicta Gratia vini, utilitate, fructu, aut commodo promisserunt per se suosque heredes, et per pactum convenerunt dicti Cursius et Gabriel dare et solvere eidem D. Patriarche, aut ipsis Procuratoribus, aut cui mandaverint marchas ducentas octuaginta Aqui-

legensis monete infrascriptis terminis, vedelicet in proximo instanti festo Nativitatis Domini, libras mille denariorum Venetorum parvorum, et dimidietatem residui predicte quantitatis pecunie in proximo festo S. Johannis Baptiste, et reliquam dimidietatem in fine termini locationis predicte, cum omnibus dampnis, interesse, et espensis faciendis et sustinendis pro dicta pecunia a quolibet predictorum terminorum in antea petenda et exigenda. Pro quibus omnibus attendentis et observandis dicti Cursius et Gabriel obligaverunt eisdem procuratoribus, pro dicto D. Patriarcha et Ecclesia Aquilegensi recipientibus, omnia bona sua presentia et futura. Renuntiantes fori privilegio, et omni legum auxilio quibus contra premissa possent facere et venire. Hoc expresse adjecto inter partes predictas; quod si propter guerram, aut casum alium manifestum, dicta Gratia vini, infra dictum tempus, non curreret, aut impediretur casu quolibet, ita quod in cursu suo deficeret multum aut modicum, quod a tempore in quo non currerit, aut impedimentum hujusmodi duraverit, ipse D. Patriarcha aut Procuratores predicti teneantur et debeant, juxta arbitrium duorum bonorum virorum, unum videlicet pro qualibet parte eligendorum, ipsis emptoribus satisfacere de dampno et impedimento predicto quod recepissent in prefati spatio temporis, aut tantum de summa predicte pecunie dicto D. Patriarche aut Procuratoribus predictis solvende detrahere, quantum dampnificati essent predicti Cursius et Gabriel et socii. Promittentes insuper Procuratores predicti, nomine quo supra, ipsis Cursio et Gabrieli predicta omnia

et singula firma et rata habere et tenere, et non contra facere, aut venire aliqua ratione, ingenio, seu causa, sub obligatione omnium bonorum ipsius D. Patriarche et Patriarchatus Aquilegensis. Quibus sic peractis, supradicti Domini Procuratores D. Patriarche, procuratorio nomine quo supra, ibidem in presentia supradictorum testium contenti et confessi fuerunt se habuisse et manualiter recepisse a Cursio et Gabriele predictis mille libras denariorum Veronensium parvorum, dantibus et solventibus pro dicta Gratia vini, et pro termino primo Nativitatis Dominice. Renuntiantes exceptioni non sibi date, recepte, et in se habite dicte quantitatis pecunie, ac omni spei future numerationis et solutionis, doli, mali, et in factum, ac facientes eisdem Conductoribus de dictis mille libris finem, remissionem et quietationem omnimodam de amplius non petendo. C. F. o.

N: 333.

1323 *Tolmezzo.*

Rivoluzione in Tolmezzo.

Fabio Quinliliano Ermagora.

Anno a Partu Virginis 1323. Tulmetini tunc primum civilibus discordiis conflictari cepti sunt. Ancillotus enim et Johannes Bertoldi, nec non Federicus Candidus cum sibi præceteris civibus divitiarum copia affluere

viderentur, libertate abusi, tyrrannidem agere ceperunt, nactiqus plures quos egestas ad quodvis facinus impelleret, optimum quemque, qui eorum deperditos mores adversabatur, gravibus afficiebant injuriis, et eo usque eorum excreverat impudentia, ut vix ab honestioris vitæ mulieribus continerent indignas manus. Quam ob rem excitato repente universi populi tumultu, et in eos Tulmetinis irruentibus certatim, pluribus confodiuntur vulneribus, et cadavera diem noctemque insepulta jacuerunt, propinquis illorum iram populi metuentibus, nec humare audentibus. Sic parem meritis finem habuerunt ii, qui divinis, humanisque legibus posthabitis, Patriæ quietem turbare ausi fuerant. De Antiquitatibus Carneæ.

N. 334.

1323 21 *Gennajo Cividale.*

Investitura di Filippo de Portis di alcuni beni in Cussignacco.

Nicolò da Cividale Not.

Die XI. exeunte Januario. In Civitate Austria. In hospitio Quontionis hosterii de Civitate. Presentibus Mathiussio D. Heroldi de Brugnera, Gitardo et Pasino fratribus filiis q.m D. Aritrusini de Coneglano, Philippo q.m D. Ossalchi de Saciletto, et aliis.

D. Philippus q.m D. Johannis de Portis Civitatensis requisivit instanter D. Morandum de Purcilleis proviso-

rem et rectorem Ecclesie S. Stephani de Aquilegia, quatenus eum investire deberet de quodam manso sito in Cusignago prope Utinum, qui regitur per ... qui mansus est Feudum dicte Ecclesie S. Stephani de Aquilegia. Qui D. Morandus rector dicte Ecclesie S. Stephani investivit dictum D. Philippum de Portis de dicto manso cum Cirotechis suis, relaxans dicto D. Philippo prestare debitum Sacramentum, quod vassallus suo Domino facere consuevit, et debet. A. N. U. o.

N. 335.

1323 6 *Febrajo Varmo.*

Dono a Sposa novella sotto il titolo di Dismontaduris.

Lupo Not.

D. Odorlicus de Varmo filius D. Nicolai, nomine Dismontiduris, dedit D. Triutte filie D. Adalpretty de Cucania uxori sue, quemdam suum hominem de Masnata, qui vocatur Fedrichus, filius Baste de Forforeano, presente, volente, et consentiente D. Nicolao patre dicti D. Odorlici, cum eo jure et actione cum quo dictum Fedricum olim habuerat et tenuerat dictus D. Nicolaus pater dicti D. Odorlici. Presentibus D. Francisco de Derchano, Dominis Rizzardo et Odorlico fratribus de Cucania, D. Carismano dicto Bello de Savorgnano, Dominis Pagla et Articho fratribus de Varmo testibus, et aliis.

Actum in Varmo, sub porticu Domus D. Nicolai

M. CCC. XXIII. Indictione VI. die sexta intrante Februario. A. N. U. o.

N. 336.

1323 10 *Marzo Cividale.*

Corrado nipote dell' Abbate di Obremburch restituisce i Privilegi del Convento da lui involati e falsati.

Stefano da Cividale Not.

Die decimo intrante Martio. Coram venerabili viro D. Fratre Johanne Abbate Rosacensi Vicario Reverendi in Christo Patris et D. D. Pagani Dei gratia Patriarche Aquilegensis, Conradus nepos venerabilis viri D. Liupoldi Dei gratia Abbatis de Obriburch, recognovit se vere errasse, ac confessus fuit contra ipsum D. Abbatem de Obriburch, et Monasterium, ac Conventum ejusdem; et supplicavit ipsi D. Abbati de Obriburch, quod sibi debet petere, quod si in aliquo eum et dictum Monasterium offendit, et voluit pro se, suisque successoribus habere omnia instrumenta, Privilegia, vel litteras de bonis Budrii et domo de Civitate, si aliqua Privilegia, vel littere apparent in quibus reperiatur contra ipsos D. Abbatem, et Monasterium, et Conventum ab ipso Conrado adjuncta, confessus fuit idem D. Conradus esse falsa et futilia, et contra veritatem, per falsitatem ficta, hinc nullius esse valoris ac momenti, cogitans et videns se nullum jus habere contra ipsum D. Abbatem Patruum suum,

monasterium et Conventum, et veniam de commissis contra ipsos Dominos Abbatem de Obriburch, et Conventum petivit, et promisit, ac stetit omnia iustrumenta, Privilegia, vel litteras pertinentes ad dictum Monasterium hinc ad octavam Resurrectionis Domini proxime futuram libere restituere Fratri Jacobo q.m D. Boyani de Monasterio Ordinis Fratrum Predicatorum prope Civitatem, de mandato ipsius D. Abbatis de Obriburch ad hoc deputato, aut ipsi D. Abbati seu Conventui, sub pena quinquaginta librarum Veronensium parvulorum in singulis etc. cum obligatione omnium suorum bonorum.

Actum in Civitate Austrie, in Palatio Patriarchali. Presentibus Fratribus de S. Dominico de prope Civitatem, ipso Fratre Jacobo, Warnerio, Leodoico, D. Fulchero de Goritia Canonico Civitatensi, Francino de Curia ipsius D. Vicarii, et Johannino nepote ipsius D. Vicarii testibus, et aliis. A. N. U. o.

N. 337.

1323 15 *Marzo Cividale.*

Affitto della Gastaldia di Nevole.

Stefano da Cividale Not.

Die xv. intrante Martio. D. Baruffinus Canonicus Aquilegensis, et Vicedominus Aquilegensis dedit et investivit Amadeo q.m Lupoldi Paternostri de Civitate, Gastaldiam Nevule cum omnibus juribus ad ipsam Castal-

diam spectantibus, et Garictum, a festo S. Georgii proxime futuro, ad unum annum immediate sequentem. Qui juravit lando et sententia etc. Et jura Ecclesie Aquilegensis defendere, et ficta facere solvi etc.

Actum in Civitate Austrie. In palatio Patriarchali. Presentibus D. Fratre Johanne Vicario etc. Guidone de Manzano Decano Civitatis, D. Paulo de Civitate. Gabriele notario et aliis, pro foro quatuor marcharum denariorum Aquilegensium, quas dare promisit hinc ad festum Resurrectionis Domini proxime futurum. A. N. U. o.

N. 338.

1323 31 *Marzo Zuccula.*

Custodia del Castello di Zuccula.

Stefano da Cividale Not.

Die ultimo Martii. Nicolaus, qui fuit de Gallano, Custos Zuccule recepit Albertonum generum Chozeti de Civitate in suum fidelem, et familiarem, ac Custodem Zuccule his pactis et conditionibus; quod teneatur dictus Albertonus tam intus, quam extra in primo et magno ipsi Nicolao obedire, et non dare locum alicui persone, si casus mortis ac periculi ipsi Nicolao accedat, neque D. Patriarahe, neque Ecclesie Aquilegensi, neque alicui homini, sive dominabus, videlicet matri et sororibus q.m D. Fulcheri; et non dare alicui, et difendere, suo posse fideliter et legaliter cui de jure pervenerit; et quod non

daret alicui locum, donec ipse Domine dimisse fuerint, et personaliter erunt Civitate, et uxor Nicolai et filie erunt in domo Philippi q.m D. Quontii; et si tantum duraret quod questio non esset diffinita, et ipse Albertonus nolet observare, stare, et custodire locum Zuccule, debeat dare et assignare locum Zuccule Domine Catharine, et bonum Instrumentum fieri facere, quod Castrum observabit pro dictis Dominabus matre et sororibus: et quod D. Patriarcha teneatur providere de dampnis et expensis heredes, et facere permutationem de bonis suis Spegnimbergi in un bono loco ad voluntatem ipsius D. Philippi. Et non teneatur loqui alicui persone intra vel extra, et tractare contra ipsum, si non esset presens, aut de sua processerit voluntate, imo in omnibus primis et magnis fideliter custodire et observare. Et sic idem Albertonus juravit ad Sancta Dei Evangelia omnia predicta facere, et attendere, et observare fideliter, et legaliter.

Actum Zuccule ante portam Castri. Presentibus D. Philippo q.m D. Quontii, Gorzano de Colloreto, Laurentio filio Wargendi q.m Baruffaldini de Glemona, Trebessino de Glemona, Worlico Chozoni de Tricesimo, Nicolussio pellipario genero Chontii hospitis de Civitate, et Dionisio filio Bertaldi calcificis de porta Brossana testibus, et aliis. A. N. U. o.

N. 339.

1323 7 *Aprile.*

Il Patriarca Pagano co' suoi Torriani giunge in Monza.

Cronicon Modoetiense S. R. J. T. XII.

Porro illis diebus propter metum maledictionis, et excommunicationis Summi Pontificis, de Civitate et Comitatu tam Gibellinæ quam Guelficæ factionis in Modoetia infiniti venerunt in præsidio illorum qui erant ibi pro Romana Ecclesia: sic et de pluribus aliis civitatibus et terris Lombardiæ: et hoc quia a Religiosis viris prædicantibus, quod dantibus Consilium et favorem Mediolanensibus erat maledictio animæ et corporis: et præstantibus auxilium illis qui missi erant a summo Pontifice in Modoetia, erat absolutio pænæ et culpæ .... Paganus de la Turre Patriarcha Aquilegensis, Franciscus et Simonus fratres filii q.m Guidonis de la Turre, Muschinus et multi alii de la Turre, gloriose, cum magno apparatu amicorum suorum partis Guelfæ in Lombardia habentes secum ccc. milites et multos pedites, die septima mensis Aprilis applicuerunt, et gavisi sunt qui erant de illorum parte in adventu eorum.

N. 340.

1323 8 *Aprile Cividale.*

Il Vescovo di Concordia obliga una parte de' suoi beni onde trovar denaro per pagar al Pontefice le Collette.

Stefano Guglielmini Not.

Die octavo intrante Aprili. Civitate Austria, in camera domus D. Syuridi de Altemburch Civitatis Canonici. Presentibus venerabili viro D. Guidone Decano, magisto Gerardo Physico Canonico, et Guarnero Mansionario Ecclesie Civitatensis, Dominis Federico Plebano de Trivexio, et presbitero Antonio plebano de Laurenzagla Diocesis Concordiensis, presbitero Sithimino, et Simone Cazette de Civitate, et aliis.

Reverendus in Christo pater et D. D. Articus Dei gratia Concordiensis Episcopus recognoscens coram me notario et testibus inscriptis, quod pro suis necessitatibus sibi, et Ecclesie sue imminentibus, et precipue pro solutione tam Decime Papalis, quam collecte Reverendi in Christo patris et Domini Bertrandi, permissione divina, titulo S. Marcelli Diaconi Cardinalis, quod Amedeus de Civitate Austria Aquilegensis Diocesis natus q.m Lupoldi dicti Paternostri sibi mutuavit absque usuris, sive alio emolumento, trecentas libras parvorum, quam quidem pecunie quantitatem recognovit et confessus est D. Episcopus prelibatus coram me notario et testibus inscriptis, conversam fore in sui et Ecclesie sue, seu Episcopatus

sui evidentem utilitatem, causis et rationibus supradictis: pro qua quidem pecunie quantitate solvenda prefatus D. Episcopus eidem Amadeo bona infrascripta, videlicet omnes fructus, redditus et proventus cum copulatico, quos dictus D. Episcopus, nomine Episcopatus, in villa de Ovoleto Concordiensis Diocesis noscitur obtinere, garictu sanguinis, seu temporali jurisdictione, damtaxat exceptis, assignavit, et obligavit. Que quidem bona voluit idem D. Episcopus quod ipse Amadeus et heredes sui libere et pacifice habeant, teneant et possideant absque sui, aut alterius contradictione, donec per eum, aut ejus Successorem aut Successores de dicta pecunie summa ipsi Amadeo, aut suis heredibus fuerit integre satisfactum. In quorum omnium testimonium et evidentiam clariorem voluit et mandavit dictus D. Episcopus presens Instrumentum suo majori sigillo muniri. R. o.

N. 341.

1323 10 *Aprile Flambro.*

Questione per motivo de' Pascoli tra gli abitanti di Bertiolo e quelli di Ariottis, e sentenza in favore di questi ultimi.

Nicolò da Cividale Not.

Die decimo intrante Aprili. In platea de Flambri superiori. Presentibus Bertolotto de Civitate, Nicolao filio Pertoldi de Fagedis, Odorlico Notario de Castelletto; Artiniano, Nicolao Johannis, Gaimano, Nicolussio filio D.

Artici de Flambri, Pasiutto et Thomado judicibus de Flambri, Finello de Wuirch, Petro dicto Peroeno de Bratiullo, et aliis.

Coram D. Buyato de Cormono judice magnifici viri D. Henrici illustris Goritie et Tirolis Comitis, cui per dictum D. Comitem infrascripta questio fuerat commissa, ut dicebatur, continens ipsius D. Comitis litteras cum suo sigillo munitas, comparuit Meynardus q.m D. Henrici de Barbana pro se, et D. Reulo de Oberstayn, et homines, et Commune de Ariottis ex parte una, et D. Walrissa filius D. Nicolai de Varmo, et Henricus filius D. Artici de Varmo, et homines, et Commune de Bratiullo ex altera. Dicti Domini, et homines, et Commune de Bratiullo proposuerunt dicentes, quod D. Henricus Comes Goritie commiserat D. Johanni de Ragonia, et ipsi Buyato quamdam questionem pascui inter Commune de Ariottis, et Commune de Bratiullo, occasione unius pascui, seu paludi ultra Platiscam, infra dictas villas, versus solis occasum; et cum dictus D. Johannes non esset presens, protestabantur quod dictus Buyatus non poterat procedere sine dicto Johanne de Ragonia. Ad quod dictus Buyatus respondit, quod D. Comes Goritie dicto Buyato soli commiserat, et dixerat, et preceperat dicto Buyato quod ipse summarie audire, et videre debebat quale dictorum Communium, aut Commune de Bratiullo, aut Commune de Ariottis obtinuerat dictum pascuum, et secundum quod inveniebat investigando, ipse debebat procedere in predictis.

Item eodem die, loco et testibus. Dictus Meynardus, et homines, et Commune de Ariottis proposuerunt di-

centes, quod antea inter eos, et Commune de Bratiullo questio dicti pascui tam fuerat agitata, quod ipsi convicerant dictos homines et Commune de Bratiullo de dicto pascuo ultra Platiscam, versus occasum solis laudo et sententia mediante, ipsis hominibus et Commune de Bratiullo presentibus, et non contradicentibus coram D. Mausero de Aryes, et Artiniano de Wirco, qui gerebat vices D. Comoretti de Buya Castaldionis in Flambri. Quare cum dicta questio sit finita, petiverunt dicti homines et Commune de Ariottis quod dictus D. Buyatus debebat eos gaudere facere de dicto pascuo, si hec ostendebant. Qui homines, et Commune de Ariottis probaverunt ibidem questionem predictam per quoddam Instrumentum confectum manu mei Nicolai notarii de Civitate infrascripti, anno M.CCC.XXI. Indictione IV. nono intrante Octubri, et taxationem, et expensas de decem marchis denariorum Aquilegensis monete in quibus condempnati fuerunt homines et Commune de Bratiullo; ipsis hominibus et Commune de Ariottis per quoddam Instrumentum confectum manu Beachini notarii de Flambri sub anno Domini M.CCC.XXI. Indictione IV. die XIX. mensis Octubris. Et facta fide de termino per Peroenum Preconem de Bratiullo, habito Consilio dictorum Nicolai, Johannis, Gaymani, Pasiutti et Thomadi judicum de Flambri, et aliorum Sapientum, sententiatum fuit, quod dicta questio legitima erat; et bene, et legitime probata fuerat per dictos homines et Commune de Ariottis questio predicta, videlicet quomodo ipsi debent, et possunt pasculare, et secure uti dicto paludo, sive pascuo ultra Platiscam versus occasum solis una cum hominibus et Com-

mune Bratiulli, quo facto, dictus Buyatus precepit dicto Peroeno, ut precipiat hominibus et Communi de Bratiullo ex parte D. Comitis Goritie, cujus vices gerit in hac parte, ut non presumant aliquatenus molestare homines et Commune de Ariottis super dicto pascuo, sub pena ducentarum librarum Veronensium parvulorum pro qualibet vice etc. quam toties persolvent, quoties committent in ipsam etc. Cujus pene medietas cedat dicto D. Comiti, et alia medietas parti legem observanti. De dampnis et expensis, quas petebant homines de Ariottis per eos factas a presenti die questionis, dictus Buyatus sibi reservavit etc. A. N. U. o.

N. 342.

1323 21 *Giugno Udine.*

I Signori di Tricano promettono di restituire le cose tolte ad Antonio da Cividale, e ad Ottonello.

Stefano da Cividale Not.

Die decimo exeunte Junio. Coram Venerabili viro D. Fratre Johanne Abbate Rosacensi Vicario Reverendi in Christo patris et D. D. Pagani Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, D. Worlicus de Tricano inferiori pro quadam toleta, quam fecerat Massariis Antonii Notarii Civitatensis promisit, et stetit restituere ipsi magistro Antonio quinque armenta, sexdecim bestias minutas, unum asinum, et unam lanceam, et reliqua

alia accepta hinc ad festum S. Margarete proxime futurum, salvo pluri aut minori, et illud quod minus reperietur ad extimationem D. Francisci infrascripti. Pro quibus restituendis, precibus et instantia ipsius D. Worlici, extiterunt fidejussores pro rata D. Franciscus de Tricano, et Ropretus frater ipsius D. Worlici cum obligatione omnium suorum bonorum, tam presentium, quam futurorum.

Actum in Utino, in palatio Patriarchali, in sala inferiori. Presentibus nobili milite D. Artico de Pramperch, D. Federico de Pers, D. Napino de la Turre Civitate commorante, Benevenuto notario q.m Pantaleonis, Jacobo q.m D. Johannis Ottonelli, D. Ulvino de Canussio, Utinello et Zenitho de Civitate testibus, et aliis.

Item eisdem die, loco, et testibus. Prefatus D. Worlicus de Tricano fecit securitatem pro supradictis Dominis Francisco et Ropreto restituendi Ottonello de Civitate in manibus ipsius D. Vicarii omnia que acceperant massariis suis hinc ad festum S. Margarete proxime futurum, hac conditione, quod si reperiretur, et quod Massarii dicerent, ipsum D. Worlicum fecisse securitatem massariis suis violentia, vel timore, quod hujusmodi securitas debeat esse cassa, et vana; et si non reperiretur ipsum fecisse securitatem, quod presens securitas valeat, et teneat etc. A. N. U. o.

N. 343.

1323 29 *Luglio Udine.*
Tregua fra Paolo e Simone di Butrio e Filippo di Saciletto e Andalotto da Udine.

Nicolò da Cividale Not.

Die tertio exeunte Julio. In Utino, ante domum Consilii. Presentibus Ardemano q.^{m} Vitussi de Rubignacco, Maivicino hosterio de Utino, Fratre Leone de Bononia Utini commorante, Hermano de Belgrado, et aliis.

Paulus q.^{m} D. Hermani de Utino pro se, et Simone q.^{m} D. Hendrici de Budrio, et eorum amicis, fecit treguas in manibus Jacobi Davicini de Florentia commorantis Civitate, recipientis nomine D. Philippi q.^{m} D. Quontii de Civitate, Philippo q.^{m} D. Ossalchi de Saciletto et Andalotto scutario de Utino, et eorum amicis, usque ad Kalendas Septembris proxime venturas, secundum jus et consuetudinem treguarum. A. N. U. o.

N. 344.

1323 6 *Agosto Gorizia.*
Affittanza della Gastaldia di Carnia.

Stefano da Cividale Not.

Die sexto intrante Augusto. D. Henricus miles de Peuma, Albertus et Henricus Scribe D. Comitis de Go-

ritia, pro se suisque heredibus, dederunt et vendiderunt D. Johanni D. Adalpretti de Cucania ementi et recipienti pro se suisque heredibus, totam Castaldiam de Carnia cum omnibus juribus sibi pertinentibus, cum Muta, Garito, redditibus et proventibus, prout ipsi habebant a dicto D. Comite, a festo S. Marie de Monte proxime futuro, ad vigintiquatuor dies intrante Julio immediate sequentes: et hoc pro pretio et foro septingentarum marcharum denariorum Aquilegensium. De quibus marchis vocaverunt eis esse solutas ducentas marchas denariorum Aquilegensium. Ducentas et quinquaginta marchas denariorum promisit et stetit dictus D. Johannes dare et solvere cum obligatione omnium suorum bonorum, fide prestita manuali nomine Sacramenti, hinc ad festum Nativitatis proxime futurum, et residuum ad festum S. Georgii immediate sequentis in Goritia, dictis Dominis Henrico, Alberto et Henrico, aut alteri eorum, dum facta solutione, ab alio liberetur, eorumque heredibus, aut cui commiserint. Pro quibus hiis persolvendis, nomine ipsius D. Johannis, et pro ipso, pro rata nobiles viri D. Odorlicus de Cucania, Federicus miles Marescalcus dicti D. Comitis, Ropretus Suarcinicher, Rizzardus de Walvasono, Bernardus de Strassoldo, Wolvinus de Goritia, et Johannes dictus Chitira de Cero superiori, pro se suisque heredibus extiterunt predictis, aut alteri eorum inter dictos, legitimi fidejussores, dare et assignare predictis Creditoribus, aut alteri eorum inter dictos, fide prestita manuali, nomine Sacramenti, postquam fuerint requisiti, infra quindecim dies post hujusmodi terminos, pignora que valeant vendere Goritie, et

sua, vel aliorum pignora vendere more Theutonico, et denarios accipere ab usuris super eisdem: cedentes et dantes predicti venditores, dicto emptori recipienti, ut supra, omne jus et actionem realem et personalem, utilem et directam, tacitam et expressam, quod, aut quas habebant, aut videbantur habere adversus heredes et bonorum possessores ipsius q.^{m} D. Comitis, et ipsorum bona, et adversus quoscumque suos fidejussores, et propria bona que pertinere videbantur, aut videntur vigore Instrumentorum, Privilegiorum, seu litterarum ex predicta Castaldia Carnee, prout habebant et habuerant ab ipso q.^{m} D. Comite Goritie; et constituentes eum, procuratorem tanquam in re sua; ponentes eum in locum suum, ut, quodammodo suo nomine, possit agere, experiri, excipere, petere, replicare, consentire et statuere. Promittentes dicti venditores pro se, suisque heredibus et cum obligatione omnium suorum bonorum etc. ipsi Johanni emptori pro se, suisque heredibus, aut cui dederit recipienti, seu emptori, ab illis personis, quibus reperietur per eos fore datam, vel donatam, vel alio modo alienatam, legitime defendere, manutenere, auctorizare, ac in solidum disbrigare: et predicta omnia et singula in hoc instrumento contenta pro firma et rata habere, retinere, et non contra facere, aut venire sub pena dupli ejusdem de quo questio moveretur.

Actum Goritie prope Canipam, seu domum Danielis. Presentibus D. Fulchero de Goritia Canonico Civitatensi, Lappo de Goritia et Cero de Goritia, Galangano et Odorlico Siuridi de Civitate, et Francisco q.^{m}

Salomonis de Burgo pontis, Zambono notario de Goritia, et Clerico de Cucania testibus, et aliis. A. N. U. o.

N. 345.

1323 8 *Agosto Gemona.*

Compenso accordato a Corrado Snevich per un cavallo perduto combattendo in difesa di Premariacco.

Stefano da Cividale Not.

Die octavo intrante Augusto. Venerabilis vir D. Guido de Manzano Decanus Ecclesie Civitatensis pro se ipso, et Capitulo, ac eorum massariis, et Commune de Premariacco ex parte una, et Conradus Suevich, qui morabatur cum D. Henrico Comite Goritie pro se ipso et omnibus pertinentibus ad infrascriptam securitatem ex parte altera, de omni lite, et questione, et controversia quas movebat D. Conradus ipsi Decano, Capitulo et Massariis occasione unius equi perditi per Henzulinum fratrem ipsius Conradi tum cum fuerat custos Premariacchi tempore wuerre, et omnium dampnorum et expensarum exinde perpessarum, et omni alia questione ex his dependente, libere compromiserunt in Johannem Ribisinum de Civitate, et Henricum Nigrum de Cormons, tanquam in arbitros etc. promittentes habere firmum et ratum quidquid per ipsos arbitros etc. sententiatum fuerit hodie per totam diem, sub pena centum librarum Veronensium parvulorum. Et pro utraque parte extitit fidejussor Johannes Ribisinus predictus cum obligatione omnium suorum bonorum etc. Qui dicti arbitri illico pro bono pacis et concordie, ac de voluntate ipsarum par-

tium, sententiaverunt et ordinaverunt, quod dictus Conradus faciat finem et remissionem ipsi D. Decano nomine quo supra, ut fecit cum quodam baculo, de predictis omnibus et aliis que sibi dare vellet, salvis hiis que dare nolet. Item sententiaverunt et ordinaverunt quod dictus D. Decanus, nomine quo supra, det et solvat pro predictis ipsi Conrado Snevich infra quindecim dies proxime futuros quinque marchas denariorum solidorum, et omnia alia sint cassa et vana etc.

Actum in Ecclesia S. Albergi sub Glemona. Presentibus D. D. Bernardo Canonico Civitatensi, Missoto de Cormons, Nicolao de Glemona, Welo de Cormons, Esquino de Cormons, Adalpreto de Campelyo, Henrico de Manzano, et Gregorio q.m D. Glizoi de Civitate testibus, et aliis. A. N. U. o.

N. 346.

1323 13 *Agosto Faedis.*
I Signori di Cucagna vendono a Galangano Oste in Cividale la villa di Silisca.

Benvenuto q.m Corrado Not.

Die XIII. intrante Augusto. In villa de Fagedis, in Ecclesia S. Petri. Presentibus nobilibus viris Dominis Odorlico de Cucanea, Ghirardo ejus filio, Ginepretto notario de Walvasono, Jacobo filio olim Pellegrini stationarii Civitatis Austrie, Jachillo de villa de Fagedis servitore D. Odorlici de Cuchanea, presbitero Lupo de

Utino commorante in villa de Fagedis, Leonardo dicto Clerico de Cuchanea testibus, et aliis.

Nobiles viri Domini Odorlicus et Rizzardus fratres filii olim Simonis de Chucanea pro pretio et foro quinquaginta marcharum Aquilegensis monete, quod totum confessi et contenti fuerunt se habuisse ac integre recepisse a Galangano Ostio Civitatis filio olim Odorlici Siuridi de Civitate, Renuntiantes etc. per se suosque heredes vendiderunt, dederunt et tradiderunt eidem Galangano pro se suisque heredibus ementi et recipienti jure proprii, quamdam eorum villam sitam in Canali Tulmini, que nomine vocatur Silischa, cum omnibus mansis, et uno molendino et omnibus aliis pertinentiis ejusdem ville, cum campis pratis, silvis, pascuis etc. Promittentes prefati venditores dictam venditionem, omniaque et singula in hoc instrumento contenta, rata et firma habere perpetuo atque tenere: ipsamque villam cum mansis et aliis pertinentiis eidem Galangano et suis heredibus in ratione legitime defendere, manutenere, et wuarentare, ac in solidum disbrigare; nunquamque contra premissa et infrascripta etc. dicere, facere, aut venire etc. Sub pena dupli valoris dicte ville cum mansis et suis pertinentiis, minus quinque solidis Veronensium parvulorum. etc. Pro quibus etc. fidejussor extitit, et in rationem legitimam defensator, manutentor, et wuarentator etc. D. Odorlicus de Cuchanea; et nuncius tenute datus et assignatus fuit Leonardus Clericus testis superius nominatus. Constituentibus se tamen dictis venditoribus ipsius emptoris se precario nomine possidere dictam villam. A. N. U. o.

N. 347.

1323 13 *Agosto Udine.*
Rissa e reconciliazione di due Beneficiati.

Melioranza Can. P.

Die XIII. Augusti. In Castro Utini. In Patriarchali Curia. Presentibus presbitero Martino Capellano in Ecclesia Sanctorum Jacobi et Philippi de Utino, presbitero Bonisio de Grazzano Beneficiato in Ecclesia S. Laurentii de Castro Utini, Symone de Budrio, qui moratur in Castro Utini, Zuanono de Ossenago Domicello infrascripti D. Vicarii, et aliis.

Constitutis in presentia venerabilis viri D. Fratris Johannis Abbatis Rosacensis Vicarii Generalis Reverendi patris D. Pagani S. Sedis Aquilegensis Patriarche, presbitero Nicolussio de Utino Beneficiato ad altare S. Odorici in majori Ecclesia S. Marie de Utino, et presbitero Bonaventura Beneficiato in Ecclesia S. Marie de Castro Utini, ac facta pace ibidem inter ipsos de omni injuria, et rixa, ac offensione inter eos habitis, et remissione ac fine ad invicem unus alteri de omnibus antedictis, et prestito Sacramento per ipsum presbiterum Nicolussium, quod secundum conscientiam suam nesciebat, nec credebat, quod dictus presbiter Bonaventura fuisset cruentatus propter percussiones per ipsum presbiterum Nicolussium sibi factas, ac prestito Sacramento per presbiteros Martinum et Bonisium supradictos, quod crede-

bant ipsum verum secundum conscientiam bonam jurasse, idem D. Vicarius, auctoritate D. Patriarche qua fungitur, absolvit presbiterum Nicolussium supradictum a vinculo excommunicationis, quam incurrerat percutiendo cum pugno, presbiterum Bonaventuram, et ipsum restituit Ecclesiasticis Sacramentis, presente et consentiente ipso presbitero Bonaventura. C. F. o.

N. 348.

1323 29 *Agosto Cividale.*
Protesta del Vicario Patriarcale e del Vicedomino ai Burgravii di Laibach.

Stefano da Cividale Not.

Die tertio exeunte Augusto. Venerabiles viri D. Frater Johannes Abbas Rosacensis Vicarius D. Pagani Patriarche Aquilegensis, et Berofinus Vicedominus ejusdem Patriarche in presentia Ropreti et Jacobi de Venzono familiarium et servitorum Dominorum Jacobi et Nicolai Purgraviorum de Leybacho, quod cum ipsi debuissent solvisse pro Muta Scluse, quinto intrante Augusto proximo ducentas Marchas denariorum Aquilegensium, non solverunt in dicto termino, protestati fuerunt de dampnis et expensis, et interesse habitis et habendis occasione predicta; processuri contra ipsos et ipsorum bona, et personas, et suorum.

Actum in Civitate Austria. In Curia Patriarchali. Presentibus Valantino q.m Leonardo de Civitate, Nico-

lao Domine Biliarde de Civitate, et Salvio q.^m^ Gozi de Florentia Civitate commorante, et Guilielmo q.^m^ Visioli de Civitate testibus, et aliis. A. N. U. o.

N. 349.

1323 31 *Agosto Udine.*

Ordine al Gastaldo di Cividale di non opporsi alle determinazioni prese dal Comune di Torreano riguardo a Landuccio di detta Villa.

Benvenuto q.^m^ Corrado Not.

Frater Johannes Abbas Monasterii Rosacensis Reverendi in Christo patris et D. D. Pagani Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche Vicarius, discreto viro Ugoni Gastaldioni Civitatis salutem, et omne bonum.

Cum de antiqua et approbata cousuetudine ville de Toryano, Decanus predicte ville et Commune ejusdem cognoscere et determinare habeant de rappresaleis et de omnibus que ad vicinantiam spectare noscuntur, et juxta illam consuetudinem per ipsos determinatum sit, quod cum Landussius dicte ville quamdam de novo fecerit rappresaliam, seu sorapsam, ob quam causam ad removendam eamdem, contra dictum Landussium procedere procurabant, quibus ad petitionem dicti Landussii contradicis, quod quidem nobis extraneum videtur, cum de hiis, que inter vicinos fiunt per viciniam, non debeas te intromittere; discretioni tue mandamus, quatenus predictos Decanum et homines occasione predicta nullo

modo aggravare debeas, neque ipsos perturbare quod non faciant prout consueti sunt per viciniam facere.

Data Utini, die Ultimo Augusti VI. Indictione. A. N. U. o.

N. 350.

1323 2 *Settembre Udine.*
Reclamo di Federico di Pramperch al Vicario Patriarcale.

Nicolò da Cividale Not.

Die secundo intrante Octubri. In Utino; in sala inferiori Patriarchatus. Presentibus Dominis Reverendo Patre D. Artico Dei gratia Episcopo Concordiensi, Venerabili viro D. Hermanno Abbate Sextensi, D. Guidone Decano Civitatensi et Napino della Turre Canonico Aquilegensi, Odorlico de Cucanea, Hectore de Savorgnano, Odorlico et Johanne de Villalta, et aliis.

Nobilis vir D. Federicus miles de Pramperch constitutus in presentia venerabilis viri D. Johannis Abbatis Rosacensis Vicarii generalis Reverendi Patris D. Pagani Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, et Consiliariorum Forijulii datorum in Colloquio generali, proposuit querelando, quod D. Artuicus de Pramperch et fratres violenter occupaverant bona in Clusa dicti D. Federici, et receperant et intromiserant census, redditus et proventus suorum bonorum, et fecerant, et compulerant jurare eis obedientiam et fidelitatem homines de ma-

-snata dicti D. Federici. Quare petebat sibi jus et justitiam exhiberi, requirens dictum D. Vicarium semel, bis et tertio: alias intendebat habere recursum ad D. Regem Alamanie, aut ad Ducem Karinthie, aut ad D. Comitem Goritie, aut ad alios, prout melius pro justitia sibi videbitur expedire. A. N. U. o.

N. 351.

1323 3 *Settembre Udine.*
Restituzione di un Usurajo.

Melioranza Can. P.

Die tertia Septembris Utini: in domo habitationis infrascripti Zampolini. Presentibus presbitero Dominico dicto Fredato, Martino filio Petri de Senis, Federico notario, filio q.m D. Galvagni, Philippussio filio q.m Raineroti de Venzono, Guardino de Pergamo familiare D. Raynaldi de la Turre, et aliis.

Zampolinus de Senis guarentavit, dixit, et confessus fuit se fuisse et extitisse publicum et manifestum Usurarium, et octo marchas Aquilegensis monete et ultra habuisse, et extorsisse per usurariam pravitatem: et quia cognoscebat se ex hoc Deum graviter offendere, et peccati hujusmodi penitebat eundem, nec intendebat fenus, et crimen hujusmodi exercere ulterius, sed ab omni usurarum extorsione, et qualibet exactione illicita de cetero abstinere, per solempnem stipulationem promisit per se suosque heredes mihi notario infrascripto stipulanti et

recipienti nomine et vice venerabilis viri D. Fratris Johannis Abbatis Rosacensis Vicarii Reverendi Patris D. Pagani Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, ac omnium et singulorum quorum interest, aut intererit, predictas octo marchas, et generaliter omne id, et quidquid ultra ipse Zampolinus habuit et extorsit, seu eum habuisse et extorsisse per pravitatem usurariam poterit quolibet modo legittimo reperiri, solvere et integraliter restituere illis personis quibus fuerit ipsa restitutio facienda, et usuras de cetero non exigere, nec ullatenus exercere. Si autem predictis usuris non restitutis decesserit, voluit et mandavit, quod ipse usure et male ablata per eum hactenus extorte et extorta, per suos fidei commissarios aut heredes restituantur integraliter de bonis suis, illis personis quibus de jure restitui debebunt: et quod restitutio ipsa fiat coram dicto D. Patriarcha aut ejus Vicario, de plano, sine strepitu judicii, absque libello, omnique querimonia et querela, prout eidem D. Patriarche, aut ejus Vicario utile videbitur et salubre; non obstantibus Instrumentis aliquibus solutionis, seu finis et remissionis ab aliquo ei factis. Promisit etiam ipse Zampolinus reficere et restituere integraliter omnia dampna et expensas, que, aut quas quelibet pars cui interest aut intererit, fecerit aut sustinuerit in judicio seu extra pro predictis usuris repetendis et exigendis, quotiescumque ipse usure non fuerint per ipsum Zampolinum, aut ejus fideicommissarios seu heredes, ut promittitur, restitute, et contra predicta, aut predictorum aliquod non probant solutionem, finem, aut pactum, seu remissionem, neque aliquid aliud

allegare, aut proponere quominus predictarum usurarum, restitutio libera impediri valeat aut differri, nisi per publicum Instrumentum coram predicto D. Patriarcha seu Vicario ejus factum per bonum Notarium et legalem. Pro quibus quidem usuris plene restituendis et prescriptis omnibus et singulis firmiter attendendis, subscriptus Zampolinus mihi Notario, nomine quo supra stipulanti, obligavit, et obligata esse voluit omnia sua bona presentia et futura, que se constituit precario possidere usque ad satisfactionem plenariam omnium predictorum. Renuntians super hoc exceptioni doli, mali, et in factum, actioni et conditioni, sine causa, atque injusta causa, omni appellationi et appellationis remedio, literis impetratis et impetrandis per pactum, ac omnibus exceptionibus, privilegiis, beneficiis et juribus Canonicis et Civilibus, tacitis et expressis ipsi Zampulino, seu heredibus, aut Commissariis suis de jure aut de facto competentibus, aut competituris. Promisit insuper ipse Zampolinus, ac juravit corporaliter ad Sancta Dei Evangelia stare et parere mandatis Ecclesie et D. Patriarche predicti, seu ejus Vicarii antedicti, et omnia et singula a se promissa attendere et inviolabiliter observare, et non contra venire aliqua ratione, ingenio, sive causa. C. F. o.

N. 352.

1323 *4 Settembre Cividale.*

Ordine al Comune di Torreano di restituire a Landuccio le cose tolte.

Nicolò da Cividale Not.

Die quarto intrante Septembri. In Civitate Austria. In contrata S. Fraucisci, ante domum D. Lombardini

de la Turre. Presentibus Federico q.m Sclefonis de Prastento, Odorlico filio magistri Johannis de Mutina, et aliis.

Discretus vir D. Nicolaus Caniparius Civitatis D. Patriarche Aquilegensis ex parte venerabilis viri D. Johannis Abbatis Rosacensis et Vicarii generalis Reverendi patris et D. Pagani Dei gratia Aquilegensis Patriarche, precepit Mauro Radii Decano de Toryano in presentia Donardi Rudinarii et Artuici q.m Malfatti de Toryano, quatenus ipse Decanus, nec Commune Toryani se ingerere, aut intromittere debeant aliquatenus de monte Landussii de Toryano, quam secaverunt; et mandaverunt, usque ad cognitam rationem; nec non restituant omnia et singula que accepta fuerant per Commune et homines de Toryano supra dictum territorium, attendentes quod D. Vicarius prelibatus intendit eis de predictis facere justitie complementum. A. N. U. o.

N. 353.

1323 10 *Settembre Cividale.*
Il Vicario Patriarcale prende Landuccio di Torreano sotto la sua protezione.

Nicolò da Cividale Not.

Die decimo intrante Septembri, in Civitate Austria. In Curia Patriarchali. Presentibus D. D. Philippono de la Turre Preposito Ecclesie Civitatensis, Guidone de Manzano Decano dicte Ecclesie Civitatensis, D. D. Pau-

lo q.^{m} D. Boyani de Civitate, Philippo q.^{m} D. Quontii, Guilielmo nepote q.^{m} Magistri Walteri, Antonio Notario, Federico q.^{m} Sclefonis de Prastento, et aliis.

Venerabilis vir D. Johannes Abbas Rosacensis Vicarius generalis Reverendi in Christo Patris et D. Pagani Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, recepit Landussium de Toryano in suam protectionem, et tuitionem, et defensionem. Insuper precepit dicto Landussio, ut utatur libere super possessione montis sue in Toryano, accipiendo fenum et ligna dicte montis usque ad cognitam rationem, nec recedat a possessione sue montis. Et hoc fecit presentibus Mauro Radii Decano, et Leonardo Valeriani, Antonio Malfatti, et aliis. A. N. U. o.

N. 354.

1323 20 *Settembre Cividale.*

Feudo concesso da Giovanni di Castello a Valframo di Zuccola.

Stefano da Cividale Not.

Die undecimo exeunte Septembri. D. Johannes de Castello investivit D. Walframum de Zuccula de feudo quod habebat a domo sua, salvo jure suo, relaxans sibi fidelitatis Sacramentum, et quod infra xv. dies debeat dare in scriptis.

Actum in Civitate Austria, in domo Johannis Rubei. Presentibus D. Philippo de Portis de Civitate, Hen-

rico Chuzeta de Civitate, Candido q.m Thomatis de S. Petro, Nicolussio q.m Petri Arponis testibus, et aliis. A. N. U. o.

N. 355.

1323 24 *Settembre Cividale.*
Motivi per cui Guido di Manzano Decano di Cividale non può ricevere gli Ordini Sacri.

Stefano Guglielmini Not.

Die septimo exeunte Septembri. In Sacristia majori Ecclesie Civitatensis. Presentibus discretis viris Dominis Johanne Custode et Johanne Pertholdo Mansionario, Jacobo Pisapoco prebendario ejusdem Ecclesie, Mathiussio Diacono, et Boardiza Subdiacono, Magistro Francisco Physico de Mutina nunc Civitate morante, et aliis.

Venerabilis vir D. Guido Decanus Civitatis ibidem protestatus fuit et dixit, quod cum venerabilis pater D. Cantianus Dei gratia Episcopus Emonensis, Vicarius in Pontificalibus Reverendi in Christo patris et D. D. Pagani Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche non sit, nec aliquis alius Episcopus in provincia Forijulii ad recinendos Ordines Sacros instantibus quatuor Temporibus, seu etiam celebrandos; tum quia extra Forumjulium, propter capitales inimicitias quas habet, ut dixit, non andeat accedere, tum etiam quia est ad presens ea corporis infirmitate oppressus, prout idem Physicus ibidem asseruit affirmando, quod absque persone sue pe-

riculo et dampno gravi, Ordines Sacros suscipere non valeret, quod per eum non stabit, nec stat quominus dictos suscipiat Ordines. Unde protestando dixit, quod sibi nullum exinde volebat, nec debebat, nec poterat prejudicium aliqualiter generari. R. o.

N. 356.

1323 28 *Settembre Udine.*
Privilegio di fare e cuocere il pane al Patriarca in S. Paolo concesso a Nicolò Cavallino.

Melioranza Can. P.

Die tertio exeunte Septembri. In Castro Utini. In Curia Patriarchali. Presentibus Federico filio q.m D. Martini de la Turre, Nicolao dicto Nasito, filio olim Francisci Nasutti, Sygardo hospitatore de Utino, Rubeo Cursore, qui fuit de Alemania et habitat in Utino, et aliis.

Nicolaus Cavallinus filius q.m Laurentii de S. Paulo constitutus in presentia venerabilis viri D. Fratris Johannis Abbatis Monasterii Rosacensis Vicarii Reverendi patris D. Pagani Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, eidem D. Vicario humiliter supplicavit, quod cum quoddam feudum Ministerii faciendi et decoquendi panem D. Patriarche et ejus Curie, quando ipse D. Patriarcha est in S. Paulo, exciderit per mortem Laurentii filii q.m Martini Regis de S. Paulo, qui sine heredibus ex eo descendentibus decessit, et ipsi Nicolao, tamquam proximiori ejusdem Laurentii, rationabi-

liter debeatur, ipsum dignaretur de Feudo hujusmodi investire. Qui D. Vicarius dicti Nicolai petitionem rationabilem reputans, ipsum Nicolaum pro se et suis heredibus recipientem, nomine supradicti D. Patriarche et Successorum suorum, de jamdicto Feudo et juribus omnibus eidem feudo spectantibus, per fimbriam sue Clamydis investivit, jure ipsius D. Patriarche et Aquilegensis Ecclesie in omnibus semper salvo. C. F. o.

N. 357.

1323 11 *Ottobre Cividale.*
Il Vicario del Patriarca reclama i pegni rimasti presso agli Eredi di Dino da Firenze.

Stefano da Cividale Not.

Die undecimo intrante Octubri. Salvius q.^{m} Gozi de Florentia Civitate commorans, qui fuit frater Dyni, promisit et stetit venerabili viro D. Fratri Johanni Abbati Rosacensi Vicario Reverendi in Christo patris et D. D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, dare et assignare hinc ad festum S. Andree proxime futurum, pignora que reperta fuerunt in domo ipsius q.^{m} Dyni, seu ipsorum Capitale, quod ascendit quinquaginta una marcha denariorum Aquilegensium, salvo quadam tracta XIII. marcharum cum dimidia, quam dicebat factam ad petitionem et solutionem Turini et Bertoloti pro ficto domus, sub pena unius marche etc. Pro quibus extitit fidejussor Lottus

q.m Girardatii de Florentia, Civitate commorans, in parte et toto, cum obligatione omnium suorum bonorum. Preterea steterunt etiam omnia Instrumenta ad pecuniam exigendam ex instrumentis sibi consignare, aut pecuniam dare, aut eorum Creditorum notas demonstrare.

Actum in Civitate Austria. In palatio Patriarchali. Presentibus presbitero Nicolao Plebano Flambri, Franzino de Curia Patriarchali, Zannino familiare ipsius D. Vicarii, Luonardo Budino de Toryano, et Wera de Bultinico testibus, et aliis. A. N. U. o.

N. 358.

1323 26 *Ottobre Rosazzo.*

Beatrice Contessa di Gorizia conferma a Federico di Savorgnano la vendita di tre villaggi già fatta dal Conte Enrico suo marito Vicario Imperiale in Trevigi.

Francesco di Corno Not.

In Christi nomine amen. Anno Domini M.CCC.XXIII. Indictione VI. die quinto exeunte Octobre. Presentibus nobilibus viris Domino Ugone de Duino Comitatus Goritiensis et Terre Tarvisii Capitaneo Generali, D. Hughone de Hebristayn magistro Curie D. Comitisse Goritiensis infrascripte, Herberto de Nurisperch, Gerardo de Hebristayn militibus, Ostyl dicto Floyanse de Cormono, Alberto scriba D. Comitisse et Lippo de Goritia, D. Bernardo de Strassoldo, D. Francisco de Manzano, D.

Guischardo de Raspurch, Nicolao filio q.m D. Federici de Cormono, ... filio q.m D. Contadi de Cormono testibus, et aliis pluribus fide dignis.

Cum magnificus et potens vir q.m D. Henricus illustris Goritie et Tirolis Comes, Aquilegensis, Brixinensis et Tridentine Ecclesiarum Advocatus, Civitatis Tarvisii et ejus districtus pro Regia Majestate Vicarius generalis, pretio et foro trecentarum unius marcharum Solidorum denariorum per se suosque heredes fecisset datam, venditionem, et traditionem D. Federico de Savorgnano filio q.m D. Constantini de Utino pro se suisque heredibus recipienti, de Dominio, jurisdictione, jure, actione et advocatia, quod, et quam idem D. Comes habebat, seu visus extitit habere, et ipse et progenitores sui visi fuerunt habuisse de consuetudine, vel de jure in villis de Cussignacco, Predemano, et Terenzano, et in omnibus eorum pertinentiis jure recti et legalis pheudi ipsius D. Comitis, secundum quod contineri dicebatur in publicis Instrumentis, scriptis manu Henrici de Orzono ipsius D. Comitis Officialis et scribe, et Marchaboni Notarii de Tarvisio. Et cum idem D. Comes dare et solvere teneretur prefato D. Federico certas pecunie quantitates, et maxime mille sex libras Verouensium parvulorum, et solidos parvulorum tresdecim in una parte, pro quibus mille sex libris parvulorum, et solidis parvulorum tresdecim, nobiles viri Domini Odorlicus de Cucanea, Federicus de Hebristayn Mareschalcus ipsius D. Comitis, et Jacobus de Cormono milites extiterant fidejussores et obligati ad eundum Utinum in hosteria, seu hospitio, et ab inde non recedere, donec de ipsis mille sex libris Veronen-

sium parvulorum et solidis parvulorum tresdecim eidem D. Federico cum dampnis et expensis fuerit plenarie satisfactum; spectabilis D. Beatrix, illustris Comitissa Goritie et Tirolis, tanquam administratrix Comitatus Goritie, et bonorum magnifici viri D. Johannis Henrici Comitis Comitatus predicti, volens providere indempnitati dicti filii pro dictis trecentis una marchis solidorum, et pro predictis mille sex libris Veronensium parvulorum, et solidis parvulorum tresdecim, quod quidem pretium capit in summa marchas quadringentas viginti sex, Fortonos tres solidorum, et solidos tresdecim pro se, et nomine, et vice dicti filii sui, fecit datam, venditionem et traditionem eidem D. Federico pro se suisque heredibus ementi et recipienti, de dominio et jurisdictione, jure, actione et advocatia, quod et quam progenitores filii sui habuerunt, seu pater suus habuit, vel visus fuit habuisse in villis de Predemano, Cussignacco et Terenzano, et eorum pertinentiis, jure recti et legalis Pheudi filii sui, ad habendum etc. hoc salvo, quod si in dictis villis, vel aliqua earum, et ipsarum pertinentiis maleficium aliquod committeretur, pro quo quis deberet in persona puniri, tunc ipse D. Federicus, vel ejus heredes, aut ejus Officialis, vel Gastaldio, malefactorem hujusmodi extra villam dare et consignare per cingulum debeat dicto D. Comiti, vel suis heredibus, vel ipsius, aut ipsorum Officiali, sive Gastaldioni de Flaunbri ab eodem, ut justum fuerit, puniendum. Promittens prefata D. Comitissa etc. predictam traditionem etc. firmam habere etc. sub obligatione etc. Et quod Serenissimus vir D. Henricus Bohemie et Polonie Rex, Carinthie et Tirolis Comes, et qui-

cumque fiet tutor vel administrator dicti filii sui, predictas venditiones factas tam per predictum D. Henricum Comitem Goritie, quam per ipsam, laudabit, ratificabit, et approbavit.

Acta sunt hec in Monasterio Rosacensi, in Choro Ecclesie predicti Monasterii, ante aram S. Petri.

Et ego Franciscus filius Pellegrini de Cornu Imperiali auctoritate Notarius predictis omnibus interfui, et rogatus scripsi.

Nos Henricus Dei gratia Bohemie et Polonie Rex, Carinthie Dux, Tirolis et Goritie Comes notificamus universis presentes inspecturis, quod nos, tanquam Tutor, et tutorio nomine Patruelis nostri dilecti Johannis Henrici spectabilis Comitis Goritie, venditiones, pignorationes et ratificationes, quas quondam Patruus noster dilectus Henricus spectabilis Goritie Comes, sive Matertera nostra dilecta Beatrix illustris Comitissa ibidem sua conthoralis fecerunt Federico de Savorgnano filio q.^m Constanti ni de Dominio, jurisdictione et advocatia Villarum Predemani, Cussignaci et Terenzani cum omnibus eorum pertinentiis, prout continetur publicis Instrumentis scriptis per Henricum notarium de Orzono, Officialem et Scribam dicti q.^m Patrui nostri, Marchabonum notarium de Tarvisio, et Franciscum notarium de Cornu, seu alios, eidem Federico ratificamus, et approbamus, seu auctoritate presentium confirmamus, dantes ei presentes litteras nostro sigillo munitas in testimonium super eo.

Datum Goritie, die XIII. Maii Septime Indictionis M.CCC.XXIV. C. P. c.

N. 359.

1323 12 *Novembre Aquileja.*

Iscrizione che leggesi su di una lapida incastrata nel muro del Palazzo Comunale di Aquileja.

Bertoli N. 561.

M. CCC. XXIII. Indictione VI. XII. mensis Novembris, tempore Reverendi Patris D. Pagani de la Turre, S. Sedis Aquilegensis Patriarche, sub regimine D. Corradi de Mediolano Potestatis Civitatis Aquilegie, et discreto viro Federico q.m D. Picossii de Aquilegia, tunc Camerarii Communis dicte Civitatis exercentis Officium dicti Communis, hoc Palatium inceptum et edificatum extitit, Altissimi gratia Creatoris. Amen.

N. 360.

1323 23 *Novembre.*

Collette pagate dalle Chiese della Carintia e Carniola soggette al Patriarcato.

Melioranza Can. P.

Anno Domini M.CCC.XXIII. In die S. Clementis imposita fuit Procuratio Reverendi Patris D. Bertrandi ti-

tulo S. Marcelli Presbiteri Cardinalis, Apostolice Sedis Ledis Legati pro anno quarto sue Legationis. In Carniola et Marchia Marche LXXXV. et dimidia, et denarii XXXVI. Aquilegensium novorum.

Archidiaconatus Carniole et Marchie.

Prepositura in Insula -	- Marc. VIII. novorum.
Goriacus - - -	- Marc. dimidia.
Radmansdorf - -	- Marc. media denar. XL.
Mosnach - - -	- denarios LX.
Nackel - - -	- tres Fertones.
S. Martinus - -	- Marc. duas cum dimidia.
Chramburch - -	- Marc. IV.
S. Georgius - -	- Denar. XL.
Michelsteten - -	- March. II.
Cirklach - - -	- Marc. IV.
S. Petrus - -	- Marc. IV.
Stayn - - -	- Marc. duas cum dimidia.
Aych - - -	- Denar. LX.
Menguspurch - -	- Marc. VII.
Morawez - - -	- March. media.
Laybacus - - -	- Marc. IX.
Cruciferi in Laybaco -	- Marc. due cum dimidia.
S. Vitus supra Laybacum	- Fertones III.
Cower - - -	- Marc. media.
Lok - - -	- Marc. VII.
Wipacus - - -	- Marc. II.
Zirknitz - - -	- Marc. III.
Los - - -	- Marc. II. cum dimidia.

Freunrez - - -	- Marc. III.
Harlant - - -	- Marc. I.
Sytik - - -	- Marc. VII.
S. Vitus - - -	- Marc. IV. et Denar. XL.
Treffen - - -	- Marc. II.
Dovernik - -	- Marc. II.
Honkstain - -	- Marc. I. et Den. XL.
S. Michael - -	- Denar. XL.
S. Rupertus - -	- Marc. I. et media.
Nassenfuos - -	- Marc. media.
Alba Ecclesia - -	- Marc. II. cum dimidia.
Gurkveld - -	- Fertonos III.
S. Crux - - -	- Marc. media.
Claustrum in Lanstrost	- Marcham una.
Capella in Lanstrost -	- Marc. media.
S. Bartholomeus -	- Marc. media.
Czerneomel - -	- Marc. I. et dimidia.
Awa - - -	- Marc. I.
Sicherberch - -	- Marc. media.
S. Georgius - -	- Marc. media.

Anno et Indictione suprascriptis. In Archidiaconatu Seunie per Collectam Procurationis dicti D. Legati imposite et distribute fuerunt Marche LVI. et Denarii LXX. novorum Aquilegensium cum justis et moderatis expensis per impositores ad hoc deputatos.

Archidiaconatus Seunie.

Prior de Seytz Ordinis Carturiensis - -	- Marc. VI. et dimidia.

Prior de Gyrio ejusdem Ordinis - - - Marc. IV.
Prior de Studenitz Ordinis Predicatorum - - Marc. IV. et denar. XL.
Commendarius domus in Harlenstain Ordinis Hospitalis - - - - Marc. dimidia.
Monasterium Obremburgense - Marc. XIII. et dimidia.
Plebes in Chotz - - Marc. III.
Plebes in Tyver - - Marc. III.
Plebes in Gonwitz - - Marc. III.
Plebes in Scharlach quam tenet D. Abbas Obremburgensis - - - Marc. III.
Plebes de Peylenstayn - Marc. II. et dimidia.
Plebes de Wraslau - - Marc. I. et Fertones III.
Plebes de Saxenveld - - Marc. I. et Fertones III.
Plebes de Sleuntz - - Marc. I. et Fertones III.
Nova Ecclesia - - - Marc. I. et Fertones III.
Plebes in Rohatz - - Marc. I. cum dimidia.
Plebes S. Ruperti prope Savam - - - Marc. I. et Denar. XL.
Plebes de Scherfenberch - Marc. I. et Denar. XL.
Plebes de Pomkel - - Marc. I.
Capella S. Georgii in Gotemdorf, et Capella S. Laurentii in ponte, quelibet ipsarum - - - Fertones III.
Capellani in Pulscau et Scalek quilibet - - Marc. dimidia.

Et facta est hec impositio ad novos.

Archidiaconatus Carinthie.

Anno et Indictione predictis. In Archidiaconatu Carinthie per Collectam predictam imposite et distribute fuerunt, sicut inferius continetur, marche LXXXV. cum dimidia et Frixachenses XXXVI. novorum.

Primo D. Prepositus de Juna - -	March. XV.
Plebanus in Wertenstain - -	Marc. XII. Aquilegenses veteres.
Plebes S. Martini prope Windisgraz -	Marc. IV.
Plebes S. Pangratii in Windisgraz - -	Marc. VII. Solidorum et Denar. LX.
Plebes in Saldenhofen - - -	Marc. III. et Denar. XXXII.
Plebes in Rinbenperge - -	Talentum I.
Plebanus in Pleyburga - - - -	Marc. VII. et Denar. LXIV.
Plebes in Clobazniz superiori - -	Talentum I.
Plebes in inferiori Clobazniz - -	Marc. II.
Plebes in Stayn et Canonici ibidem -	Marc. IV.
Plebes in Morclicho -	Talentum I. et Denar. VIII.
Plebes in Capella -	Marc. III.
Plebes in Ras -	Talentum I.
Plebes in Rarseke -	Marc. II. et Denar. LXIV.

Plebes S. Martini prope Villacum	- Marc. III. et Denar. XXXII.
Plebes in Villaco	- Marc. V.
Plebes S. Petri	- Marc. III.
Abbas de Arnolstain	- Marc. VIII.
Plebes in Fuernz	- Marc. I.
Plebes S. Stephani	- Talentum I. et Denar. XVI.
Plebes S. Hermacore	- Marc. III.
Plebes in Eke	- - - - - -
Plebes S. Danielis	- Marc. IV.
Plebes in Choembrich	- Marc. IV.
Canonici S. Paterniani	- Marc. II. et Denar. LXIX.
Plebes in Veustriz	- Marc. III.
Plebes in Reutlemsdorf - -	- Talentum I. et Denar. VIII.
Plebes in Circhpach	- Talentum I.
Plebes in Lint	- Marc. IV.
Plebes in Paltramsdorf - -	- Talentum I. et Denar. XVI.
Plebes in Tristach	- Marc. II.
Plebes S. Michaelis prope Gillam	- Marc. I.

B. V. U. o.

N. 361.

1323 26 Dicembre Aquileja.

Il Vicario del Patriarca ordina che sia sospesa la vendita all' incanto dei beni lasciati da Nicolò detto Lupo da Cividale.

Benvenuto q.m Corrado Not.

Johannes Abbas monasterii Rosacensis Reverendi Patris et D. Pagani Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche Vicarius, discretis viris Castaldioni, Consilio, et Communi Civitatis, salutem in Domino.

Fuit nobis expositum pro parte Commissariorum q.m D. Nicolai dicti Lupi de Civitate, quod vos bona sua immobilia, que ipse in suo testamento pro anima, et ad pias causas legavit, factis incantari per nuntium vestrum, seu preconem, et vultis ea vendi facere pro quibusdam condempnationibus olim per vos factis et Commune contra dictum q.m Nicolaum et Asquinum ejus fratrem, vigore quorundam Statutorum vestrorum, in quas, ipsos pro certis excessibus per eosdem perpetratis, dicitis incurrisse. Nolentes igitur quod persone, seu sacra loca, quibus dicta bona fuerunt amore Dei legata, eorum jure in aliquo defraudentur, nec et vos, si in jure eritis potiores, devotioni vestre districte precipiendo mandamus, quatenus a dicto incantu desistere atque cessare velitis, donec ad

vos personaliter veniemus, Deo dante, in brevi; in predictis facturi quod justitiam non defraudetur, sed gaudeat jure suo. Mandamus et tibi Gastaldioni in speciali precipiendo, quatenus non permittas ipsa bona vendi usque ad adventum nostrum, qui, prout diximus, erit, in brevi; et si tibi videbitur facias proclamari quod aliquis dicta bona emere non presumat, donec per sententiam, sive justitiam cognoscetur quid de jure de dictis bonis sit faciendum.

Datum Aquilegie, in Patriarchali Palatio, die vi. exeunte decembri, vii. indictione. A. N. U. o.

N. 362.

1323 28 *Dicembre Cividale.*

Manumissione di Filippo da Cividale.

Nicolò da Cividale Not.

Anno м. ccc. xxiv. Indictione vii. Die quarta exeunte Decembri. In Ecclesia S. Marie, majoris Ecclesie Civitatensis. Presentibus D. D. Fulchero de Savorgnano, Paulo q.m D. Boyani de Civitate, Adalpreto q.m D. Jacobi de Campelyo, Guilielmo nepote magistri Walteri de Civitate, Hernisto q.m D. Guilielmi de Wisinich, Nicolao q.m Leonarducii de Fagedis, Johanne q.m Covatti de Civitate, Symone q.m Nasinguerre de Rubignacho, et aliis.

Odorlicus filius q.m Siuridi de Budrio per se,

suosque herèdes, nomine irrevocabilis donationis, que dicitur inter vivos, et pro remedio anime sue et suorum antecessorum, dedit et donavit libere et absolute Philippum filium Aldini de Civitate et filium q.^m^ Paulisse de Glemona, Ecclesie Aquilegensi cum omnibus suis filiis masculis et feminis, natis et nasciturіs: ita quod dictus Philippus et sui heredes nati et nascituri possint vendere, emere, testari, contrahere, et pacisci, tanquam homo legitime Aquilegensis Ecclesie in omnibus et per omnia, cum omnibus suis bonis et peculio etc. Promittens dictam donationem et omnia supradicta et infrascripta firma et rata habere, et tenere sub pena sexdecim marcharum puri auri, que toties persolvatur etc. cum omni melioramento. Dans sibi dictum Hernistum in nuntium tenute, qui dictum Philippum ponat in tenutam.

Item eo die, in Ecclesia predicta ante altare majus S. Marie, in Missarum solempniis: presentibus dictis Nicolao q.^m^ Leonarducii de Civitate, Johanne q.^m^ Covatti, Symone q.^m^ Nasinguerre de Rubignacho, et aliis. Predictus Hernistus nuncius deputatus, ut supra dicitur, adiens ad altare S. Marie de Civitate predictum, dictum Philippum posuit et reduxit in tenutam libertatis Ecclesie Aquilegensis, eum offerens ad altare, prout in talibus fieri consuevit. Qui Philippus dictam possessionem animo et corpore est adeptus etc. cum omni melioramento. A. N. U. o.

N. 363.

1323 29 *Dicembre Cividale.*

Giuramento di un Giocatore.

Stefano da Cividale Not.

Dic tertio exeunte Decembri. D. Floridus Canonicus Civitatensis et Archidiaconus Concordiensis, filius D. Johannis de Pertinstayn, juravit corporaliter ad Sancta Dei Evangelia super Altare S. Nicolai in Ecclesia S. Johannis Baptiste, a die Festi Nativitatis Domini proxime elapsi, ad viginti annos proxime sequentes, ad petitionem D. Pauli q.m Boyani de Civitate non ludere, neque ludi facere per se ad taxillos, usque ad dictum terminum: ita tamen quod valeat ludere pro duobus denariis, seu uno pari Cirotecarum ad tabulas, et pro vino cum societate, sine fraude, non tamen pro concordia... Et si ludet, ut supra est expressum, cadat in penam centum librarum Veronensium parvulorum ipsi D. Paulo; et si ipse D. Paulus non exiget penam centum librarum, ut supra dicitur, ut eam incurreret ludendo, cadat ipse D. Paulus si non exigeret, in penam ducentarum librarum Veronensium parvulorum, non in dolo, metu, neque ulla carta se obligando ad predicta.

Actum in Civitate Austria. In Ecclesia S. Johannis Baptiste. Presentibus Dominis Tramontano Ca-

nonico Civitatensi, presbitero Hermachora titulario in Campelio, Gregorio q.^{m} D. Ossalchi de Saciletto de Civitate, Nicolao q.^{m} Magistri Raynaldi calcificis de Civitate testibus, et aliis. A. N. U. o.

N. 364.

1323. 31 *Dicembre Aquileja.*

Locazione della Grazia del Vino.

Melioranza Can. P.

Die ultimo Decembris. Aquilegie, super Patriarchali palatio. Presentibus Johanne de Confaloneriis de Mediolano familiare D. Abbatisse sororis infrascripti D. Patriarche, Johannolo de Conçoretio familiare infrascripti D. Abbatis, Conrado de Casali districtu Mediolanensi, et aliis.

Venerabilis vir D. Frater Johannes Abbas Monasterii Rosacensis Vicarius Reverendi Patris D. Pagani Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensi Patriarche pro ipso D. Patriarcha, et pro Ecclesia Aquilegensi dedit, vendidit, et concessit discretis viris magistro Johanni Physico de Aquilegia, Bertolino de Aquilegia, Urbino et Johanni q.^{m} Raynerii de Florentia civibus Aquilegie recipientibus pro se et quibusdam eorum sociis, Gratiam vini quod de partibus Ystrie ad partes Forojulii, vigore literarum que eidem D. Patriarche et Ecclesie Aquilegensi per D. Ducem et Commune Vene-

tiarum conceduntur, ducitur, et duci consuevit libere et expedite, et omnem fructum, lucrum et emolumentum quod ex ipsa Gratia percipi et haberi potest et convenit usque ad unum annum proximum et completum, ita quod ipsi emptores, aut alter eorum, aut factores sui possint et debeant, nomine dicti D. Patriarche et Ecclesie Aquilegensis, usque ad dictum tempus uti dicta Gratia vini, ac petere, colligere, exigere, et habere omnem utilitatem, lucrum, commodum et profectum dicte Gratie, et ad ipsam gratiam quelibet spectantia, et que ex ipsa Gratia proveniunt, et de dicta Gratia, utilitate, et commodo, et lucro facere quidquid voluerint, sine contradictione ipsius D. Patriarche, et D. Vicarii supradicti, aut alterius cujuscumque persone. Promittens dictus D. Vicarius, nomine quo supra, prefatis magistro Johanni, Bertolino et Johanni, suisque heredibus, sub ypotecha bonorum Patriarchatus Aquilegensis, Gratiam hujusmodi ab omni impedimento, aut briga manutenere, defendere et disbrigare; et concessionem hujusmodi nullo unquam tempore, quousque finita fuerit, revocare. Et pro predicta Gratia vini, utilitate, et fructu, et commodo promiserunt per se, suosque heredes, et per pactum convenerunt dicti magister Johannes, Bertolinus et Johannes dare et solvere eidem D. Patriarche, aut ipsi D. Abbati, seu Vicario, aut cui mandaverint Marchas ducentas sexaginta Aquilegensis monete; videlicet mille libras Veronensium parvulorum in presenti, et dimidietatem residui predicte quantitatis pecunie in proximo festo Assumptionis B. Marie, et reliquam dimidietatem in fine termini locationis predicte,

cum omnibus dampnis, interesse, et expensis faciendis et sustinendis pro dicta pecunia a quolibet dictorum terminorum in antea petenda et exigenda. Pro quibus omnibus attendendis et firmiter observandis etc. A. N. U. o.

N. 365.

1324 1. *Gennajo Aquileja.*

La Decima del Monastero Maggiore di Aquileja è dal Collettore Pontificio, dietro instanza di quelle Monacke, ridotta a dieci Marche annue.

Melioranza Can. P.

Die primo Januarii. In Capitulo Majoris Monasterii S. Marie de Aquileja. Presentibus D. Fratre Johanne Abbate Rosacensi Vicario Reverendi Patris D. Pagani S. Sedis Aquilegensis Patriarche, D. Francisco Plebano Murutii, D. Presbitero Bernardo de Villa, Neumansensis Diocesis, notario infrascripti D. Petri, Francisco de Brambate de Mediolano, qui moratur in Utino, et aliis.

Religiosa Domina, Domina Rustigella Abbatissa Monasterii antedicti cum sua Priora et quampluribus Dominabus, seu Monialibus dicti Monasterii constitute in presentia venerabilis viri D. Petri Alrici Canonici Mimatensis generalis Collectoris Decimarum et fructuum Sanctissimi Patris D. Johannis Pape xxII. in Patriarchatibus Aquilegensi et Gradensi, cum idem D. Petrus eamdem D. Abbatissam impeteret, et suis petitionibus molestaret petendo

Decimam de fructibus et redditibus ipsius Monasterii, secundum existimationem antiquitus factam de fructibus et redditibus antedictis; prefata D. Abbatissa non valens, ut ibidem cum lacrimarum effusione asserebat constanter cum sua Priora et dominabus ibidem presentibus, petitioni ipsius D. Petri satisfacere, et dicens Decimam ipsam fuisse solutam temporibus et terminis preteritis a predicto Monasterio juxta possibilitatem et statum dicti Monasterii, cum ipsum Monasterium non sit in statu et valore sicut existimatio sonat, tum propter multa debita ipsius loci, tum propter guerras, tum propter Advocatiam, quam Comitatus Goritie habet super bonis dicti Monasterii, cujus Officiales, et Servitores, et complures Forojulienses sepe et sepius massarios et colonos ipsius Monasterii eorum bonis et animalibus spoliant et derobant; propter quas spoliationes et gravamina quamplures ex Massariis supradicti Monasterii, Mansos et terras dimiserunt incultas, et Monasterium perdidit ipsorum mansorum affictus: tum etiam propter magnas expensas quas dictus locus sustinet in provisione victus multarum Dominarum existentium in ipso loco, quibus non potest etiam necessaria ministrare, ut decet, sed oportet eas pro majori parte vivere de labore manuum suarum. Que omnia supradicta D. Abbatissa, ac Priora, et plures alie Domine ipsius Monasterii nobiles et potiores juraverunt, tactis Sacrosanctis Evangeliis, coram supradicto D. Collectore, et testibus antedictis, esse vera; supplicantes humiliter eidem Domino Collectori, ut dictum Monasterium pro Decimis preteriti temporis non gravaret, neque molestaret; cum solvis-

sent pro Decima octo Marchas monete Aquilegensis, juxta, et ultra possibilitatem ipsius loci, propter causas supra notatas, et alias non expressas. Quibus oneribus, gravaminibus et necessitatibus prefati Monasterii per eumdem D. Petrum Collectorem intellectis et diligenter examinatis, idem D. Collector zelo equitatis et compassionis motus, ipsam D. Abbatissam et ejus locum absolutum esse voluit; et ibidem coram me notario et testibus supradictis ab omni residuo, seu solutione Decime, que ab ipsa, seu a suo Monasterio peti posset, aut exigi usque ad diem presentem pro tempore sexennalis et triennalis Decime, ultra octo Marchas solutas in anno pro ipso Monasterio, ut asserebant, volens et mandans quod de cetero dictum Monasterium pro decima, que erit imposita, solvat, et solvere teneatur decem marchas monete Aquilegensis, quolibet anno. A. N. U. o.

N. 366.

1324 *9 Gennajo Gemona.*

Dono fatto alla Sposa nell' entrar in casa dello Sposo.

*Stefano **Romano Valconio** Not.*

M. CCC. XXIV. Indictione VII. die IX. intrante Januario. Presentibus D. Henrico milite de Pramperch, Hermanno notario, Blasio ejus fratre de Glemona, Guilielmo q.^{m} Jacomini, Simmino q.^{m} Biachini de Glemona, et aliis pluribus.

Cum Ottolinus dictus Virt de Glemona uxorem suam Suonimburg conduceret domum; ad introitum domus, nomine Dismontaduris, dictus Ottolinus dedit eidem sue uxori unum egistum, qui preciatus fuit valere viginti quinque soldos Grossorum, quos habere debuerat super bonis Ottolini etc. Actum Glemone, ante domum ipsius Ottolini. A. N. U. o.

N. 367.

1324 18 *Gennajo Udine.*
Vendita dei frutti del Beneficio di S. Martino di Vito di Cadore spettanti al Pontefice.

Melioranza Can. P.

Die xviii. Januarii. In Castro Utini, super Patriarchali Palatio. Presentibus D. presbitero Benevenuto de Aurontio, presbitero Jacobo de Impetio, presbitero Francisco de Comelico de Cadubrio, et aliis.

Venerabilis vir D. Frater Johannes Abbas Rosacensis Vicarius Reverendi Patris D. Pagani Patriarche Aquilegensis, auctoritate sibi concessa per venerabilem virum D. Petrum Alrici Canonicum Mimatensem Collectorem Decimarum et fructuum Ecclesiasticorum D. Pape in Patriarchatu Aquilegensi, locavit et vendidit discreto viro presbitero Alexandro de Domeglo omnes redditus, fructus, et proventus Ecclesie S. Martini de Vito anni presentis, spectantes D. Pape, propter reservationem per ipsum D. Papam factam de Beneficiis vacantibus infra

annum, cum omni ipsius Beneficii onere et honore; pro quibus redditibus idem presbiter Alexander dare et solvere promisit eidem D. Abbati in proximo Festo Resurrectionis Domini solidos duodecim Venetorum Grossorum. Pro quo presbitero Alexandro, et precibus ejus, fidejussores in solidum extiterunt D. presbiter Oliverius Plebanus Cadubrii, et presbiter Thomassius rector Ecclesie S. Martini de Valle. A. N. U. o.

N. 368.

1324 27 *Gennajo Padova.*

Vertenza fra il Comune di Padova e quello di Gemona.

In nomine Domini Dei amen. Anno ejusdem Nativitatis M. CCC. XXIV. Indictione VII. die XXVII. mensis Januarii. Padue in Contrata S. Nicholai, in domo habitationis Sapientis et discreti viri D. Peregrini de la Rossa Camerarii D. Regis. Presentibus D. Guzzato q.m D. Henrici Ciapelle de Contrata S. Firmi, D. Petro de Campagnolla Judice Dominorum Antianorum de Contrata S. Margarite, D. Ziliolo filio D. Nicolai de Maliciis de Contrata S. Cecilie, D. Marchoardo de Bellaxinis Gastaldione, Francavalle notario, D. Antonio D. Leonardi Cappe de Contrata S. Marie, D. Francisco dicto Taxo q.m D. Jacobini de Contrata S. Thomaxii, et aliis.

Nobilis et potens miles D. Altinerius de Azonibus de Tarvisio Padue Potestas, et discretus et sapiens vir D. Rugerius de la Rossa Camerarius incliti D. D. Regis

Boemie in Civitate Padue, Antiani, et quindecim Gastaldiones Civitatis Padue concesserunt, et licentiam dederunt duobus Ambaxatoribus de Glemona et quatuor famulis dictorum Ambaxatorum veniendi ad Civitatem Padue, et standi in Civitate Padue per totum mensem Februarii nuper venturi, non obstantibus aliquibus Rapresaleis concessis Paxino Beccario, vel alicui persone.

Ego Paduanus notarius filius D. Baxilerii beccarii, qui habito Padue in Quarterio ... in Contrata S. Catherine, Nobilium Dominorum Antianorum de mandato hec scripsi.

In Christi nomine Amen. Anno ejusdem Nativitatis M.CCC.XXIV. Indictione VII. die ultimo mensis Januarii, Padue; in Contrata S. Nicolai, in domo habitationis discreti et sapientis viri D. Rugerii de la Rossa generalis Camerarii pro Regia Majestate omnium introitorum civitatis Padue. Presentibus predicto D. Rugerio de la Rossa, D. Petro de la Campagnola Judice dominorum Anzianorum, D. Prosdocimo de Calizinis q.m D. Johannis, D. Ruzerio de Flabianis, D. Duxio de Buzzacarinis, D. Henrigetto q.m D. Antonii de Capite Vacce, Anthonio filio D. Leonardi Tanpe, Guilielmo filio D. Johannis Assale, omnibus tribus Anzianis: D. Marchoaldo de Bellaxinis, D. Bonaventura de Guizzemano, ambobus Gastaldionibus, Notariis D. Aleardo de Basilerys, et Paduano filio D. Baxilerii Beccarii omnibus testibus, et aliis.

In congregatione Consilii spectabilis et potentis militis D. Hengelmarii de Villandres civitatis Padue et districtus Vicecapitanei, pro strenuo et magnifico Domino Conrado de Offestain prefate civitatis Padue et districtus

pro Regia majestate Capitaneo generali, et Ducatus Karinthie Mareschalcho, in quo quidem Cousilio interfuerunt Domini Anziani, Gastaldiones, et Sapientes ipsius D. Capitanei, absente ipso D. Vicecapitaneo, seu aliqui ex eis: facta propositione per sapientem et discretum virum D. Nicolinum de Dosino Vicarium nobilis et potentis militis D. Altenerii de Azonibus Padue honorabilis Potestatis, super facto Ambasciatorum Communis et hominum Terre Glemone de Forojulio, et Statuto producto per eos occaxione Represalearum concessarum per Commune Padue Paxino Beccario contra Communia, homines, et singulares personas de Forojulio, super ipsis quid esset faciendum proponere, deliberandum et consulendum. Super quibus D. Albertinus Muxatus istoriographus Paduanus, electus ad consulendum pro utilitate, pro se et sociis suis consuluit: quod respondeatur Ambasciatori de Glemona, quod, facta examinatione per sapientes de Statuto producto per eum, eligendos vel eligendum per D. Vicecapitaneum pro Communi Padue, si statutum eis prodest, et eos defendere potest, a Rapresaleis nuper concessis Pasino Beccario, quod placet Communi Padue ipsum Statutum eis inviolabiliter observetur. Et si Statutum eos non defenderet, quod omnino fiat propositio super predictis in presenti Consilio, et secundum dictum Consilium procedatur, et fiat, et habeat roboris firmitatem. Et si deliberatum fuerit per sententiam Sapientis vel Sapientum, quod dicte rapresalee non obstent, vel obsint dicto Communi et hominibus Terre Glemone, quod ita procedatur et fiat secundum dictam sententiam et deliberationem. Itaque hoc facto et proposito per predictum D. Vicarium

inter predictos Dominos Anzianos, Gastaldiones et Sapientes de dicto Consilio et arengare ipsius D. Albertini Muxati Poete ad busulos cum balotis more solito, placuit omnibus, excepto uno, quod procedatur et fiat secundum consilium et arengare dicti D. Albertini Muxati, et ita extitit reformatum.

Ego Franciscus filius D. Natalis notarii de Isembertis habitans Padue in centenario S. Egidii, in Contrata S. Lucie, Imperiali auctoritate notarius publicus, ac notarius et officialis dicti D. Vicecapitanei, et dicti sui Consilii predicta omnia scripsi etc.

In Christi nomine amen. Anno ejusdem Nativitatis M. CCC. XXIV. Indictione VII. die primo mensis Februarii, Padue in Contrata S. Nicolai, in domo habitationis D. Vicecapitanei infrascripti. Presentibus Bartolomeo Betono Ipothecario q.m D. Precevallis, Antonio Fusario q.m Zilberti de Contrata S. Sophie, Panchone q.m Francisci de Contrata Arene, et Alberto de Anstain, et Jacobo de Barbaria referendario D. Vicecapitanei infrascripti, omnibus testibus, et aliis.

Spectabilis et potens miles D. Hengelmarius de Villandres civitatis et districtus Padue Vicecapitaneus pro strenuo et magnifico D. D. Conrado de Offenstain prefate civitatis Padue et districtus Capitaneo generali, ac Ducatus Carinthie Mareschalcho, auctoritate qua fungebatur, omnique modo, jure et forma quibus melius potuit, nullis obstantibus Statutis et Decretis, ordinationibus vel ordinamentis factis, vel faciendis in contrarium loquentibus, quibus per presens Decretum sit totaliter derogatum, ac si de ipsis, et ipsorum quolibet facta esset

mentio specialis, statuit, decrevit, voluit, ordinavit et observari jussit, et elegit discretum virum D. Nicolinum de Dosino Vicarium nobilis et potentis militis D. Altenerii de Azonibus Padue honorabilis Potestatis ad sententiandum et declarandum super rapresaleis nuper concessis Pasino Beccario et ser Hermano Ambasciatori Communis et hominum Terre Glemone de Forojulio, et Statuto producto per dictum Ser Hermanum, ut supra, ut in Statuto, seu reformatione ac ordinamento nuper factis super predictis, scriptis per me Franciscum Notarium infrascriptum plene continetur. Quam sententiam et declarationem dictus D. Vicecapitaneus ex nunc, prout ex tunc, approbat et confirmat, ac in perpetuum observari jubet.

Ego Franciscus filius D. Natalis notarius de Isembertis habitans Padue in Centenario S. Egidii et Contrata S. Lucie, imperiali auctoritate notarius, et officialis dicti D. Vicarii predicta omnia de ejus mandato scripsi.

M. CCC. XXIV. Indictione septima. Die tertia mensis Februarii. Padue. In communi Palatio ad discum Sigilli. Presentibus Bartholomeo notario q.m D. Duxii de Sala de Contrata Braide, Simeone notario q.m Antonii de Cauda longa, et aliis.

Hec est quedam Declaratio et Sententia Declarationis lata, data, et pronunciata per discretum virum D. Nicolinum de Dosino Judicem et Vicarium nobilis militis D. Altenerii de Azonibus de Tarvixio honorandum Potestatem Padue super infrascripta petitione, porrecta coram dicto D. Nicolino Vicario, cujus petitionis tenor talis est.

Coram vobis D. Nicholino de Dosino judice et Vichario honorabilis militis D. Altinerii de Azonibus Padue Potestatis ad infrascriptam Rapresalearum causam deputato, Paxinus Becharius q.^{m} Ser Berthuli Becharii, qui est civis Padue natione, et substinet honera et factiones Communis Padue, dicit et exponit, quod cum ipse de Cadubrio faceret duci per quosdam familiares suos viginti octo centenaria et tria animalia, inter que erant quindecim centenaria Castronum, et quinquaginta tres Castrones, decem centenaria agnorum, et ducente et quinquaginta oves, Stephanus et Chozatinus de Monteregali, habitatores Forojulii cum ipsorum sequacibus, manu armata, et predonum more, ductores ipsorum animalium invaserunt in loco prope dictum Montemregalem, districtus et jurisdictionis Patriarchatus Aquilegensis, et ipsorum Ductores spoliaverunt, et predati fuerunt, et ipsa animalia, contra eorum voluntatem, per vim de manu ipsorum Ductorum abstulerunt, et quamvis postmodum choacti eidem Pasino restituerunt de animalibus suprascriptis mille agnos, retinuerunt tamen apud se residuum ipsorum animalium, et spolia sive cepta eorum ductoribus, que omnia ascenderunt ad summam librarum duarum millium et sexcentarum parvorum, et expensarum factarum que sunt libre ducente parvorum: et pro parte dicti D. Potestatis et Communis Padue littere sint misse ipsis Stephano et Chozatino, ac etiam venerabili Patri D. Fratri Johanni de Osinago D. Patriarche Aquilegensis Vicario, sub quorum jurisdictione sunt ipsi Stephanutus et Chozatinus, ut satisfacere debeant integraliter cum effectu, memorato Pasino, prout juris ordo postulat et requirit de predictis; et nondum ipsi Pa-

sino de predictis extiterit satisfactum: ideo dictus Pasinus petit per vos sibi Rapresaleas et pignora dari et concedi in avere et personis, contra predictos Stephanutum et Chozatinum, et contra omnes et singulas Civitates, et Castra, Communitates, villas, burbia et suburbia, Communia ac districtus earum et singulas personas Forojulii, et jurisdictiones, et districtus Patriarchatus Aquilegensis, et cohabitatores in villis et eorum districtibus, usque ad satisfactionem predictarum duarum millium librarum et sexcentarum parvorum, et expensarum predictarum factarum, que sunt lire ducente, et expensarum fiendarum. Et cum super dicta petitione, secundum formam datum fuerit Consilium et pronuntiatio facta per nos Nicholinum tenor cujus talis est.

In Christi nomine amen. Consilium Dominorum Petri de la Campagnola et Ruzerii de Titullo Judicum, ac Jacobi notarii fili D. Paduani Layci asumptorum ad consulendum per sapientem et discretum virum D. Nicolinum de Doxino judicem et Vicarium nobilis militis D. Altinerii de Azonibus de Tervixio honorandi Potestatis Padue, ex speciali delegatione eidem D. Vicario facta per predictum D. Potestatem, super causa et questione, sive petitione dicto D. Vicario per ser Paxinum Beccarium q.^{m} D. Bartoli civem Paduanum porrecta, de qua quidem petitione predictus Ser Paxinus Represaleas, et pignora in avere et personis sibi dari et concedi petebat, et petit contra Stephanutum et Chozatinum de Monteregali habitatores Forojulii, et contra omnes et singulas civitates, castra, Communitates, villas, Burbia et Suburbia, communia ac districtus earum, et singulas per-

sonas totius Forojulii, et jurisdictionis et districtus Patriarchatus Aquilegensis, et cohabitatores in villis, et earum districtibus, usque ad summam librarum duarum millium et sexcentarum denariorum Venetorum parvorum, occasione unius spoliationis et prede facte eidem Ser Paxino, manu armata et violenter more predonum, in Forojulii, jurisdictionis sedis Patriarchatus Aquilegensis, de viginti octo centenariis animalium, et tribus animalibus; inter que erant quindecim centenaria Castronum, et quinquaginta tres castrones, decem centenaria agnorum, et ducente et quinquaginta oves, que faciebat duci de Cadubrio per quosdam famulos suos, per Stephanutum et Chozatinum de Monteregali predictos, et quosdam alios suos sequaces, omnes habitatores Forojulii, et librarum ducentarum parvorum de expensis,' tale est.

Christi nomine invocato, consulunt eum Sapientes predicti in concordia Represaleas et pignora predicto ser Paxino debere concedi et dari contra predictos Stephanutum et Cozetinum et eorum sequaces, et contra omnes et singulas Civitates, castra, Communitates, villas, burbia, Communia, ac districtus earum, et singulas personas Forojulii, jurisdictionis et districtus Patriarchatus Aquilegensis, et cohabitantes in villis, et earum districtibus usque ad summas petitas, secundam formam sue petitionis. Predicta dicunt et consulunt Sapientes predicti, visa et lecta delegatione speciali facta ipsi D. Vichario per dictum D. Potestatem, secundum formam Statuti Communis Padue, et visa petitione ipsius Ser Paxini coram predicto D. Vicario producta, ac visis litteris missis per dictum D. Potestatem Padue Vicario Generali D. Patriarche Aquilegen-

sis, et ipsis Stephanuto et Chozatino, que ex forma Statutorum Communis Padue que de Represaleis loquuntur, in Rapresaleis concedendis requiruntur: ac habita diligenti examinatione cum ipso D. Vicario D. Potestatis totius Processus; et aliis omnibus observatis, que ex forma Statutorum Communis Padue requiruntur in Represaleis concedendis. Et cum ita sit reformatum in majori Consilio Civitatis Padue, ut superius fuit petitum et consultum, ut aperte dicitur per causam tractatam et imbreviatam per me notarium infrascriptum:

Item cum ex parte D. Beltramini Brugni de Mediolano Capitanei Glemone, que est sub jurisdictione D. Patriarche et in districtu et territorio Forojulii Aquilegensis Ecclesie, misse fuerunt littere D. Hengelmario Vicecapitaneo et D. Altanerio de Azonibus Potestati, Anzianis et Gastaldioni, Consilio et Communi Civitatis Padue, inter cetera continentes, quod debent credere, et D. Armano q.m Zambonini q.m Johannis Boni de Terra Glemone eorum Ambaxatori, de hiis que dicet ex eorum parte, et sibi plenariam fidem adhibere, ut in dictis litteris plenius continetur, quas habet Paduanus Bazalerii Beccarius, notarius Anzianorum; et cum D. Armanus exposuerit coram dicto D. Hengelmario et D. Nicolino prefato, Vicario prefati D. Potestatis, et coram Anzianis et Gastaldione, et Sapientibus, et Consilio prefati D. Hengelmarii, quod dicte Represalee non tangunt, nec tangere debent Commune, et homines, res, et bona dicti Communis Glemone in personis et rebus, et quod debeant posse campelli ex occasione dictarum Rapresalearum concessarum dicto D. Paxino, et quod dicte Represalee non de-

bent posse tangere dictum Commune et homines Terre Glemone, res et bona singularum personarum dicti Communis, occasione cujusdam Statuti facti per Commune et homines Padue. Tenor Statuti talis erat, et est.

In nomine Domini Dei eterni amen. Anno ejusdem Nativitatis millesimo ducentesimo octuagesimo tertio. Indictione duodecima, die vigesimo primo mensis Julii. Presentibus Leonardo notario q.^{m} Coradi de Guizemano, Anthonio notario Rainerii, Ablado et Andrea notariis de Valle, et aliis. Reperii ego infrascriptus notarius in volumine Statutorum Communis Padue, in secundo libro ,sub Rubrica de Represaleis, hunc Statutum vivum, et non canzellatum in hunc modum scriptum. = Potestate D. Weri de Circlis de Florentia, millesimo ducentesimo octuagesimo tertio, die vigesimo primo mensis Julii; statuimus et ordinamus, quod Commune et homines Glemone sint affidati per Commune et homines Padue in personis et rebus, veniendo Paduam, stando, et redeundo, in Padua, et Paduano districtu, non obstantibus aliquibus Represaleis per Commune Padue consessis vel concedendis, Ordinamentis, vel bannis Communis Padue, quibus inhibetur eos Padue et Paduano districtu venire, stare, et redire, dummodo Cives Padue et Paduani districtus sint eodem modo securi et affidati per Commune et homines Glemone in eorum territorio et districtu, eo tamen salvo quod homines et Merchatores Glemone teneantur et debeant solvere Dacia, pedagia et Tholonia in Padua et Paduano districtu, que solvunt alii homines forenses de Marchia Tarvixii, et hoc Statutum vendicet sibi locum, non obstantibus aliquibus Statutis precisis ,et non precisis, expressis, et

non expressis, tanquam si de hujusmodi, et de hiis in presenti Statuto mentio sit facta, et sit precisum.

Actum hoc Padue in Communi Palatio.

Ego Antonius filius q.m Guidonis sacri Palatii notarius et sigilli, ut in dicto Statuto reperii etc.

Et cum super dicta Ambaxata retracta per dictum D. Armannum, habitum fuerit consilium per predictum D. Hengelmarium et per supradictum D. Potestatem, Anzianos et Gastaldionem, et fuerit reformatum, quod per dictum D. Hengelmarium deberent haberi Sapientes unus, vel plures, qui deberent consulere utrum dicte Represalie tangunt, vel tangere possunt dictum Commune et homines et singulares personas in personis et rebus dicte Terre Glemone, non obstante dicto Statuto nec ne, et an dictum Statutum eximat dictum Commune et homines et singulares personas, bona et res dicti Communis, et singularum Personarum dicte Terre Glemone a dictis Represaleis concessis dicto Paxino nec ne. Et quod hec debeant declarari per sententiam unius Sapientis vel plurium eligendi, vel eligendorum per dictum D. Hengelmarium, ut in reformatione facta de predictis plenius continebatur, scripta manu Francisci de Ysimbertis notarii prefati D. Hengelmarii; et cum prefatus D. Hengelmarius assumpserit Sapientem prefatum D. Nicolinum Vicarium prefati D. Potestatis ad declarandum, et sententiandum super predictis et quolibet eorum, ut superius continetur, ideo nos Nicholinus de Dosino Vicarius supradictus, visis omnibus supradictis, et bene examinatis, et etiam citato pluries et pluries Tucio fratre dicti Paxini, et habito super predictis pleno consilio et plena deli-

beratione, et habito colloquio cum pluribus Sapientibus juris, dicimus, et sententiamus, et declaramus sententiando tam ex forma dicte assumptionis facte per dictum D. Hengelmarium, quam omni jure et modo quibus melius possumus; quod dictus Paxinus non debeat posse uti dictis suis Represaleis concessis contra Commune et homines, et singulares personas, bona et res dicti Communis et hominum dicte Terre Glemone, et dictarum singularum personarum, approbando et retificando dictum eorum Statutum in tempore presenti et futuro, dum Cives Padue et Paduani districtus sint et steterint eodem modo securi, et affidati, et indempnes per Commune et homines Glemone in eorum territorio et districtu, juxta formam Statuti superius scripti, et de quo fit mentio supra, scripti manu Antonii filii q.m Guidonis.

Ego Nicolinus D. Mafei de Doxino Vicarius D. Altinerii de Azzonibus de Tervixio Potestatis Padue me subscripsi. A. C. U. c.

N. 369.

1324 13 *Febrajo Aquileja.*

Rendiconto di Rinaldo della Torre Tesoriere.

Taddeo da Palude Not.

In nomine Domini nostri Jesu Christi amen. Anno a Nativitate ejusdem millesimo tricentesimo vigesimo quarto. Indictione septima, die tertio decimo Februarii,

Aquilegie, in Palatio Patriarchatus, ante cameram infrascripti D. Vicarii. Presentibus honorabilibus viris Dominis Johanne de Ossenago et Guidotino dicto Priore de Perezonibus Canonicis, ac Henrico dicto Brondolino Mansionario Ecclesie Aquilegensis, et Eusebio filio D. Jacobi de Palude de Mediolano, et aliis pluribus ad hoc vocatis testibus, et rogatis.

Cum venerabilis pater D. Frater Johannes Abbas Monasterii S. Petri de Rosacio Aquilegensis Diocesis Vicarius Reverendissimi Patris et D. D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, mandavisset venerabili viro D. Raynaldo de la Turre Thesaurario Aquilegensis Ecclesie, fratri et Vicario olim bone memorie Reverendi Patris D. Castoni Patriarche Aquilegensis, quod ad diem hodiernam debeat coram se comparere ad docendum, seu ostendendum quid factum fuisset de pecunia Decime Sexennalis exacta in Aquilegia et ejus Diocesi, Sede Aquilegensi vacante, per obitum bone memorie D. Ottoboni Patriarche Aquilegensis, et pro tempore prefati D. Patriarche Castoni, cum ad ipsius D. Raynaldi manus pervenisset dicta pecunia dicte Decime, ut ferebatur. Prefatus D. Raynaldus, tanquam filius vere obedientie, volens dicti D. Vicarii humiliter parere mandatis, coram eo, hora et termino sibi ordinatis, comparuit reverenter dicens; quod pecuniam per eum receptam et exactam de Decima prelibata eidem D. Castono Patriarche, ipsius mandato, tanquam mandato collectoris creati, sive deputati per D. Papam in civitate Aquilegie et ejus Diocesis, omnes denarios dicte Decime sexennalis per ipsum habitos et receptos de dicta civitate et Diocesi Aqui-

legie, misit, et assignari fecit, producens in testimonium predictorum quoddam Memoriale in scriptis sibi exportatum de Avenione per Benoardum de Justinopoli, in quo quidem Memoriali multa continebantur, et inter cetera quod dictus D. Castonus Patriarcha mandabat eidem D. Raynaldo, quod Decimam sexennalem exactam debeat Venetiis, aut Padue consignare, seu facere consignari in loco tuto apud tutos mercatores, et omnem aliam pecuniam quam undequaque posset recuperare, tam mutuo, quam aliunde sibi mitteret. Item in testimonium omnium premissorum produxit quasdam litteras sibi directas per dictum D. Patriarcham Castonum, ejus sub sigillo secreto integro et illeso sigillatas, unius quarum tenor sequitur in hac forma.

Castonus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarcha, Raynaldo de la Turre Camerario Ecclesie Aquilegensis dilecto Fratri, et generali Vicario suo, salutem in Domino.

Cum nos recordemur tibi scripsisse per Benoardum de Capite Istria, et per alios quamplures Nuntios, quem Benoardum etiam informavimus quod recuperares omnem pecuniam quam undecumque, tam mutuo, quam et de nostris redditibus recuperare posses, et ipsam pecuniam, omni dilatione remota, nobis mitteres; quodque deberes etiam procurare quod per te, et per quoscumque Collectores Decime Papalis in Patriarchatu nostro constitutos omnis exacta pecunia dicte Papalis Decime apud bonos et securos Mercatores in Venetiis, sive in Padua poneretur ad hoc, quod quando nos contingeret mittere pro ipsa pecunia Papalis Decime, ipsam possemus recipere omni

causa cessante. Quibus litteris per nos tibi missis respondere non curasti; ex quibus animus noster turbatur vehementer. Quare tenore presentium tibi precipiendo mandamus, quatenus ipsam pecuniam papalem requiras a Capitulo nostro Aquilegensis Ecclesie, seu a Collectoribus, qui ipsam papalem Decimam collegerunt, procedendo contra dictum Capitulum et Collectores ejusdem Decime durius quam poteris, si hujusmodi mandatum nostrum adimplere non curarent: super quibus nos per patentes litteras nostras, quas tibi mittimus presentibus alligatas, eis districte precipiendo mandamus, quatenus ipsam pecuniam, ubi duxeris ordinandum, debeant cum effectu facere consignari: quas quidem litteras per te, aut per alium loco tui, eidem Capitulo volumus presentari, de quarum presentatione facies fieri publicum Instrumentum. Volumus insuper quod de ipsa pecunia ex eadem Decima recolecta, et quam subsequenter recoligeretur, cum alia pecunia, quam undequaque recuperare poteris, tam in mutuo, quam de nostris redditibus, facias fieri cambium in Venetiis cum Mercatoribus de Scalis et de Piruciis de Florentia ad melius quod peteris et de meliori foro, et quod ipsam faciant dicte Societates nobis consignari in Romana Curia, si ipsam ibi voluerimus, aut in Janua, aut in Neapoli simus quo eam voluerimus recipere a te de cambio predicto; et quotiescumque facies fieri cambium, facies fieri plures litteras, que nobis destinentur per Lumbardiam, et Tusciam, et Alamaniam, et hoc dicimus propter pericula viarum; quia si unus ex ipsis nunciis caperetur in via, et expoliaretur dictis litteris, forte alius transibit sine impedimento; et ordines quod si omnes littere per-

derentur in dictis viis, quod ipsi Mercatores teneantur rescribere toties, quoties erit nobis legitime satisfactum de cambio, quod facies cum eisdem. Advertas tamen ne facias cambium cum aliquibus mercatoribus preter quod cum dictis de Scalis et Piruciis; et caveas bene te ne debeas aliquid agere cum Societate Matiorum quia fertur, ipsos legisse Psalterium usque *Defecit*. In predictis autem taliter te habeas, quod de negligentia ulterius non possis reprehendisse, sed potius de bona sollecitudine commendari.

Datum Avenione, die trigesima Madii. Indictione xv.

Tenor autem alterius litere per dictum D. Patriarcham Castonum eidem D. Raynaldo directe, sic describitur.

Castonus etc. ut supra. Dilecto Fratri suo Raynaldo de la Turre generali Vicario nostro salutem, et in agendis providam habere diligentiam.

Recipimus litteras tuas et D. Savii continentes quod die Veneris vii. Octobris feceris fieri cambium in Venetiis cum societate Scalorum de Florentia de mille viginti florenis auri, computato quolibet floreno Venetos Grossos xxv. et cum Societate Piruciorum de Florentia de duobus millibus quingentis florenis auri, nobis datis per Societates eorum in Romana Curia. In quo quidem cambio, sicut mandavimus tibi et per Benoardum et per plures alios, posuisti totam papalem Decimam exactam per Capitulum Aquilegense, Sede Patriarchali vacante, et etiam exactam per te nostrum Vicarium de duobus terminis, que quidem ascendit in summam, sine aliquo lazo, marchas tercentas septuaginta duas, Frixachensium tres, fortonos viginti, et unum Frixachensem, et tres parvulos; et quod cum adhuc

de redditibus nostris non receperas tantum, quod indigentie nostre posses satisfacere, receperas residuum dicte pecunie a diversis personis mutuo: et hoc etiam quod pro recuperatione Castrorum nostrorum et Ecclesie Aquilegensis oportuerat te dare multam pecuniam D. Comiti Goritie, quam si non dedisses, dicta Castra non potuisses habere de manibus suis. Quibus omnibus sic respondemus: quod die decimo sexto Novembris recepimus a Bonacursio Morelli de Societate Scalorum, florenos mille viginti. Item recepimus ipso die a Ricardo et a Raynaldo de Piruciis, florenos mille quingentos auri. Item die quarto decimo Novembris recepimus, quos portavit nobis Donatus de Piruciis pro completa satisfactione dicti cambii, florenos aureos mille. Et quia de dicta pecunia non possumus expedire facta nostra, et Sanctissimus pater Dominus noster D. Summus Pontifex sollicitet nos de pecunia dicte Decime, et omnino oporteat nos facere consignari Camere ipsam pecuniam dicte Decime, et etiam pecuniam recolectam tempore D. Ottoboni predecessoris nostri, iterum mandamus tibi districte precipiendo, quatenus tibi facias fieri rationem de prefata Decima inquirendo sollicite de quantitate recolecta tempore prefati predecessoris nostri, et illam pecuniam cum alia pecunia dicte Decime quam exegeris in posterum, et cum omni alia pecunia quam undequaque recuperare poteris, tam de nostris redditibus, quam mutuo, nobis omni dilatione remota, mittere non postponas. Item scias quod die sexto decimo Novembris de predicta pecunia quam nobis misisti fecimus dari et consignari D. Guasperto Canonico Meldensi Thesaurario D. Pape, florenos mille quin-

gentos. Item die Jovis decimo septimo Novembris, de dicta pecunia per te nobis missa, fecimus dari ab consignari D. Barangario Episcopo Portuensi Camerario Collegii Dominorum Cardinalium, similiter mille quingentos florenos auri. Item mandamus tibi quod, factis rationibus de dicta Decima, si aliquid superaverit ad exigendum, compellas quoscumque debitores ad solvendum per censuram Ecclesiasticam, et id totum quod est receptum, et subsequenter recipietur, nobis per dictos mercatores transmittas, ut ipsam pecuniam Decime, juxta mandatum Apostolicum, eidem Camere valeamus consignare. Intendimus ad te transmittere hinc ad paucos dies presbiterum Thadeum, qui per Tusciam faciet Iter suum, super negotiis nostris informatum, cui fidem credulam adhibeas, et quidquid tibi mandabit ex parte nostra, omnia studeas adimplere. Unde si ante ejus adventum contingat te aliquid mutui ad nos transmittere, aut ei possit obviari per Tusciam et Pisas, eam transmittas. Super facto de Turris, de Sacilo et de Canipa, que adhuc non potuisti rehabere, volumus ut teneas viam istam, videlicet quod roges Dominum Comitem ut Castrum de Turris, quod est in manibus suis, restituere debeat; et in facto Sacili et Canipe, ut nobis restituantur faciat posse suum. Et super premissis, et omnibus aliis necessariis semper habeas D. Comitissam tecum, et utere semper consilio suo. Ad factum Domine Comitisse, que libenter veniret Civitatem causa solatii per tres menses, si contingat Dominum Comitem ire in Alamaniam, et quod fecit te rogari de expensis sibi fiendis in modica quantitate, prout nobis scripsisti, sic intendimus quod nobis placet multum, et volumus quod ipsam debeas honorare, ac

si esset mater nostra, et credimus bene facere pro nobis et Ecclesia Aquilegensi, si ipsam et filium suum honoremus, specialiter modo quod D. Comes intendit ad partes Alamanie se transferre, unde quando ipsa voluerit venire Civitatem, tu, Muschinus, et omnes de domo nostra, qui sunt in partibus illis, ibitis ad accipiendam eam honorabilius quam poteritis cum decenti comitiva. Et simul nobis scripsisti super facto expensarum quas petiit sibi fieri, sic facias, et non ultra, considerando semper graves expensas, quas habemus in Romana Curia, et usuras magnas quas continue nos corrodunt. Scias autem, ut alias tibi scripsimus, quod multum pungimur tam pro papali Decima, quam pro provisione quam facere debemus consignari Camere Domini nostri D. Pape: unde si scires puncturas et angustias nostras, te ipsum impignorare deberes pro pecunia nobis transmittenda. Ad factum Archipresbiteri etc. ... Circa custodiam Castrorum Ecclesie nostre sis vigil et intentus. Ambrosino latori presentis dedimus tres florenos, et quando remittes eum dabis sibi sex soldos grossorum.

Datum Avenione die xv. Novembris.

Item dictus D. Raynaldus produxit librum Rationum mei Presbiteri Tadei notarii infrascripti tunc dicti D. Castoni Capellani et Camerarii, in quo libro continentur recepta, et expense facte nomine ipsius D. Patriarche in anno currente millesimo tricentesimo decimo septimo, qui sic incipit: = A receptis die Jovis tertio decimo Januarii, et ab expensis die primo Januarii „ et finitur: = in expensis die Sabbati vigesimo sexto Novembris, et in receptis die Veneris vigesimo quinto Novembris „. In quo

quidem Quaterno continentur que in superscripto cambio fuerunt de Decima papali marche tercente et septuaginta due, Fertones tres, et frixachenses viginti unus, et parvuli tres, sicut in litteris per D. Raynaldum et D. Savium eidem D. Patriarche missis, plenius continetur; et quod die sexto decimo Novembris consignati, seu pagati fuerunt suprascripto D. Guasberto Domini nostri Papa Thesaurario, floreni mille quingenti, et die Jovis decimo septimo ejusdem mensis fuerunt consignati Reverendo Patri D. Berangario Episcopo Portuensi Camerario Collegii Dominorum Cardinalium, floreni mille quingenti pro parte provisionis debite per ipsum D. Patriarcham. Et in fine rationum dicti libri, tam de receptis, quam de expensis, est quedam Scriptura scripta propria manu dicti D. Patriarche Castoni, que sic incipit: = Et sic facta diligenti ratione inter nos Castronum Patriarcham, et prefatum presbiterum Tadeum, computatis floreuis octingentis et septuaginta duobus, et solidis tresdecim et denariis novem, quos plus receperat quam expenderat, prout continetur in antecedenti ratione facta nobiscum die Sabbati decimo nono Octobris proxime preteriti, videtur D. Presbiterum Tadeum tantum expendisse, quantum recepisse: et sic saldate fuerunt omnes rationes istius libri usque ad diem presentem Sabbati vigesimam sextam Novembris. » Per quas quidem litteras et rationes productas per ipsum D. Raynaldum, et eidem D. Vicario manifeste ostensas, idem D. Vicarius pronunciando dixit, et declarando pronunciavit ibidem pro tribunali existendo: quod dictus D. Raynaldus satis probabiliter ostenderat dictam pecuniam papalis Decime per ipsum receptam, dedisse eidem D.

Patriarche, et tanquam Collectori principali consignasse, ipso D. Vicario per hunc modum dicente: Nos Frater Johannes Abbas Monasterii de Rosacio Vicarius Reverendi Patris D. Pagani Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche pro tribunali hic existentes, pronunciando dicimus, et declarando pronunciamus, dictum D. Raynaldum de la Turre Thesaurarium Ecclesie Aquilegensis satis probabiliter, ut scriptis continetur, se consignasse pecuniam Decime sexennalis per ipsum receptam, Reverendo Patri bone memorie D. Castono Patriarche Aquilegensi, et de ipsius mandato tanquam dicte Decime Collectori principali, dedisse.

Ego Tadeus filius D. Jacobi de Palude de Mediolano Imperiali auctoritate notarius predictas litteras et scripturas per eundem Dominum Raynaldum coram dicto D. Vicario productas vidi, et de mandato ipsius D. Vicarii in judicio legi palam, et ipsas regestravi, et ad omnia supradicta interfui, ac de beneplacito et licentia predicti D. Vicarii prefatas declarationem et pronunciationem, rogatus et a prefato D. Raynaldo, tradidi et scripsi in formam publicam reducendo; et hoc, ut mihi portavit, interlineavi. A. C. U. o.

N. 370.

1324 16 *Febrajo Monza.*

Confusione e spavento sparso in Monza alla notizia della Sconfitta di Vaprio.

Cronaca di Monza. Scrip. R. I. T. XII.

Porro ipsa die qua facta fuit rupta, venerunt nuncii in Modoetia in sero, et notificaverunt Patriarchæ de Foro-

julio qui ibi erat, quæ acciderant. Tunc fugerunt ipsa nocte de illis qui erant in Modoetia tam de Terreriis, quam de forasteriis plus de medietate, sic quod Terra erat derelicta. Patriarcha, et reliqui qui remanserant, si scivissent ubi debuissent fugere, nullus remansisset, quia putabant, et dicebant: Mediolanenses adhuc hodie erunt hic, non poterimus resistere eis; per vim capient Terram, gladio interiment nos. Et vix Patriarcha potuit teneri quod non recederet a plerisque providis stipendiariis suæ factionis, qui eum hortaverunt bonis verbis in spe adjutorii.

N. 371.

1324 26 *Febrajo Uruspergo.*

Giovanni di Virgilio e suoi aderenti ricusano di far la pace con Filippo de Portis alle condizioni proposte loro dal Vicario del Patriarca.

Stefano da Cividale Not.

Die quarto exeunte Februario. Beltramus de Olzato commorans cum venerabili viro D. Fratre Johanne Abbate Rosacensi Vicario Reverendi in Christo Patris et D. D. Pagani Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, asserens se nuntium dicti D. Vicarii, precepit Johanni et Stephano fratribus q.m Virgilii de Civitate, Nicolao Canonico Civitatensi q.m de Foro, Nicolao et Guilielmo q.m Galangani de Civitate, et Jacobo, et Ognibono de Civitate commoranti Uruspergi, primo sub pena centum marcharum, secundo sub pena ducentarum Marcharum,

tertio sub pena trecentarum marcharum, quod faciant, seu prorogent Treguas contra D. Philippum de Portis de Civitate, et suos coadjutores hinc ad Festum S. Georgii proxime futurum, sub penis, modis, et formis, ac conditionibus factis per dictum D. Patriarcham. Ad quod dicti Johannes, Stephanus et alii responderunt, quod non cognoscebant ipsum Beltramum habere auctoritatem ad predicta, neque commissionem. Et dato quod haberet auctoritatem quam dicebat, et ipsam habere ostendere poterat, parati erant facere tregnas, secundum jus et consuetudinem Terre Forijulii.

Actum ante Castrum Uruspergi. Presentibus Matheo Peregrini de Civitate, Petro q.^m Reynaldi de Castello, Laurentio et Nepote, Nichilo de Longovello, et Henrico de Bayvera commorante cum Galangano predicto testibus, et aliis. A. N. U. o.

N. 372.

1324 6 *Marzo Udine.*

Ordine ad Endrico di Fagagna di dovere colla di lui famiglia passare ad abitare nel Castello di Fagagna.

Melioranza Can. P.

Die Martis vi. Martii. In Castro Utini, super Patriarchali Palatio. Presentibus presbitero Petro de Faganea, Valentino Stationario de Utino, Francisco Avono notario de Utino, et aliis.

Venerabilis vir D. Frater Johannes Abbas Rosacensis Vicarius etc. precepit Hendrico habitatori Faganee in ejus presentia constituto, quod sub pena privationis habitantie, quam habet ad Ecclesia Aquilegensi, se transferat cum sua familia in Castrum Faganee usque ad quindecim dies proximos, et ibidem habitet, ut tenetur. A. N. U. o.

N. 373.

1324 9 *Marzo Castello di Uruspergo.*
Tregua fra Nicolò de Foro e aderenti, e Filippo de Portis.

Melioranza Can. P.

Die nono Martii. In Castro Uruspergi. Presentibus D. Berofino Canonico Aquilegensi, presbitero Nicolao plebano Plebis de Flambro, Philippuccio et Gallutio de Gallutiis de Civitate, Sagino de Parma habitante in Civitate, Bertramo de Olzate, Albertono de Novate, et aliis.

Nicolaus de Foro Canonicus Civitatensis, Jacobus et Nicolaus Ronconus de Civitate pro se ipsis, et pro altero absente, ac Stephanus filius Virgilii de Civitate pro se ipsis, et pro Johannino et Mimiano fratribus suis absentibus, ad instantiam venerabilis viri D. Fratris Johannis Abbatis Rosacensis Vicarii Reverendi Patris D. Pagani Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, fecerunt et juraverunt treguas nobili viro Philippo de Portis et ejus amicis et coadjutoribus in bonis et perso-

nis, usque ad proximum Festum S. Jacobi Apostoli venturi de mense Julii, sub eisdem conditionibus, pactis, et penis sicut facte fuerunt ad instantiam et petitionem suprascripti D. Patriarche, et scripte per Matheum de Fara notarium; tali conditione apposita per predictos presentes, quod ipsi debeant significare supradictis absentibus usque ad octo dies proximos dictas treguas fore factas, et si ipsi absentes nolent eas ratas habere, ipsi presentes debeant interim significare ipsi D. Vicario dissensum ipsorum absentium sine prejudicio alicujus partis.

Die Sabbati x. mensis Martii. Civitate, in Curia Patriarchali. Presentibus D. Berofino Canonico, D. Paulo q.^m^ D. Boyani, Philippo et Ugone fratribus q.^m^ D. Contii de Civitate, Antonio Notario de eodem loco, Beltramo de Olzate, Albertono de Brambate, et aliis.

Nobilis vir Philippus de Portis pro se, et omnibus suis amicis et coadjutoribus, ad instantiam venerabilis viri D. Fratris Johannis Abbatis Rosaeensis Vicarii Reverendi Patris D. Pagani S. Sedis Aquilegensis Patriarche, fecit et juravit treguas omnibus de Civitate in Urispergo habitantibus, eodem modo et forma, et sub eisdem penis, secundum quod per ipsos heri sibi et suis amicis factum fuit. A. N. U. o.

N. 374.

1324 13 *Marzo Udine.*

I Signori di Monterrale son condannati a restituire le cose tolte a Pasino da Padova, ed a Buono da Venezia.

Melioranza Can. P.

In Christi nomine amen. Nos Johannes Abbas Rosacensis, Hermannus Abbas Sextensis, Guido de Manzano Decanus Civitatensis arbitri, arbitratores, et amicabiles compositores litis et questionis vertentis inter Pasinum Civem Paduanum, suo, et Boni Beccarii de Venetiis nomine ex parte una, et Dominos Aliotum pro se et filiis, Stephanutum, Cocetinum pro se et fratre suo, et Bietum de Monteregali ex altera, occasione certe quantitatis Castronum et pecudum, que una pars ab altera petere posset, et dependentibus ab eisdem, ab ipsis partibus communiter assumpti et electi, prout in Instrumento Compromissi per ipsas partes in nos facti clarius continetur: visis, auditis, et diligenter examinatis ac recensitis juribus utriusque partis, et que ipse partes coram nobis dicere et proponere voluerunt, quia apparuit, secundum examinationem per nos factam, prefatos Dominos de Monteregali duo millia quingentos et quinquaginta tres Castratos ipsis Pasino et Bono, seu eorum familiaribus indebite accepisse, de quibus restituerunt eidem Pasino mille et viginti tres Castratos, ac hodierna die ipsis partibus statuta ad diffinitivam, seu arbitrariam sententiam audiendam.

Unde pro ipso deffiniendo auctoritate arbitraria nobis concessa, Dei nomine invocato, pronuntiamus, laudamus, mandamus, arbitramur, et arbitrando predictos Dominos de Monteregali finaliter condempnamus predicto Pasino, suo et dicti Boni nomine, in duobus millibus libris denariorum parvorum; de quibus, mille libras prefati Domini eidem Pasino, nomine quo supra, dare, solvere et assignare teneantur Aquilegie sibi, aut procuratori suo ad hoc specialiter constituto, usque ad proximum festum Resurrectionis Domini, et residuum in proximo sequenti Festo Pentecostes. Super dampnis vero et expensis factis hinc inde occasione predicta, et super omnibus et singulis que una pars ab altera usque ad presentem diem posset jure aut modo aliquo petere, silentium, nostra arbitraria sententia, duximus ipsis partibus imponendum. Predicta vero omnia et singula volumus, mandamus, dicimus et arbitramur a partibus observari, sub pena, vel penis in Compromisso contenta, seu contentis in singulis et pro singulis Capitulis hujusmodi Laudi et Compromissi predicti; que toties exigi possit, quoties in predictis, aut predictorum aliquo fuerit contrafactum, auctoritate nobis reservata, interpretandi, declarandi, delaudandi, si quid dubii aut obscuritatis oriretur, aut oriri posset in predictis et quolibet predictorum, ubicumque et quotiescumque super ipsos, aut aliquo predictorum fuerit opportunum; et etiam semel et pluries pronuntiandi, si nobis videbitur expedire. Item mandamus eidem Pasino, quod sub pena Compromissi procuret cum effectu quod dictus Bonus usque ad dictum Festum Resurrectionis, predictam sententiam habeat ratam et firmam.

Latum et pronuntiatum fuit hoc Laudum, seu arbitrium per prefatos arbitros et arbitratores, presentibus Pasino, ac Dominis Alioto, Stephanuto et Biato subscriptis, in Castro Utini, super Patriarchali Palatio. Presentibus Dominis Berofino Canonico Aquilegensi, Hectore et Federico Fratribus de Savorgnano, Francisco Plebano Murutii, Nicolao Plebano Agelli, Francisco de Manzano, magistro Francisco de Utino doctore Grammatice, et aliis, anno Dominice Nativitatis M. CCC. XXIV. Indictione VII. die Martis XIII. mensis Martii. A. N. U. O.

N. 375.

1324 26 *Marzo Gorizia.*
Federico di Ebristayn instituisce una nuova Prebenda nella Chiesa di S. Giovanni Battista di Cividale.

Giacomo da Cividale Not.

In nomine Domini amen. Anno ejusdem M. CCC. XXIV. Indictione VII. die VI. exeunte Martio, in Goritia, in domo infrascripti D. Federici testatoris. Presentibus nobilibus militibus D. D. Kuunil Ebristayn morante in Gramogliano, Magistro Cino commorante Goritie, Henrico de Goritia filio q.^{m} nobilis viri D. Andree de Pioma, Ferro de Florentia mercatore in Goritia, Mathiussio de Goritia et filio ejusdem testis, Ayncillo filio q.^{m} Osmani de Goritia, Attillo filio D. Henrici de Witembergo, Wotardo de Castro novo testibus, et aliis ad hoc specialiter vocatis et rogatis.

Inter alia que nobilis vir D. Federicus miles de Ebristayn, olim Magnifici viri D. Henrici illustris Comitis Goritie Marescalcus, sanus mente, licet corpore languens in suo ultimo testamento disposuit et ordinavit, in quo Nicolaum filium suum, et Alzubertam filiam suam, et prolem quocumque nomine censeatur, quam Nobiles Domina Itigalda ejus uxor parturiet, si contigerit eam esse pregnantem, sibi heredes instituit et legitimos successores: executores vero et Fideicommissarios predicti testamenti constituit et ordinavit nobiles milites Dominos Kaunil de Ebristayn commorantem in Gramoliano, et Henricum olim D. Andree de Pioma testes suprascriptos, prout in dicto testamento scripto manu mei Jacobi notarii infrascripti sub eisdem anno, Indictione et die, plenius continetur.

Elegit sibi sepulturam apud majorem Ecclesiam B. Marie Austrie Civitatis, cui Ecclesie legavit pro remedio anime sue, et in satisfactionem suorum incertorum male ablatorum, nobili Domina Itigalda uxore sua presente, volente, et consentiente, tres marchas in redditibus ad usum Ecclesie, jure proprii cum uno sedimine sito in villa S. Petri, juxta Isontium, sive omnia bona que habuit, et habet, et habere visus est in villa S. Petri predicta cum omnibus et singulis juribus ad ipsa bona quoquomodo, seu quocumque jure spectantibus et pertinentibus. Que quidem bona fuerunt per ipsum D. Federicum militem ipsi Domine Iltigarde uxori sue, ut ibidem dicti Jugales confitebantur, nomine Morgincapii assignata, tali conditione sive modo, quod de dictis tribus marchis in redditibus, sive bonis sitis in villa S. Petri juxta Isontium, ut supra dictum est, sui Fideicommisarii supradicti tenean-

tur et debeant de voluntate et consensu Venerabilium virorum Dominorum Decani et Capituli Civitatensis Ecclesie predicte ordinare, seu instituere, quod in Ecclesia S. Johannis Baptiste, ad Altare S. Nicolai fiat una Prebenderia competens, ratione tantum pro remedio anime dicti D. Federici; et in satisfactionem incertorum suorum male ablatorum, ut superius est expressum, unus Sacerdos per prefatos Dominos Decanum et Capitulum deputandus, teneatur et possit perpetualiter singulis diebus Missam celebrare super dicto Altari S. Nicolai. Residuum vero dictorum bonorum, sive reddituum cedant, seu distribui debeant in die sui Anniversarii inter Decanum, Canonicos et Mansionarios dicte Ecclesie, ut est moris. Pro quibus quidem tribus marchis in redditibus, sive bonis, et pro congambio dictorum bonorum, dictus D. Federicus dedit, tradidit, atque assignavit ipsi Domine Iltigalde uxori sue pro se et suis heredibus, et cui jus suum dare voluerit recipienti, infrascripta bona sita in infrascriptis locis, scilicet duos mansos sitos in villa de Gradisca apud S. Marcum. Item duos mansos sitos in villa de Jacovizza apud Muores cum uno molendino et quodam Sedimine sito in loco predicto de Muores, cum omnibus et singulis juribus ad ipsa bona quoquo modo, seu quocumque jure spectantibus et pertinentibus. Promittentes dicti jugales sibi vicissim alter alteri, cum obligatione omnium suorum bonorum presentium et futurorum, predictum Congambium ratum et firmum habere, et non contra venire aliqua occasione sub pena dupli eo de quo ex predictis questio moveretur: qua soluta aut non, predicta omnia firma perdurent. Que quidem Legata et or-

dinationes una cum aliis in dicto testamento contentis voluit valere jure sui ultimi testamenti, et sue ultime voluntatis: que si jure testamenti valere non possent, valeant saltem jure Codicillorum, et alio quovis jure quo valere possint melius, et tueri.

Et ego Jacobus de Civitate q.m D. Ropretti de Budrio Imperiali auctoritate notarius predictis omnibus interfui et rogatus subscripsi. A. C. U. c.

N. 376.

1324 5 *Aprile Cividale.*
Sospensione della Scomunica già pronunciata, contro Volrico Bojani.

Stefano da Cividale Not.

Die quinto intrante Aprili. Venerabilis vir D. Frater Johannes Abbas Rosacensis Vicarius Reverendi Patris et D. D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, ad requisitionem D. Pauli de Civitate Capitanei Montisfalconis mandavit et dixit Venerabili viro D. Guidono de Manzano Decano Civitatensi, quod D. Volricum filium ipsius D. Pauli non debeat denuntiari excommunicatum, ut mandaverat tanquam per errorem, specialiter cum dictus D. Paulus obtulerit se, nomine dicti D. Wolrici sui filii, fore paratum quod debeat persolvere juxta voluntatem ipsius D. Vicarii.

Actum in Civitate Austria, in Curia Patriarchali Presentibus D. Tramontano Canonico Civitatensi, Antonio

Notario, Henrico notario q.m Venture, Nicholao filio ipsius Magistri Antonii, et Jacobo commorante cum D. Gyno de Civitate testibus, et aliis. C. C. F. c.

N. 377.

1324 8 *Aprile Cividale.*
Il Canonico Fulchero di Gorizia è scomunicato per debiti.

Stefano da Cividale Not.

Die octavo intrante Aprili. D. Presbiter Petrus Vicarius in S. Thoma de Cirnitz pro Capitulo Civitatense, de mandato et commissione venerabilis viri D. Fratris Johannis Abbatis Rosacensis Vicarii D. Pagani Patriarche Aquilegensis, in Missarum solempniis, candelis accensis et extinctis, campanis pulsatis ad vesperum, more solito, publice coram populo, D. Fulcherum de Goritz Canonicum Civitatensem excommunicatum denuntiavit pro ejus debitis, et expensis, et fidejussione qua tenetur D. D. Odorlico de Midea, et Petro de Orsaria Canonicis Ecclesie Civitatensis.

Actum in Civitate Austria, in Ecclesia majori S. Marie Civitatensis. Presentibus D. Guilielmino Preposito Concordiensi, et Archidiacono pro Capitulo Civitatis, Tramontano Canonico Civitatensi; D. Guilielmo q.m Magistri Walteri, Antonio Notario, Nicolao ejus filio, et Gregorio q.m D. Ossalchi testibus, et aliis. A. N. U. o.

N. 378.

1324 17 *Aprile Udine.*
La Contessa di Gorizia chiede l' investitura dei feudi che Enrico di lei marito avea avuto dalla Chiesa d' Aquileja.

Melioranza Can. P.

Anno Nativitatis Domini m. ccc. xxiv. die xvii. Aprilis. In Castro Utini, super Patriarchali Palatio. Presentibus Dominis Odorlico de Cucanea, Hectore de Savorgnano militibus, Johanne de Villalta, Asquino de Coloreto, Andrea de Mels, Federico de Murucio, et aliis pluribus.

Discretus vir D. Albertus de Goritia notarius Curie excellentissime Domine D. Beatricis Comitisse Goritie et Tyrolis, Matris, Tutricis, et Rectricis magnifici viri D. Johannis Henrici Comitis Goritie et Tyrolis, procurator, et procuratorio nomine ipsius D. Comitisse ad hoc specialiter constitutus, prout de ipsa procuratione constat publico Instrumento scripto manu Zamboni notarii de Civitate Belluni nunc Goritie habitantis, sub anno Nativitatis Domini m. ccc. xxiv. Indictione septima, die xiv. intrante Aprili a me Notario infrascripto, viso et lecto, procuratorio nomine antedicto, infra annum et diem obitus bone memorie D. Henrici Comitis Goritie et Tyrolis, petivit ab eodem Domino investituram Feudorum, que predictus D. Johannes Henricus

a predicto D. Patriarcha et ab Ecclesia Aquilegensi habet et tenet, offerens se paratum fidelitatis prestare juramentum nomine antedicto. Qui D. Vicarius respondit Procuratori predicto, quod dictam Investituram non faceret sine conscientia et speciali mandato D. Patriarche; et bene confitebatur et contentus erat quod dictus procurator investituram predictorum Feudorum infra tempus debitum faceret. A. N. U. o.

N. 379.

1324 18 *Aprile Gorizia.*

I Signori di Villalta chiedono di esser investiti dei beni che aveano in feudo dai Conti di Gorizia, e loro dispetto perchè tal dimanda non è sul fatto ammessa.

Pantaleone Not.

Die tertiadecima exeunte mense Aprilis. In Goritie Castro. Presentibus nobili viro D. Raulo Magistro Curie, Hendrico notario de Orzono, Cino in Goritia commorante testibus, et aliis.

D. Odorlicus de Villalta pro se, et procuratorio nomine Dominorum Johannis, Hendrigutii ac D. Federici, nec non Dominorum Lodoici, Musati, et Rantulphini fratrum q.^m^ Dietulini de Villalta, ac etiam pro Jazilo q.^m^ D. Artrusini, ut patet publico Instrumento confecto manu Presbiteri Petri notarii de Faganea anno M. CCC. XXIV. Indictione VII. die XVI. Intrante Aprili, et plenius contine-

tur, petiit et rogavit illustrissimam Dominam Beatricem Comitissam Goritie, quod sibi investitionem faceret, et investiret Feuda, que domus de Villalta, sive Domini predicti habuerunt a Domo Goritie, quia parati erant facere Sacramentum fidelitatis, ut decebat. Que Domina Comitissa respondens dixit, quod sibi nullam faciebat investitionem feudorum dictorum, nisi prius D. Dux Carinthie veniret in partes Forijulii, salvis tamen rationibus Vicarii Patriarche. Qui D. Odorlicus pro se, ac procuratorio nomine ut supra, protestavit et dixit; quod volebat quod predicta essent in prejudicium Dominorum de Villalta, et mandavit mihi Notario subscripto, ut de predictis sibi facerem publicum Instrumentum. A. N. U. o.

N. 380.

1324 26 *Aprile Udine.*
Podestaria di Marano.

Melioranza Can. P.

Die quinto exeunte Aprili. In Castro Utini, in Curia Patriarchali. Presentibus Dominis Francischino de la Turre Canonico Ecclesie Aquilegensis, Carlevario de la Turre nepotibus infrascripti D. Patriarche, Johanne milite de Campo S. Petri cive Paduano, Guidoto de Polenzonibus Canonico Aquilegensi, Andrioto de Zavateriis de Mediolano, qui moratur in Utino, et aliis.

Venerabiles viri Domini Frater Johannes Abbas Rosacensis Vicarius, et Berofinus Canonicus Aquilegensis Vi-

cedominus, et procuratores Reverendi Patris D. Pagani Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, concesserunt, locaverunt et vendiderunt, nomine predicti D. Patriarche et Ecclesie Aquilegensis, discreto viro Bertholotto filio q.^m^ D. Anselmi de Carisaco Potestariam Marani, Mutam, ac omnes redditus, afflictus, et jura quocumque nomine censeantur, predicto D. Patriarche in Marano, seu in dicta Potestaria spectantia, a nuper preterito festo S. Georgii, usque ad unum annum proximum et completum. Pro quibus Potestaria, Muta et juribus antedictis, dictus Bertholottus promisit dare et solvere predictis D. D. Vicario et Vicedomino Marchas septuaginta Aquilegensis monete. Videlicet Marchas triginta quinque in duobus terminis, videlicet medietatem in proximo venturo Festo Assumptionis B. Marie, et aliam medietatem, seu complementum in sequenti festo S. Michaelis.

A. N. U. ó.

N. 381.

1324 30 *Aprile Cividale.*
Super hiis qui interficiunt homines.

Statuto di Cividale giusta il Codice Belgrado.

Anno Domini M. CCC. XXIV. Indictione VII. die ultimo Aprilis. Ordinatum et firmatum fuit per Statutarios deputatos per Consilium ad reformanda Statuta, ut moris est. Si aliquis in Civitate, aut jura aliquem hominem masculum aut femminam interfecerit, de quo esset publi-

ca vox et fama, tam se defendendo, quam aliter quoquo modo, salvo jure Dominii, solvat et solvere teneatur Communi Civitatis ducentas libras Veronensium parvulorum. Et quicumque ei astiterit ad hoc, solvat Communi libras centum Veronensium. Ita quod per Dominium nulla securitas recipiatur ab eis, nec intrent in Terram et juram Civitatis, nec fiant eis Tregue, nisi prius Camerarii Communis in prompta pecunia habeant dictum bannum. Et nihilominus homicida principalis stet ad annum et diem extra Civitatem et juram. Si vero Vicinus interfecerit Vicinum Civitatis, seu concivem extra Civitatem et juram in Castaldia Civitatis, solvat similiter penam, et stet ad annum et diem extra Civitatem, ut supra. Et si extra Civitatem et juram in Castaldia Civitatis aliquis non vicinus interfecerit aliquem Vicinum seu civem, stet perpetualiter extra Terram et juram.

Si vero in Castaldia Civitatis aliquis non vicinus interfecerit non vicinum, stet ad annum et diem extra Civitatem et juram. Et si aliquis predictorum inventus fuerit in Civitate, aut jura, capiatur de persona, non obstante si treguas fecerit, aut securitatem de parendo juri priusquam Medici pronunciaverint vulneratum extra periculum Mortis fore: Ita quod per Provisores eligantur Medici tam de Physica, quam de Cirologia ,qui per Sacramentum teneantur dicere veritatem, sed procedatur contra eum tanquam si esset captus super maleficio. Si autem aliquis de Civitate aut jura aliquem talem receptaverit scienter, solvat pro quolibet, et qualibet vice Communi libras Veronensium L. Ita quidem quod si Dominium ceperit aliquem ex hiis homicidiariis, et eum pu-

fuerit in persona interficiendo eum, Commune nihil habeat de banno predicto. Et si Castaldio daret eum extra sub securitate, Commune habeat regressum ad dictum Castaldionem de dicto banno, ac etiam contra personam et bona dictorum dilinquentium, ut est scriptum. Si vero malefactor fugam arripuerit extra Terram, si habuerit bona in Terra aut Castaldia Civitatis, Commune contra sua bona procedat ad habendam satisfactionem bonorum predictorum. Et si non habuerit bona, aut fuerit forensis, proclametur, et sit in banno Communis donec pecuniam solverit memoratam: nisi per hoc juri Dominii in aliquo derogetur. Sic etiam quod si malefactor punietur de persona, bona sua remaneant heredibus, seu proximioribus suis. Si vero fugam arripuerit, Castaldio et Provisores Communis possunt bona ei intromittere, et scribi facere, non accipiendo, aut alienando ea, sed super illis procedatur sicut dictum est, et de super abundanti bannorum, laudo et sententia mediante; et ita quod inculpabilis pro culpabili nullatenus puniatur.

Anno Domini M. CCC. XXVI. Indictione IX. die tertia exeunte Aprili. Ordinatum fuit per Statutarios, et additum, et declaratum, quod in predicto Capitulo intelligantur Vicini omnes qui faciunt equites aut pedites pro Communi, et omnes qui habitant in Civitate et jura, sed non Massarii aliorum qui habitant in villis, licet faciant waytam et Schyrawaytam Terre Civitatis.

Item fuit additum et correctum, quod postquam homicida principalis solverit bannum ducentarum librarum Communi, nihilominus stet extra Civitatem et juram per tres annos, nec habeat pacem cum heredibus, seu amicis

defuncti. Et ille qui sibi astitit solverit bannum centum librarum Communi, et nihilominus stet ad annum et diem extra Civitatem et juram, nec habeat pacem ab amicis defuncti. o.

N. 382.

1324 *4 Maggio, Avignone.*

Crociata contro i Marchesi d' Este.

Johannes etc. Venerabilibus Fratribus Patriarche Aquilegensi, ejusque Suffraganeis. Nuper de Fratrum nostrorum consilio contra Raynaldum, Opizonem, et Azonem, qui se dicunt Marchiones Estenses, hereticos manifestos, et de heresi condempnatos, ac Romane Ecclesie hostes publicos et rebelles, eorumque complices, fautores, auxiliatores, valitores, et adherentes eisdem, post diversos Processus, diversis temporibus per nos, et auctoritate nostra habitos, contra eos per victricis Crucis suffragium potenter exurgere providentes, quosdam Processus fecimus, per quos certas remissiones et Indulgentias omnibus vere penitentibus et confessis, qui signo ipsius Crucis vivifice assumpto, proficiscerentur ad expugnationem eorum, duximus concedendas .... Quocirca Fraternitatem vestram requirimus et hortamur attente, vobis in virtute obedientie districtius injungentes, quatenus singuli vestrum, in singulis vestris Civitatibus et Diocesibus ad hec fidelium populis convocatis, in predicationibus publicis et solemnibus, eisdem fidelibus dictos Processus, et omnia contenta in eis, et

maxime remissiones et indulgentias suprascriptas per vos, et alios religiosos et seculares, in quorum labiis divini eloquii gratia sit diffusa, solemniter publicare curetis, eosdem salutaribus exortationibus inducentes ad assumendum et prosequendum viriliter causam Dei, et negotium Fidei contra hereticos, et eorum fautores, auxiliatores, valitores, sequaces, et complices supradictos, et adherentes eisdem; nec non ad ministrandum de bonis suis ad prosecutionem ejusdem negotii, prout eis Dominus inspirabit, et in prefatis litteris plenius, et seriosius continetur.

Quia vero nostre intentionis existit quod pecuniarum subsidium contra hereticos et alios supradictos per fideles transmittendum, adhibita diligenti cautela et fideli custodia conservetur, universitati vestre districtius auctoritate presentium injungimus et mandamus, ut singuli vestrum, infra singulas vestras Cathedrales et Collegiatas, ac Parochiales Ecclesias vestrarum civitatum et Diocesum, in tutis et accomodatis locis, singulas Archas, seu Truncos suffossos et cavatos, bene firmatos et clausos tribus ferreis serraturis, qui cum tribus omnino dissimilibus aperiantur clavibus et claudantur; in quibus hujusmodi pecuniarum subsidium per fideles eosdem, prout eis ministrabit Dominus, offeratur, et etiam recondatur, pro nostra et Apostolice Sedis reverentia, costrui faciatis vestris sumptibus et expensis. Volumus autem, quod singuli vestrum unam de ipsis clavibus Archarum seu Truncorum eorumdem, quos videlicet in Majori et aliis Ecclesiis vestrarum Civitatum constitui contigerit, custodiat et conservet. Altera vero per Capitula, seu Rectores Ecclesiarum ipsarum; et reliqua per Priorem Predicatorum, seu

Guardianum Minorum Fratrum Ordinum, vel alium quem vos ad hoc in singulis eisdem Ecclesie locorum illorum, in quibus Fratres ipsi non essent, forsitan deputandum duxeritis, conserventur. Aliarum vero Archarum, seu Trunchorum, quos in Ecclesiis vestrarum Diocesum ad hoc construi contigerit, Capitula, seu Rectores Ecclesiarum ipsarum custodiant unam clavium: alia vero per Priorem, seu Guardianum predictorum Ordinum, vel Religiosum alium, seu Sacerdotem Secularem bone opinionis et fame, quam ad hoc in singulis predictis Ecclesiis, illorum scilicet locorum, in quibus dicti Fratres non essent, duxeritis assumendum; et tertia per alium bonum virum bone opinionis et fame, fide ac facultatibus fidum, per vos ad hoc assumendum, similiter conserventur: quodque hujusmodi pecuniarum subsidium Nuntio, seu Nuntiis, qui ad hoc per Sedem eamdem cum Apostolicis litteris trasmittentur, cum, et quoties super hoc ab eis requisiti fueritis, iisdem Archis, seu Truncis in eorum apertis presentia, integraliter assignetur; facientes fieri de qualibet assignatione pecunie eidem Nuntio, seu Nunciis assignande, duplices consimiles patentes litteras, assignantium et Nuntii, seu Nuntiorum predictorum sigillis munitas; quorum altera penes vos retenta, reliquam ad Cameram nostram per fideles Nuntios transmittatis, Presentibus per biennium immediate valituris.

Datum Avenioni. Quarto Nonas Maii, Pontificatus nostri anno octavo. B. S. D. c.

N. 383.

1324 14 *Maggio Cividale.*
Custode di Tolmino.

Stefano da Cividale Not.

Die xiv. intrante Madio. Mathia calcifex gener q.m Chartarii de Burgo S. Dominici Civitatis intendens stare Tulmini pro custodia, promisit, et se obligavit, ac fecit securitatem de solutione pro rata temporis qua recipiet servitium, ut restituet denarios recipiendos sub pactis et modis quibus alii Custodes. Pro ipso Mathia extitit Fidejussor Jacobus nepos q.m Gyni, cum obligatione omnium suorum bonorum, in manibus Gaze recipientis vice et nomine D. Hermachore Capitanei Tulmini.

Actum in Civitate Austria. In Curia Patriarchali. Presentibus D. Saglino de Parma Castaldione Civitatis, et Antonio genero q.m D. Chartarii de Civitate testibus, et aliis. A. N. U. o.

N. 384.

1324 15 *Maggio Udine.*
Il Vicedomino del Patriarca approva il Rendiconto del Gastaldo di Tolmino, e riceve da lui cento Marche ad imprestito.

Melioranza Can. P.

Die xv. Maii. In Castro Utini. Super Patriarchali palatio. Presentibus venerabili viro D. Fratre Johanne

Abbate Rosacensi Vicario infrascripti D. Patriarche, D. Syurido de Altemburch Canonico Civitatensi, Rizato de Padua Mansionario Majoris Ecclesie Paduane, Rizolo filio D. Federici de Villalta, Casoto qui fuit de Turino, et aliis.

Venerabilis vir D. Berofinus Canonicus Aquilegensis Vicedominus Reverendi Patris D. Pagani Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, confessus et contentus fuit, nomine ipsius D. Patriarche, quod nobilis vir Hermachoras olim D. Raymundi de la Turre sibi fecerat integram rationem de Gastaldia Tulmini, et fructibus, affictibus et juribus dicto D. Patriarche in ipsa Gastaldia spectantibus, pro anno millesimo trecentesimo vigesimo tertio, Indictione sexta. Qui Gastaldie annus finivit in nuper preterito festo S. Georgii, et de predictis sibi plenarie satisfecerat, faciens ipsi Hermachore, nomine antedicto, finem, quietationem de amplius non petendo rationem, nec satisfactionem aliquam de predictis.

Insuper confessus et contentus fuit idem D. Berofinus se habuisse et recepisse, nomine mutui, pro dicto D. Patriarcha ab ipso Hermachora super fructibus et juribus anni presentis millesimi trecentesimi vigesimi quarti, indictione septima, marchas centum Aquilegensis monete: renuntians exceptioni non sibi date et numerate predicte quantitatis pecunie, et omni spei future numerationis; dans ipsi Hermachore licentiam et auctoritatem tantum accipiendi de fructibus et redditibus antedictis, qui sibi sufficiant ad plenam satisfactionem dictarum centum Marcharum. A. N. U. o.

N. 385.

1324 28 *Maggio Aquileja.*

Prebende de' Vicariati Imperiale e Patriarcale vacanti nel Capitolo d' Aquileja date in affitto dal Collettore Pontificio.

Noverint universi et singuli presentes litteras inspecturi, quod nos Petrus Alrici Canonicus Mimatensis, Collector Decimarum et fructuum Beneficiorum vacantium in reservationibus triennali et annuali dudum factis per Sanctissimum Patrem et Dominum nostrum D. Johannem, digna Dei providentia, Papam xxII. in Patriarchatibus Aquilegensi et Gradensi a dicto Domino nostro Papa una cum aliis in solidum deputatus; fructus, redditus et proventus unius anni Prebendarum, seu Canonicatuum Dominorum Francischi de Michaelis de Venetiis, et Herechi de Truscio Canonicorum Ecclesie Aquilegensis, et Vicariatus D. Patriarche Aquilegensis, qui in triennali, et Vicariatus Imperatoris in dicta Ecclesia Aquilegensi, in annuali reservationibus vacaverunt, venerabilibus et prudentibus viris Vicedecano, Canonicis et Capitulo Aquilegensi affictavimus, locavimus, seu aredavimus pretio et conventione quadraginta duarum Marcharum Frixachensium monete Aquilegensis; promittentibus et solempniter nobis stipulantibus medietatem ipsius pecunie in proximo festo S. Michaelis, et aliam medietatem in proximo subsequenti Festo omnium Sanctorum nobis dare et solvere, aut cui

per nos extiterit ordinatus. In cujus rei testimonium presentibus nostrum Sigillum duximus apponendum.

Datum Aquilegie die XXVIII. mensis Maii, anno Domini M. CCC. XXIV. septime Indictionis, Pontificatus dicti Domini nostri Pape anno octavo. A. C. U. o.

N. 386.

1324 2 *Luglio Cividale.*
Insegna dei Signori di Cormons, di Oleis, di Villesso e di Giovanni q.m Covatti da Cividale.

Stefano da Cividale Not.

Die secundo intrante Julio: Coram discreto viro D. Saglino de Parma Castaldione Civitatis in judicio pro tribunali sedente, infrascripti Testes ad petitionem D. Jacobi militis de Cormono, D. Henrici de Oleis, Ardimani, et D. Thomasini de Vilessio commorantis Trussii, et Johannis q.m Covati de Civitate cum instantia rogantium examinari, super eo quod scire debeant, quod q.m dictus D. Henricus, pater ipsius D. Jacobi militis, et q.m Thomasinus pater ipsius Ardemani de Vilessio, et q.m Covatus de Civitate semper consueverunt portare Cesinum album in campo vermileo, et portaverunt semper illi de domo de Vilessio. Qui Testes infrascripti juraverunt corporaliter ad Sancta Dei Evangelia, eis delato Sacramento per me Stephanum Notarium subscriptum de mandato ipsius D. Castaldionis, dicere veritatem de predictis, remotis odio, et timore, prece, et pretio.

In primis D. Adalprettus commorans Civitate q.^{m} D. Jacobi de Campelyo interrogatus super predictis, dixit suo Sacramento: quod a bona sua memoria et recordatione de quadraginta annis, vidit suis propriis oculis, quod quidam D. Henricus de Oleis, pater ipsius D. Jacobi militis, et ipse D. Jacobus, ac filii, et illi de domo sua, portaverunt, et consueverunt portare Cesinum album in campo vermileo in clipeo et galea, et dictus q.^{m} Thomasinus et Ardemanus predictus ejus filius, ac q.^{m} Covatus de Civitate, et filii portant, et consueverunt portare.

Item Matheus filius Peregrini de Civitate interrogatus super predictis, dixit suo Sacramento, quod a sua bona memoria et recordatione viginti quatuor annorum et plurium, vidit suis propriis oculis, quod D. Jacobus miles predictus, et filii, ac ipse Ardemanus, et Covattus de Civitate, portaverunt et consueverunt portare Cesinum album in campo vermileo in clipeo et galea, et omnes de domo de Vilessio portant et consueverunt portare dictam armaturam.

Item D. Henricus q.^{m} D. Varete de Civitate interrogatus super predictis, dixit suo Sacramento; quod a sua bona memoria et recordatione bene sexaginta annorum, antequam natus fuisset D. Jacobus miles de Cormono, D. Henricus pater ipsius D. Jacobi, et illi de domo de Vilessio, D. Thomasinus, et Covatus semper portaverunt, et consueverunt portare Cesinum album in campo vermileo in clipeo et galea; et dictus D. Jacobus, et filii, ac omnes de domo de Vilessio portant, et consueverunt portare dictam armaturam, et Ardemanus et filii q.^{m} Covatti similiter portant.

Item Jacobus q.m D. Gerardini de Civitate interrogatus super predictis, dixit suo Sacramento; quod a sua bona memoria et recordatione bene triginta annorum vidit suis propriis oculis, quod dictus Henricus de Oleis, pater ipsius D. Jacobi militis, et Thomasinus, et Covattus, ac ipse D. Jacobus miles, et filii, nec non filii dicti q.m Covatti, portaverunt, et consueverunt portare, et portant Cesinum album in campo vermileo in clipeo et galea.

Actum in Civitate Austria Aquilegensis Diocesis, in domo Communis. Presentibus Sbruglio de Cormono, et Johanne, et Ribisino fratribus de Civitate, Duringo de Visinicho, Francisco de Barbana, Francisco Bertolotti de Civitate, Stephano q.m D. Egidii de Civitate, Petro dicto Botazino de Civitate, et Jacobo Grano de Civitate testibus, et aliis. A. N. U. o.

N. 387.

1324 17 *Luglio Cividale.*
Proroga della Tregua tra Filippo de Portis e fuorusciti di Cividale.

Stefano da Cividale Not.

Die xv. exeunte Julio. Nobilis vir D. Philippus de Portis de Civitate pro se suisque amicis et coadjutoribus fecit et laudavit, fide data in manibus venerabilis viri D. Fratris Johannis Abbatis Rosacensis Vicarii Reverendi patris et D. D. Pagani Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, recipientis pro se, et nomine et vice Ni-

colai q.m Gulielmi Galangani, Jacomessii et Nicolai de Foro extrinsecorum de Civitate, Treguas, prout antea fuerant, eisdem pactis et conditionibus quibus antea fuerunt, et duraturas hinc ad Festum S. Jacobi proxime futurum per totum mensem Augusti proxime futuri; hac forma, et modo, quod dicti extrinseci teneantur per octo dies ante notificare si Johannes et Fratres q.m Virgilii extrinseci, aut aliquis eorum eas observare intendant.

Actum in Civitate Austria, in Curia Patriarchali. Presentibus venerabili viro D. Berofino Vicedomino Aquilegensi, D. Guidone Decano Civitatensi, Paulo q.m D. Boyani, Philippo et Gregorio fratribus q.m D. Ossalchi, Ottonello q.m D. Ugonis de Medea, Petro dicto Botazino de Civitate, et Fulchero filio Antonii generis ser Alexii de Civitate testibus, et aliis.

Item eo die. Nicolaus q.m D. Galangani de Civitate, Nicolaus de Foro Canonicus Civitatensis, et Franciscus q.m Ogniboni de Civitate commorans Uruspergi, pro se et eorum amicis et coadjutoribus fecerunt et laudaverunt, fidantia manuali in manibus Beltrami de Olzate familiare Reverendi et venerabilis patris D. Fratris Johannis Abbatis Rosacensis Vicarii D. Pagani Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, pro ipso D. Vicario, vice et nomine D. Philippi de Portis de Civitate et suorum amicorum et coadjutorum, ut antea erant, treguas usque ad Kalendas Septembris proxime futuri, sub eisdem penis, modis, et conditionibus, et forma, ut antea erant. Hoc tamen addito, quod ipse libeant Johanni et fratribus q.m Virgilii de Civitate, ac notificent, si intendunt tenere treguas hujusmodi, aut non: et si nolent, quod aliquis de

predictis Nicolao et Jacomessio nolet tenere, aut aliquis ex eorum amicis, notificet ipsi D. Vicario, seu predicto Philippo infra octo dies, ante terminum treguarum exportationem, seu offensionem.

Actum ante Castrum Cruspergi. Presentibus D. D. Philippo q.m D. Conradutii de Civitate, Ingalperto ejus fratre, et Nicolussio q.m Johannis Burbe de Civitate testibus, et aliis. A. N. U. o.

N. 388.

1324 *7 Agosto Udine.*
Omaggio tributato al Patriarca da Mainardo Conte di Ortemburch.

Stefano da Cividale Not.

Die septimo intrante Augusto. Pernardus de Rinizt nuncius magnifici ac potentis viri D. Maynardi illustris Comitis de Ortemburch solvit, et dedit D. Carlevario nepoti D. Pagani Patriarche Aquilegensis, pro quodam Feudo, quod ipse D. Comes noscitur habere ab ipso D. Patriarcha et Aquilegensi Ecclesia, duo Austoria.

Actum ante portam Castri Utini. Presentibus Nicholuscio filio D. Federici Indriottis, D. Francisco nepote ipsius D. Patriarche, Bartholomeo filio Tubie de Utino, Donado q.m Nicholai Archoloniani de Utino, Francisco q.m Jacobi de Castro Veneris, et Johanne filio Chotiani de Civitate testibus, et aliis. A. N. U. o.

N. 389.

1324 8 *Agosto Aquileja.*
Leonarduccio da Cividale è colpito di Scomunica per non aver eseguiti gli ordini datigli dal Vicario Patriarcale.

Benvenuto q.m Corrado Not.

Frater Johannes Abbas S. Petri Rosacensis, Vicarius Reverendi patris D. Pagani S. Sedis Aquilegensis Patriarche, venerabilibus viris Dominis Decano et Capitulo Civitatis, omnibus et singulis Capellanis dicte Terre salutem in Domino.

Exposuit nobis Landutius notarius Civitatis quod apud Saginum et Albertum fratres, et Stephanum Chotiani de Civitate pro Leonardutio q.m Jacobi et Pernardo Castanee de Civitate in tanta quantitate pecunie extitit fidejussor, per quam fidejussionem magna dampna et expensas sustinuit et sustinet, ultra labores personales. Cui Leonardutio per alias nostras literas mandavimus, ut eumdem Landutium a dicta fidejussione conservaret indempnem, et de dampnis et expensis infra certum tempus in nostris litteris comprehensum, satisfaciendo eidem, aut in termino sibi dato, comparere deberet in justitia sibi responsurus, quorum neutrum facere curavit; ex qua causa, ejus contumatia exigente, excommunicationis sententiam in predictis litteris contentam ipso facto incurrit. Quare vobis districte precipiendo mandamus, quatenus

eumdem Leonardutium in vestris Ecclesiis excommunicatum publice denuntietis, et more solito, denuntiari faciatis singulis diebus Dominicis et festivis, quousque eidem Landutio satisfecerit, aut per alios amicabiliter convenerit cum eodem.

Data Aquilegie VII. die Augusti. A. N. U. o.

N. 390.

1324 8 *Agosto Udine.*
Capitoli dei Dazj della Città di Udine.

In Christi nomine Amen. Anno M. CCC. XXIV. Indictione VII. die octava intrante Augusto. Ad laudem Dei omnipotentis, et Virginis matris ejus, ac pro utili et evidenti necessitate, ac super provisione Datiorum dicti Communis facienda, pro solvendis debitis ipsius Communis, firmatum fuit die eadem in Ecclesia majori de Utino, per providum et discretum virum D. Andriotam de Zavatariis de Mediolano Gastaldionem Terre Utini, et per omnes bonos homines Terre predicte, nemine discrepante, quod provisio sit et esse debeat super Datiis Communis antedicti a Festo S. Michaelis proxime futuro, usque ad duos annos post Festum S. Michaelis predicti immediate inde subsequentes pro dicta causa superius assignata.

De Pane

In primis quod quilibet Vicinus Utinensis, qui in Utino panem fecerit, vel fieri fecerit ad vendendum, vel extra

Utinum duxerit ad vendendum, solvat ultra Datium quod ad presens solvitur, Veronenses VII. de uno stario. Si autem plus fecerit de uno stario, ut puta tres quartas, vel duos starios, solvat denarium unum. Item Albergatores de pane quem dant hospitibus suis non dando ad pastum solvant Datium eodem modo quo dictum est superius, et quod stetur Sacramento de hoc hospitis.

De Raybolo de Istria, de Collibus, Pinella ac Clareda et Turbiano.

Item quod quicumque Vicinus Utinensis qui in Utino vendiderit, vel vendi fecerit ad minutum Raybolum de Istria, de Collibus, Turbianum, Claredam et Pinellam, solvat de quolibet congio, ultra quod ad presens solvitur, tres grossos. Qui vero vinum Decretum, Malvasiam, Vernaciam vel Muscatellum ad minutum vendiderit, solvat de quolibet congio grossos sex, ultra presens Datium. Qui vero vinum Terranum ad minutum vendiderit, solvat de quolibet congio, ultra presens Datium, quatuor solidos. Albergatores vero de vino, quod ad minutum vendiderint hospitibus suis extra pastum, solvant eodem modo sicut superius dictum est.

De Carnibus

Item quod quicumque de Utino carnes etiam fecerit ad vendendum, solvat, ultra Datium quod ad presens solvitur, de qualibet libra carnium de Castrato, de Moltono, de Pecude, et de Porco, unum veronensem. De qualibet vero libra carnium de Armenta, de Capra, de Irco, me-

dium Veronensem; ita tamen quod pro Commune adimantur, pro qualibet bestia, due libre, de qualibet vero armenta et porco libre quatuor adimantur.

De Piscibus

Item quod quicumque vicinus in Utino Pisces detulerit ad vendendum, solvat de quolibet curru denarios quatuor. De quolibet equo, aut asino denarios duos. De quolibet cisto ad dorsum, denarium unum, et de qualibet ceura Piscium salatorum, denarium unum. Et predicta omnia et singula solvantur, ultra presens Datium quod ad presens solvitur. Forensis vero, si pisces salatos in grossum vendiderit, nihil solvat.

De Melle et Oleo

Item quod quilibet Vicinus, qui in Utino Oleum, vel mel vendiderit in grossum, vel ad minutum, solvat de qualibet urna denarios quinque, ultra presens Datium. Forensis vero nihil solvat, nisi post quatuor dies postquam fuerit discarcatum, qui tunc solvat sicut jam dictum est.

De Caseo salato, Carnibus Salatis et Assungia.

Item quod quicumque Vicinus Utinensis, qui in Utino vendiderit in grossum vel ad minutum Caseum salatum, Carnes salatas, vel Assungiam, solvat de qualibet libra medium Veronensem, ultra presens Datium.

De Caseo Teotonico

Item quod quicumque Vicinus Utinensis vendiderit, vel extra duxerit ad vendendum, Caseum Teotoni-

cum, ultra presens Datium, solvat de quolibet Casco magno vel parvo, unum Veronensem.

De Panno lineo

Item quod quilibet Vicinus de quolibet Centenario Panni linei, quod in Utino vendetur per eum Vicinum Utinensem, vel extra ducetur ad vendendum per eum vicinum dicte Terre Utini, solvat denarios duos. Et si plus vel minus vendiderit, solvat secundum impositionem predictam. Forensis vero, qui etiam hujusmodi pannum extra duxerit, si ipsum emet ad minutum, solvat secundum predictum modum: si autem in grossum emit, nihil solvat. Si vero aliquis Vicinus Utini, seu qui moraretur in Utino, pannum vendiderit de lino suo, aut quo emit et filaverit, vel filari fecerit, nihil solvat. Si autem aliquis emerit filatum, et fecerit, aut fieri fecerit pannum, si ipsum pannum vendiderit, solvat secundum predictum modum.

De Panno Griseo.

Item quod de qualibet macia panni grisei, que in Utino vendetur ad retalgum, vel extra ad vendendum ducetur per Vicinum Utini, solvatur unus Denarius, ultra Datium quod ad presens solvitur. Forensis vero, qui pannum hujusmodi extra duxerit, et illum ibidem emerit ad minutum, solvat etiam de qualibet macia, Veronensem unum. Pro faciendo vero sibi tunicam, nihil solvat.

De Barcando, Poltrembulo, Villesso et Buchiramo.

Item quod de quolibet pecia Barcandi, Poltrembuli, Villessii et Buchirami, que ad retalgum, vel aliter vendetur in Utino per Vicinum ejusdem loci, solvat qui vendiderit denarium unum, ultra presens Datium. De Tarantamis vero, que in Utino fiunt, nihil solvatur. Item quod de quibuscumque predictis Mercationibus que extra Utinum ducentur per Vicinum ejusdem loci ad mercata, vel ad Festa, vel ad exercitum, solvat Datium secundum modum predictum: de hiis videlicet que vendita fuerint ibidem.

De Caveciis

Item quod de quolibet Cavecio quod venditur in Utino, aut ducetur extra Utinum per Vicinum Utini, solvat qui vendiderit, vel extra duxerit, Veronenses septem. Forensis vero qui hujusmodi cavetia extra duxerit, si ea ibi emerit ad minutum, solvat ut dictum est.

De Lana

Item quod in quolibet centenario lane que venditur in Utino per Vicinum ejusdem loci, vel extra ducetur Utinum, solvantur duo denarii et plus et minus pro rata. Forensis vero si in grossum emerit, nihil solvat; si vero extra Utinum duxerit, vel eam ibidem emerit ad minutum, solvat ut dictum est. De Lana vero que tonditur vel spellatur per cerdones, vel pelliparios nihil solvatur.

De Cultris

Item quod de qualibet cultra que venditur in Utino per Vicinum, solvatur denarius unus.

De pannis ultramontanis et citramontanis

Item quod de qualibet petia panni ultramontani que vendetur in Utino, solvantur quatuor denarii. De petia vero citramontani duo. De petia vero mantellarosii, denarius unus.

De Ferro

Item quod de quolibet centenario ferri de Masella quod vendetur in Utino per Vicinum, solvantur sex Veronenses. De quolibet centenario ferri de maza, unus solidus de plus aut minus pro rata.

Et predicta omnia solvantur ultra Dacia que solvuntur ad presens. *Archivio Municipale di Udine.* c.

N. 391.

1324 25 *Agosto Serravalle.*
Le ville di Bugnins e Bando date in Feudo da Rizzardo da Camino ad Odorico di Cucagna.

Verci Doc. 977.

Anno Domini M. CCC. XXIV. Indictione Septima, die penultimo Augusti. Presentibus Florido q.m D. Gaffacini notarii dicti Muty, Fratre Bono notario dicti loci, Crinna de Castello de Civitate Belluni, Armando notario de villa Cadubrii, Jacobo de Dozzalis, Federico notario de Frasca, Gabriele notario de Foro, Blasio notario de Mezzano, et aliis testibus vocatis et rogatis.

Magnificus et potens vir D. Riccardus de Camino licentia, decreto et auctoritate Nobilium virorum Dominorum Odorici de Tavarini de Aleardis, et Alexandri Potestatis Salvaroli Commissariorum suorum ibidem presentium et consulentium, investivit nobilem virum D. Odoricum de Cucanea de sua ratione feudi villarum Bugnini et Bandi de Forojulii, secundum quod dictus D. Odoricus fuerat investitus a predicto D. Guecellone de Camino, et secundum quod ipse nunc habet, tenet et possidet. Qui D. Odoricus in presenti juravit ad S. Dei Evangelia fidelitatem debitam dicto D. Riccardo, prout fidelis vassallus suo Domino tenetur et debet, salva fidelitate anteriorum Dominorum signa habentium.

Actum in Castro Serravalli. In palatio infrascripti D. Riccardi de Camino. Ego Odoricus de Petro Imperiali auctoritate notarius hiis omnibus interfui, et scripsi rogatus.

N. 392.

1324 26 *Settembre Udine.*

Vorlico di Tercano è condannato a pagar i danni e le spese a Bertolotto notajo da lui preso e spogliato.

Stefano da Cividale Not.

Die quinto exeunte Septembri. Coram venerabili viro D. Fratre Johanne Abbate Rosacensi Vicario Reverendi in Christo patris et D. D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche in judicio

pro tribunali sedente; Bertolotto notario de Civitate ex parte una, et D. Worlico de Tricano inferiori ex parte altera constitutis, dictus Bertolottus proposuit per suum procuratorem dicens; quod tantum placitaverat cum ipso D. Worlico pro centum et sexaginta tribus libris Veronensium parvulorum, quas sibi dare promiserat et steterat ad Festum proximum elapsum S. Marie de Mense Septembris, pro eo quod ipse D. Worlicus ipsum ceperat in personam, et sibi abstulerat equos, et denarios. Ipse vero Worlicus se traxit probaturus, quod propter hujusmodi obligationem ipse Bertolottus sibi remiserat, et finem et remissionem fecerat, prout habebat publicum Instrumentum; et ut ad diem hodiernam datus erat terminus ad producendum hujusmodi finem et remissionem, produxit quoddam Instrumentum manu Jacobi notarii de Portu Latisane confectum sub anno Domini M. CCC. XXIII. Indictione VI. die quinto exeunte Septembri, prout ibidem fuit lectum etc. etc. Super quibus, petente dicto D. Vicario a circumstantibus quod juris esset, sententiatum fuit per omnes, nemine discrepante, quod per dictum Instrumentum finis et remissio nihil probantur. Et dum vellet appellare, sententiatum fuit per omnes, quod non poterat appellare; et de dampnis et expensis dictus D. Worlicus ipsi Bertolotto debebat satisfacere, prout dicebat per suum Sacramentum, salva taxatione ipsius D. Vicarii, prout taxavit in duabus Marchis denariorum Aquilegensis monete, recepto ab eo prius Sacramento de duobus marchis cum dimidio et pluris: et quod dictus D. Vicarius dare debeat nuntium suum ad accipiendum de bonis ipsius Worlici, nec non Dominorum Francisci et Ropretti

de Tricano, et cum dictis dampnis et expensis. Qui dictus D. Vicarius ipsi Bertolotto dedit in nuntium et pro nuntio pro predictis, Bertoldum notarium de Utino et.... ut ambo, aut alter eorum exequantur predicta.

Actum in Utino, in Castro Patriarchali. Presentibus D. D. Odorlico de Cucanea, Henrico, Odorlico, et Johanne omnibus de Villalta, Francisco q.m Nasutti et Odorlico notario de Utino, Hermano notario de Utino, Federico Warbito, Federico q.m D. Galvagni, Parisino et Zannutto notariis de Utino, Federico Burella, Manfeo fratre Petri de Utino, Odorico de Castellerio, Morando de Castellerio, et Philippussio q.m Raynerotti de Civitate testibus, et aliis. A. N. U. o.

N. 393.

1324 *7 Ottobre Gemona.*
Vendita di Schiavi.

Francesco Sibelli Not.

Die vii. intrante Octubri. Presentibus presbitero Paulo de Artenia, Dominis Artuico et Guilielmo de Pramperch, Lisio de Florentia habitante Glemone, Francisco filio D. Johannis de Florentia habitante Glemone, Jacobo filio q.m Gradi de Macello, Vuarnerino Sartore de Glemona, Salomone filio q.m Johannis Baroni de Avaglio, Henrico de Trava filio Bonasini de Vinai, et aliis.

Cum Domini Ulvinus, Artuichus et Guilielmus fratres de Pramperch pro se etc. pretio ducentarum librarum

Veronensium etc. dedissent D. Lappo Amideis etc. octo familiares de masnata etc. videlicet Pellegrinam uxorem Wezilli de Trava, filii q.^m Adami de Ravey, et Lucarde uxoris ejus, et duos filios Wezilli de Trava, videlicet Travanum et Jacobum, et filias suas Radiam dictam Mozam, uxorem Petri filii Johannis Ingarati de Trava, cum duabus filiabus suis, videlicet Candidam et Constantinam, et cum uno filio, qui dicitur Marchus, et cum omnibus eorum heredibus masculis et feminis de cetero ab ipsis descendentibus; et duas alias filias dicti Wezilli presentis, videlicet Madalenam et Margharitam, et omnes et singulos masculos, et singulas feminas ab ipsa Pellegrina uxore Wecilli, et a predictis ipsius filiis et filiabus; ita quod possit dictus Lappus et sui heredes habere et tenere, vendere et obligare, et liberare ab omni jugo servitutis, et omnem suam voluntatem facere, sine contradictione dictorum venditorum etc. et in pena decem Marcharum puri auri. Que pena peti et exigi possit etc. ut plenius patet per me notarium infrascriptum sub predicto millesimo et Indictione, et die sexto intrante Octubri. Pro quibus vero D. Henricus filius olim D. Henrici de Pramperch pro se etc. et pretio supradicto pro parte sibi contingente, recepto etc. et si plus etc. dedit, et investivit, atque ratificavit dicto D. Lappo etc. dictam venditionem predictorum hominum de masnata etc. ad habendum etc. sub conditione etc. et habere firmum etc. in pena dupli dicte pene decem Marcharum auri etc. cum obligatione etc.

Actum Glemone in Foro ante domum q.^m Bernardi Capisse. A. N. U. o.

N. 394.

1324 18 *Ottobre Venezia.*
Giovanni di Virgilio aderisce alla Tregua fatta dai di lui amici con Filippo de Portis.

Stefano da Cividale Not.

Die XVIII. Intrante Octubri. Johannes q.m D. Virgilii de Civitate, qui morabatur in Urnspergo pro se ipso, suis fratribus et amicis laudavit et promisit fide prestita manuali nomine Sacramenti, in manibus venerabilis viri D. Johannis Abbatis Rosacensis Vicarii D. Pagani S. Sedis Aquilegensis Patriarche, recipientis nomine ipsius D. Patriarche, et omnium quorum interest, aut interesse poterit, se et suos fratres et amicos observare et attendere Treguas quas facient Nicholaus q.m Guilielmi Galangani et Jacobus q.m Ogniboni de Civitate commorantes Urnspergi, nobili viro D. Philippo de Portis de Civitate et suis amicis et servitoribus ad illud tempus ponendas, secundum modum et formam alias factas per dictum D. Patriarcham, et sub penis et obligationibus alias positis. Permisit insuper dictos suos fratres treguas facere et consentire, nec non utrisque dictis Nicolao et Jacobo ex nunc vice sua facere, sicut eis videbitur.

Actum in Venetiis, in domo in quo moratur D. Petrus de Farra. Presentibus presbitero Meliorantia notario de Utino, Bonaventura notario D. Bernfini Vicedomini Aquilegensis, Paulo nepote D. Albertoni de Novate Civi-

tate commorante, et D. Jacobo de Mediolano commorante Montefalconis testibus, et aliis. A. N. U. o.

N. 395.

1324 6 *Novembre Cividale.*
Servi di Masnata che giurano fedeltà ai Signori di Saciletto.

Stefano da Cividale Not.

Die sexto intrante Novembri. Franciscus et Johannes fratres filii q.m Jacumutii de Saciletto, Servi et homines de Masnata infrascriptorum Gregorii et Philippi, asserentes se esse servos et homines de Masnata predictorum Gregorii et Philippi, ad petitionem Gregorii q.m D. Ossalchi de Saciletto, Civitate commorantis, recipientis pro se ipso, et vice et nomine Philippi sui fratris, non vi, metu, dolo, neque alia coartatione, sed spontaneo jure, juraverunt corporaliter ad sancta Dei Evangelia, tanquam eorum servi et homines de Masnata dictorum Gregorii et Philippi, fideliter servire, et ea facere, exercere, ac servare, ut in talibus fieri consuevit.

Actum in burgo S. Petri Civitatis, ante domum ipsius Gregorii. Presentibus Bertolotto notario de Civitate, Amadeo q.m Lupoldi Paternostri de Civitate, Reulo q.m Pauli de Gramojano, Odorlico filio D. Hermani de Cassacho, Dyetrico Capellario de dicto Burgo, Blasutto dicti Gregorii servitore, et Lucha de Saciletto dictorum Gregorii et Philippi servitore, testibus, et aliis. A. N. U. o.

N. 396.

1324 27 Novembre Udine.
Collette pagate dal Capitolo di Cividale.

Gabriele da Cremona Can. P.

In nomine Domini amen. Anno ejusdem Nativitatis Millesimo trecentesimo vigesimo quarto. Indictione VII. die XXVII. mensis Novembris. Utini in Castro et Palatio Patriarchali. Presentibus Nobili viro D. Hectore milite de Utino, ac venerabili viro D. Berofino Canonico Civitatense, fratre Bernardo de Novate Ordinis Cisterciensium, Bernardo de Osopio, Nicolao de Panigali habitatore in Meduna, Daniele de Malfiastris de Cremona testibus, et aliis.

Venerabilis vir D. Frater Johannes Abbas Monasterii Rosacensis Vicarius Reverendi patris D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, subcollector ad infrascripta specialiter deputatus a venerabili viro D. Petro Alrici Canonico Mimatensi Collectore generali et Nuntio speciali super residuis decimalibus tam sexennalis, quam triennalis Decime Sedis Apostolice, quam etiam super fructibus Beneficiorum per triennium vacantium per D. Papam reservatorum, dixit et confessus fuit, se nomine ipsius D. Petri et Ecclesie Romane, habuisse et integraliter recepisse, ac sibi datas, numeratas, et manualiter assignatas fuisse a prudenti viro D. Johanne Custode Ecclesie Civitatensis, dante et solvente pro venera-

bilibus viris D. Guidone Decano et Capitulo Civitatense, marchas octuaginta, Fertonos tres, Frixachenses sexdecim et parvulos Veronenses quatuor denariorum novorum Aquilegensis monete; et hoc pro residuis decimarum sexennalis et triennalis preteritarum contingentibus Capitulum antedictum.

Item Marchas viginti unam ejusdem monete pro infrascriptis Prebendis que vacaverunt in Ecclesia Civitatensi tempore reservationis triennalis: videlicet pro prebenda que fuit q.m D. Guarnerii de Cucanea, quam nunc possidet D. Jacobus de Carraria Vicarius D. Episcopi Tarvisini, Marchas novem.

Item pro Prebenda que fuit q.m D. Johannis Philippi, quam nunc possidet D. Jacobus de Liagariis de Bononia, marchas septem.

Item pro Prebenda que fuit q.m D. Dionisii de Orzono, quam nunc possidet Constantinus filius D. Federici de Savorgnano, marcham unam.

Quas quidem pecuniarum summas, dictum Capitulum Civitatense eidem D. Petro Collectori predicto et Ecclesie Romane, occasionibus antedictis, dare et solvere tenebantur. De quibus quidem octuaginta marchis, Fertonibus tribus, frixachensibus sexdecim, et parvulis quatuor datis pro residuis antedictis, et marchis viginti una, datis pro Prebendis predictis, idem D. Vicarius Abbas Rosacensis vocavit et dixit sibi, nomine ipsius D. Petri et Ecclesie Romane, plene solutum et integraliter satisfactum. Renuntians exceptioni non sibi datarum, receptarum et in se habitarum dictarum pecunie quantitatum, doli, mali, et in factum, ac omni spei future numerationis;

faciensque, vigore commissionis predicte, pro dicto D. Petro et Ecclesia Romana, dicto D. Custodi et Capitulo antedicto de dictis pecunie quantitatibus, finem, remissionem et quietationem, atque pactum de ulterius non petendo, dictum D. Johannem Custodem a deposito dicte pecunie liberans, et absolvens.

Ego Gabriel q.m D. Henrigini de Cremona publicus Imp. Auctoritate notarius predictis omnibus interfui et hec rogatus scripsi, signumque meum consuetum apposui. A. C. C. o.

N. 397.

1324 18 *Dicembre Udine.*
Locazione delle Prebende e Benefizj che il Cardinale Pietro Colonna avea in Friuli.

Melioranza Can. P.

Die xviii. Decembris. In Castro Utini, super Patriarchali palatio. Presentibus Gualcono habitatore S. Viti, Bertulosio filio q.m D. Aldini de Gonario notario D. Abbatis Sextensis, Lanzalotto filio q.m Bonifantis de Tridento, et aliis.

Discretus vir D. Matheus de Fulginio procurator et procuratorio nomine Reverendi in Christo patris D. Petri de Columpna S. Angeli Diaconi Cardinalis, nomine affictationis et conductionis, dedit, affictavit, et locavit hinc ad unum annum proxime finiendum, discreto viro Gabrieli filio q.m D. Henrigini de Cremona notario D. Pa-

triarche Aquilegensis, duas Prebendas ex Prebendis quas dictus D. Cardinalis obtinet in Aquilegensi Ecclesia, pro tribus libris Venetorum Grossorum; et quatuor Prebendas Ecclesie Civitatensis, Diocesis Aquilegensis, quas dictus D. Cardinalis in eadem Ecclesia noscitur obtinere, pro sex libris Grossorum: et Plebem de Trivignano dicte Aquilegensis Ecclesie pro viginti marchis Frixachensium, solvendo in denariis a viginti aut a viginti duobus, et ipsarum Prebendarum et Plebis fructus, redditus et proventus, possessiones, jura et emolumenta quecumque cum omni onere et honore: constituens ipse D. Matheus, nomine quo supra, supradictum Gabrielem procuratorem ut in rem suam, et ponens eum in locum suum, vice locatoris et conductoris usque ad dictum terminum; ita quod omnino liceat dicto conductori habere, tenere usufructuarie, et possidere jure et modo predicto, res predictas locatas, et Beneficia, seu Prebendas, et de ipsis facere, et uti pro sue voluntatis libito, quemadmodum ipse Cardinalis facere poterat. Promittens idem Procurator, nomine antedicto solempni stipulatione, prefato Gabrieli Conductori stipulanti etc. predicta Beneficia, et res locatas, et jura sua ad ipsum D. Cardinalem spectantia guarentare, defendere et auctorizare ab omni persona, collegio et universitate cum ratione. Quare predictus Conductor solempni stipulatione et pacto per se suosque heredes convenit et promisit ipsi D. Matheo stipulanti etc. procuratorio nomine dicti D. Cardinalis, predicta Beneficia, prebendas, res, jura et possessiones, redditus, proventus, obvenientes et bona fideliter regere, gubernare, manutenere et defendere toto posse, ac nihil de juribus, et possessio-

nibus dictarum Prebendarum et Beneficiorum alienare, vendere, aut aliqualiter obligare: nec non ipsis Beneficiis spiritualiter et temporaliter deservire, Decimam papalem et omnes Collectas Dominorum Legatorum et aliorum quorumcumque Dominorum, omniaque onera expensarum, et angariarum, prout requirit onus dictorum Beneficiorum, persolvere, facere, sustinere, et tolerare totaliter: et affictum, seu quantitates pecunie superscriptas dare, solvere et reddere ad Festum S. Martini proxime venturum prefato D. Cardinali, aut ejus procuratori, nomine ipsius, in Venetiis, in denariis a viginti, aut a viginti duobus, de bono et puro argento. Et in fine termini ejusdem, res locatas predicto D. Cardinali, aut procuratori suo integraliter restituere, ac fideliter consignare. Suscipiens super se omne periculum et casum fortuitum guerre, furti, incendii, ruine, tempestatis, sterilitatis et alterius cujuscumque. Et hec omnia et singula predicte partes solempni stipulatione et pacto promiserunt inviolabiliter, attendere, ac habere, et tenere firma et rata, et numquam contra facere, aut venire aliqua ratione aut causa, sub pena dupli quantitatis predicte, toties committenda ac exigenda cum affectu, quoties fuerit in aliquo contrafactum: qua soluta aut non, nihilominus solvere et attendere teneantur, et hec omnia et singula suprascripta et inscripta in suo vigore perdurent, cum refusione, seu refectione dampnorum, interesse, et expensarum litis etc. sub predicti D. Cardinalis, et ipsius Conductoris omnium et singulorum obligatione bonorum in singulis capitulis hujus contractus hinc inde solempni stipulatione promissa etc. A. N. U. o.

N. 398.

1324 22 *Dicembre Gemona.*
Lorica da Odorico di Spilimbergo comprata a Gorgonzola da Odorlico di Porcia.

Francesco Sibelli Not.

Die xxii. mensis Decembris. Presentibus venerabili viro D. Adalgerio Priore Hospitalis Collium de Glemona, Petro de Altaneto, Mambello de Florentia, Simunino q.^{m} Bianchini, Andrea dicto Savio, et aliis.

Coram discreto viro D. Milano de Villalta Capitaneo Glemone comparuit Rusinus de Utino testis productus ad instantiam Odorlici de Spenimbergo, licet absentis, et prestito sibi Sacramento per me Notarium, ut remoto odio etc. dixit quod pro certo sciebat et recordabatur circa annum novum quo erant in Terra de Gorgonzola de districtu Mediolanensi, ita quod Odorlicus de Spenimbergo emit unam loricam ab Odorlico de Porziglis pro quatuor florenis aureis; et fuit presens quando Nicolaus Trombetta D. Patriarche concessit dicto Odorlico de Spenimbergo duos florenos aureos, et Mussus famulus D. Federici de Villalta sibi concessit duos florenos, et dictos quatuor florenos dedit dicto Odorlico de Porciglis pro dicta lorica, et fuit presens quando dictus Odorlicus de Porciglis fuit contentus sibi de dicta lorica esse integre satisfactum.

Actum Glemone, in foro sub loza Communis. A. N. U. o.

N. 399.

1324 30 *Dicembre Cividale.*

Contribuzione pagata da Odorlico Longo pel suo feudo in Tolmino.

Stefano da Cividale Not.

Die penultimo Decembris. D. Phebusinus de la Turre Capitaneus Tulmini vocavit sibi fore solutam a D. Odorlico Longo de Civitate unam marcham denariorum Aquilegensis monete, quam solvere tenebatur, medietas in festo S. Quirini, residuum in festo S. Martini pro juribus Misele, quam solvere debebat D. Patriarche Aquilegensi pro investitura et feudo sibi datis per Patriarcham.

Actum in Civitate Austria, apud domum Communis. Presentibus Petro filio Johannis q.m Magistri Juliani, Pace Notario scriba dicti D. Phebusini, Girardo fratre Federici de Florentia, commorante in Burgo pontis Civitatis, Stephano q.m D. Egidii de Civitate, et Raymundo, fratre mei Stephani notarii testibus, et aliis ad hoc vocatis specialiter et rogatis. A. N. U. o.

N. 400.

1325 20 *Gennajo Aquileja.*

Vendita della Grazia del Vino.

Gabriele da Cremona Not.

Die vigesimo mensis Januarii, Aquilegie in palatio Patriarchali, presentibus discretis viris Magistro Bonifacio de Verona medico, Conrado de Balbis Mediolanensi, Aquilegie commorantibus, Mafiolo q.^m^ D. Uberti de Farra de Mediolano Notario, Pichossino nato D. Johannis Pichossii, et Arrigucio q.^m^ Dominici Savolonis Aquilegensis testibus vocatis et rogatis.

Venerabiles viri D. Fr. Johannes Abbas Monasterii Rosacensis vicarius, et Berofinus de Giroldis Canonicus Aquilegensis Vicedominus Reverendi in Christo Patris D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquil. Patriarche, Procuratores ejusdem D. Patriarche ad obligandum et pignorandum de bonis Ecclesie Aquil. usque ad summam quinque millium florenorum auri, sicut in Privilegio concessionis Apostolice plenius continetur, specialiter constituti, prout constat publico Instrumento, procuratorio nomine ipsius D. Patriarche, et pro ipso, dixerunt et confessi fuerunt se habuisse et integraliter recepisse, ac sibi datas et manualiter assignatas fuisse a discretis viris dominis Magistro Johanne medico filio q.^m^ Magistri Egidii Medici, Johanne q^m^ D. Picossii Aquilegensis, et Bertholino de Urbino habitatore Aquilegie dantibus et solventibus pro

se ipsis et quibuscumque aliis eorum sociis, Marchas quadrigentas octuaginta frixachensium novorum Aquil. monete; quam quidem pecuniam dicti procuratores dixerunt se procuratorio nomine ipsius D. Patriarche specialiter et nominatim accepisse a personis predictis, occasione et nomine persolvende provisionis debite aut debende in Curia Romana per D. Patriarcham predictum. Renunciantes exceptioni non sibi date, numerate, habite, et recepte dicte quantitatis pecunie, doli, mali, et in factum, omnique spei numerationis future, ac omni juris et legum auxilio quo uti possent, aut contra predicta dicere possent. Et pro dicta quantitate pecunie procuratores predicti, procuratorio nomine antedicto, ex nunc vigore privilegii concessionis Apostolice antedicte dederunt, vendiderunt et obligaverunt usque ad duos annos proxime venturos, continuos et completos, incipiendo, seu qui duo anni incipiunt in festo S. Martini proxime preteriti, dictis Dominis Magistro Johanni, Johanni Pichossio, et Bertholino ibidem presentibus, et pro se ipsis et sociis suis recipientibus, et pro suis et eorum heredibus Gratiam vini, quod de partibus Ystrie ad partes Forojulii, vigore literarum, que eidem D. Patriarche et Ecclesie Aquilegensi per D. Ducem et Commune Venetiarum conceduntur, ducitur et duci consuevit et debet, liberam et expeditam, cum omni fructu, lucro et emolumento quod ex ipsa Gratia pervenit, et percipi, aut haberi potest, consuevit et debet. Ita quod ipsi D. Magister Johannes, Johannes Pichossius et Bertholinus, ac socii sui in dicta Gratia aut eorum aliquis possint et debeant, tamquam ipse D. Patriarcha, aut alter qui preesset et regeret Ecclesiam Aquil: usque

ad dictum tempus duorum annorum uti dicta Gratia vini, ac illam petere, exigere cum omni utilitate, lucro, et emolumento ad ipsam Gratiam quomodolibet spectantibus, et que ex ipsa Gratia proveniunt, et de ipsa Gratia, utilitate, et lucro facere quidquid voluerint sine contradictione ipsius D. Patriarche aut alterius cujuscumque persone, juxta concessionem Apostolicam antedictam. Promittentes dicti procuratores, nomine antedicto, prefatis Magistro Johanni medico, dominis Johanni Pichossio et Bertholino, suisque heredibus sub ypoteca bonorum Patriarchatus Aquil. ab omni persona, collegio et communitate, impedimento aut briga dictam Gratiam manutenere, defendere et disbrigare: ita quod transitum suum et cursum liberum habeat consuetum; et concessionem hujusmodi nullo unquam tempore, donec finita fuerit, revocare. Hoc per pactum expresse inter partes predictas: quod si contingeret dictam Gratiam vini per guerram, aut casum alium sinistrum, manifestum impediri quomodolibet, aut turbari infra tempus predictum, ita quod non haberet transitum, seu conductum suum liberum consuetum, aut quod in cursu suo deficeret multum aut modicum, vel etiam in non habendo, aut tardando habere litteras dicte Gratie, seu si ipsis heredibus tale impedimentum prestaretur quod ipsis uti non possent, ipse D. Patriarcha, aut procuratores sui predicti teneantur et debeant juxta arbitrium duorum bonorum virorum, eligendorum unius videlicet pro qualibet parte, examinato diligenter dicto tempore et defectu cursus et impedimento predicto, ipsis Magistro Johanni, Johanni Pichossio, Bertholino et sociis satisfacere de dampno et impedimento predicto cum

refectione dampnorum et expensarum passarum per ipsos occasione predicta. Obligantes ex nunc procuratores predicti, procuratorio nomine dicti D. Patriarche, vigore concessionis predicte, ac in solutionem assignantes dictis Dominis pro dampno aut impedimento predicto, si quod incurreret, pro tertio subsequenti anno, modo simili dictam Gratiam vini et Mutam Aquilegie cum omnibus Clausulis antedictis usque ad satisfactionem eisdem debitam et condignam.

Tenor vero procuratorii talis est

In nomine Domini amen. Anno ejusdem Nativitatis millesimo trecentesimo vigesimo tertio. Indictione sexta, die XIV. mensis Decembris.

Cum venerabilis Pater D. Paganus Dei gratia S. Sedis Aquil. Patriarcha teneatur Camere D. Pape et dominorum S. Romane Ecclesie Cardinalium, occasione provisionis sue et Predecessoris sui, bone memorie D. Castoni, olim Patriarche Aquil. in magna pecunie summa, quam solvere nequit ipsi Camere, nisi eam acquirat mutuo; et ad solvendum per penas gravissimas compellatur; cupiens juxta posse suum, saltem in parte satisfacere ipsi Camere, habensque a Sede Apostolica licentiam et auctoritatem contrahendi mutuum occasione predicta usque ad summam quinque millium florenorum auri, sicut per litteras Apostolicas evidentius apparet, suo et Ecclesie Aquilegensis nomine, fecit et constituit suos et ejusdem Ecclesie procuratores viros venerabiles et discretos D. Fratrem Johannem Abbatem Monasterii de Rosaceo Vicarium, et Berofinum de Giroldis Canonicum Aquilegensem Vicedominum suos, absentes tamquam presentes, et utrum-

que eorum in solidum, ita quod non sit potior occupantis conditio, sed quod unus incepit, alter assumere valeat et complere, ad acquirendum hujusmodi mutuum, et recipiendum a quibuscumque personis, Commune, Collegio, aut universitate mutuare volentibus, et recognoscendum, nomine ipsius D. Patriarche et Ecclesie Aquil., pecuniam jam dictam recipiendam, convertendam esse, seu conversam fuisse in evidentem utilitatem ejusdem Aquil. Ecclesie, in solutione videlicet debiti supradicti. Ad obligandum Creditori, aut creditoribus bona ipsius Ecclesie generaliter et specialiter, prout creditori, seu creditoribus ipsis placuerit, pro restitutione pecunie supradicte. Cum penis, obligationibus, stipulationibus, pactis, conventionibus, securitatibus, juramentis, renunciationibus et verbis licitis et honestis que in similibus solent intervenire contractibus. Et ad omnia alia et singula facienda que hujusmodi mandati executio efficax postulabit, etiam si exigerent speciale mandatum. Concedens ipsis procuratoribus, seu utrique ipsorum in solidum, in predictis omnibus et singulis, et dependentibus ab eis, liberam et generalem administrationem, et liberum ac generale mandatum in acquirendo etiam et perdendo. Ac promittens mihi Eusebio Notario infrascripto, ut persone publice stipulanti et recipienti nomine et vice omnium quorum interest, aut intererit, se ratum et gratum perpetuo habiturum quidquid per eosdem procuratores, aut eorum alterum in predictis et circa predicta actum fuerit, sive gestum sub ypoteca bonorum suorum et Ecclesie Aquil. predicte.

Actum Modoetie, in domo Fratrum Humiliatorum. Presentibus testibus D. Petro Mora Vicario, Magi-

stro Condeo de Callio medico, et Obizino Malamosca domicello dicti D. Patriarche.

Ego Eusebius de Romagnano publicus Imp. Auct. Notarius predictis interfui, et hoc instrumentum publicum inde tradidi et scripsi, signoque meo consueto signavi rogatus. C. F. o.

N. 401.
1325 29 *Gennajo Cividale.*
Ordine del Psalmistrato.

Stefano da Cividale Not.

Die tertio exeunte Januario. Discretus vir D. Presbiter Johannes Custos Ecclesie Civitatis Austrie S. Marie, promovit Paulinum filium Conradi D. Pauli de Civitate volentem ad Ordinem Salmistratus in hec verba, habens Stolam. Vide, Paule, quod ore cantas, corde credas, et quod corde credis operibus impleas; cum aspersione aque Sancte, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti confero tibi his verbis Ordinem Psalmistratus, et ad illum ex nunc promoveo, recidendo tibi crines, qui Paulus habebat Cottam.

Actum in Civitate Austrie, in Sacristia dicte Ecclesie Majoris. Presentibus venerabilibus D.D. Guidone de Manzano Decano Civitatensis Ecclesie predicte, Fratribus Ordinis Predicatorum Jacobo q.m Bojani de dicta Civitate, et Martino de Utino, et D. Florido Canonico dicte Ecclesie Civitatensis, et D. Paulo q.m D. Bojani de Civitate, et aliis. A. N. U. o.

N. 402.

1325 23 *Aprile*, *Uruspergo.*
Il Vicedomino del Patriarca ordina a Nicolò di Guglielmo Galangani e suoi aderenti di far tregua con Filippo de Portis e suoi aderenti.

Stefano da Cividale Not.

Die VIII. exeunte Aprili. Venerabilis vir D. Berofinus Canonicus Aquilegensis et Vicedominus D. Pagani Patriarche Aquilegensis semel, bis, et tertio, ex parte dicti D. Patriarche, mandavit Nicolao q.^{m} Gullielmi Galangani, et Jacobo Ognibono de Civitate, commorante Urispergi, quod ipsi deberent facere sustentamentum, seu sufferentiam hinc ad medium mensem Madii proxime futuri pro se, et suis amicis, et servitoribus, Philippo de Portis et suis amicis, et servitoribus, sub ea forma et modo, ut D. Frater Johannes Abbas Rosacensis, Vicarius D. Patriarche predicti fecit treguas primo, sub pena centum marcharum; secundo sub pena ducentarum marcharum, tertio sub pena trecentarum marcharum, et sub pena privationis Feudi, et gratie dicti D. Patriarche. Qui responderunt, quod erant parati facere usum et consuetudinem Terre Forijulii, aliter non.

Actum in Castro Uruspergi, in stupa Philippussii. Presentibus D. Saglino de Parma Castaldione Civitatis petente, Francisco q.^{m} Nasutti de Utino, Philippussio, Gallutio, Ingalperto, et Johanne de Galutiis de Civitate, com-

morantibus Uruspergi, Nicolao notario de Civitate, Johanne Magistri Helari de Civitate, Nicolao q.^m Johannis Rubei di Civitate, et aliis. A. N. U. o.

N. 403.

1325 8 *Maggio Cividale.*
De non recipiendis in vicinos qui faciunt per se militiam cum D. Patriarcha.

Codice Belgrado.

Anno Domini M. CCC. XXV. Indictione VIII. die VIII. intrante Majo. Ordinatum fuit et firmatum per Statutarios electos per Consilium, ut est moris: Quod nullus, qui facit, seu consuevit facere per se militiam pro D. Patriarcha et Ecclesia Aquilegensi, recipiatur in vicinum terre Civitatis, nec sit de Consilio dicte Terre. Si quis vero in Consilio contrarium proposuerit, aut consilium dederit contra predicta, solvat Communi centum libras Veronensium parvulorum pro quolibet et qualibet vice infra octo dies, et insuper numquam sit de Consilio, aut aliquod officium habeat a Communi.

Super eo quod res derobate non conducantur in Civitatem.

Item quod nullus Terrigena aut forensis conducat in Civitatem et burgos aliqua animalia aut res alias depredatas, nec aliquis eas, aut depredatorem recipiat, aut penes se retineat postquam sibi denunciatum fuerit, sub

pena L. librarum Veronensium pro quolibet et qualibet vice, que cedat Communi. Si vero fuerit forensis, detineatur de persona donec solverit dictum bannum, et usque ad cognitam rationem. Preterea nullus emat res hujusmodi depredatas. Si quis vero illas emerit, illas sine aliquo pretio restituere teneatur: salvo quod si ad incantum illas emisset et per tres dies post non solvat pecuniam ad hoc quod ille cujus res fuerint, si post eas venerit, eas possit habere. Sed transactis dictis tribus diebus, si spoliatus post dictas res suas venerit, eas pro capitali rehabeat ab emptore, et contra principalem depredatorem suam justitiam persequatur. Si quis vero vicinus aliquem impignoraverit sine nuntio Dominii, vendere non valeat pignora accepta, nisi cum licentia Castaldionis et Consilii, et postquam deliberata fuerint, per tres dies expectet, nec pecuniam recipiat sub pena predicta que infra octo dies penitus persolvatur.

Super eo quod pulenta seu feces vini non comburantur in Civitate, aut circa per unum milliare.

Item quod nullus comburat, aut comburi faciat pulentam, seu feces vini in Civitate per unum milliare, nec prope villas per quatuor campos, sub pena medie marche pro qualibet vice, que cedat Communi. o.

N. 404.

1325 10 *Maggio Uruspergo.*
Tregua di Nicolò Galangani con Filippo de Portis.

Stefano da Cividale Not.

Die decimo intrante Madio. Nicolaus q.m D. Guillielmi Galangani pro se ipso, et D. Nicolao Canonico Civitatis, et Jacobus, et Ognibonus de Civitate, commorantes Uruspergi, pro se ipsis, suis amicis, et servitoribus, et coadjutoribus, exceptis Johanne et fratribus q.m Virgilii de Civitate, fecerunt in manibus D. Presbiteri Nicole Plebani Flambri, recipientis vice et nomine D. Pagani Patriarche Aquilegensis, D. Philippo de Portis de Civitate, et omnibus sibi astantibus, Treguas per totum mensem Madii presentis, secundum modum et formam aliter factas per dictum D. Patriarcham, ut continetur manu Manfei notarii de Farra scribe dicti D. Patriarche, sub eisdem penis, et obligationibus, et promissis, cum obligatione omnium suorum bonorum. Et sic laudaverunt observare in manibus dicti presbiteri Nicole.

Actum ante Castrum Uruspergi. Presentibus ipso D. Nicola Canonico Aquilegensi, Gallutio de Gallutiis de Civitate, Ingalperto q.m D. Coradutii de Civitate, Philippo dicto Minuto de Rosaciis, et Wello, et Henrico de Pagnis commorante cum ipso Nicolao testibus, et aliis.
A. N. U. o.

N. 405.

1325 27 *Giugno.*
Ajuti richiesti alla Contessa di Gorizia dai di lei Capitanii Ugone di Duino ed Enrico di Peuma.

Verci D. 985.

Excellentissime Domine sue, Domine Beatrici Comitisse honorabili Goritie, et Tirolis, Hugo de Duyno, et Henricus de Peuma Comitatus Goritie, ejus Capitanei cum recomendatione se ipsos.

Noverit vestra Dominatio per presentes quod intendentes ad conservationem hominum, et status domus Goritie, volentesque resistere hiis qui eandem Domum supeditare conantur, tota cordis affectione procuravimus, quod D. Comes Federicus, et nos omnes de partibus istis vestri fideles, et subditi hodierna die hospitabimus in Fara juxta Isoncium cum decenti sociorum equitum Comitiva, et die crastina versus Cordevadum juxta Portum Gruarii intendimus equitare. Quare vestre Dominationi duximus supplicandum, qualenus omnes equites armiferos, quos habere potestis, et pedites saltem usque ad quadringentos ad nos, omni dilatione postposita, mittere non tardetis: quos quidem pedites satis leviter habere potestis, scilicet precipiendo districte cuilibet Capitaneo vestro Castrorum et terrarum districtus Tarvisii, quod circa quantitatem peditum, secundum possibilitatem suam vobis debeant assignare. Indubitanter sperantes, quod si vestrum

subsidium, prout petimus, nobis duxeritis impendendum, Deo propitio, taliter faciemus quod honores et status domus Goritie manutenebimus, et inimicorum superbiam deprimemus. Noverit etiam, Dominum nostrum juvenem filium vestrum sanum fore, et hilarem de persona.

N. 406.

1325 9 *Luglio Udine.*
Feudo di Abitanza accordato a Bene di Sacile.

Gabriele da Cremona Not.

Die nono mensis Julii. Utini in Castro et palatio Patriarchali. Presentibus discretis viris Fr. Bernardo de Novate de Mediolano Ordinis Cisterciensis, Obizino Malamosca domicello D. Patriarche infrascripti, Johannolo q.^{m} Branche de Ossenago, et Francischolo q.^{m} Lantelmi de Ossenago nepotibus D. Vicarii infrascripti testibus, et aliis.

Ven. vir D. Fr. Johannes Ab. Monasterii Rosacensis Vicarius, et Berofinus Canonicus Aquil. Vicedominus Rev. Patris D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquil. Patriarche, receptis litteris ejusdem D. Patriarche in quibus continebatur clausola infrascripta, volentes adimplere voluntatem et mandatum D. Patriarche predicti, dederunt, concesserunt, investiverunt discretum virum Bene de Sacilo de quadam habitantia vacante per obitum q.^{m} Sclavi de Canipa cum duobus mansis sitis in villa Azani, et aliis omnibus juribus ad ipsam habitantiam spectantibus. Qui Bene, facta investitura predicta, juravit ad San-

cta Dei Evangelia se legaliter et fideliter operari, et facere illud quod spectat ad habitantiam predictam, sicut dictus Sclavus dum viveret faciebat. Dantes eidem Bene nuncium ad ponendum ipsum in tenutam et corporalem possessionem omnium predictorum, Obizinum Malamoscham predictum: = De habitantia vacante in Sacilo placet ut eam concedatis illi Bene, sicut mihi quidem scripsistis. Datum Placentie xxviii. i. Junii. C. F. o.

N. 407.

1325 15 *Luglio Cividale.*
Assoluzione dallo Spergiuro.

Stefano da Cividale Not.

Die xv. intrante Julio. Fratres Johannes et Nicolaus Ordinis militie S. Lazari Jerosolimitanorum Terre Sancte de ultra mare absolverunt, auctoritate Apostolica, Franciscum q.m Johannis Mussarii de Civitate de perjuriis et Sacramentis factis, et ruptis per ipsum Franciscum usque ad diem presentem. Et sic presbiter Daniel infrascriptus eum de ipsorum mandato absolvit etc.

Actum in Civitate Austria, in Ecclesia majori S. Marie. Presentibus Presbitero Francisco Custode dicte Ecclesie, Presbitero Daniele prebendario dicte Ecclesie, presbitero Jacobo dicto Clodi prebendario dicte Ecclesie, Petro notario filio Magistri Johannis Scolarum, et Leonardutio q.m Jacobi Pernardi, Ustano de Civitate testibus, et aliis. A. N. U. o.

N. 408.

1325 17 *Luglio Udine.*
Concil mercante Viennese dichiara che gli vennero restituite le cose toltegli da Endriuccio di Villalta.

Melioranza Not.

In Christi nomine amen. Anno Nativitatis ejusdem millesimo trecentesimo vigesimo quinto. Indictione octava. Die decimo septimo Julii. In Castro Utini, in Curia Patriarchali. Presentibus religiosis viris Fratre Andrea et Fratre Daniele de Padua Ordinis Carmelitarum; Mixa de Villalta qui moratur in Utino, Odorico notario filio q.m Francisci de Utino, Sygardo hospite in Utino, et aliis.

Concil mercator de Vienna constitutus in presentia venerabilis viri D. Fratris Johannis Abbatis Rosacensis Vicarii Reverendi Patris D. Pagani Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, sponte, libere, et ex certa scientia contentus et confessus fuit se habuisse et integre recepisse a Nobili viro D: Hendriucio filio q.m D. Maynardi de Villalta mercationem bladi sibi accepti de anno presenti per ipsum D. Hendriucium, aut per familiam suam. Renuntians exceptioni non sibi date, assignate et restitute mercationis predicte, et omni spei future restitutionis et assignationis, ac omni alii suo juri quo contra predicta posset facere aut venire.

Ego Meliorantia filius olim Magistri Clarelli de Tyenis Imp. Auctoritate Notarius et Patriarchalis Curie Aquilegensis Scriba; predictis interfui et rogatus hec scripsi. C. P. o.

N. 409.

1325 24 *Luglio Udine.*
Locazione della Muta di Aquileja.

Gabriele da Cremona Not.

Die xxiv. mensis Julii, Utini. Super Castro et Palatio Patriarchali. Presentibus discretis viris Johannolo de Concoricio, Johannolo de Confanoneriis de Aliate, et Franciscolo q.m D. Lantelmi de Ossenago, omnibus Mediolanensibus, testibus vocatis et rogatis.

Ven. viri D. Fr. Johannes Ab. Monasterii Rosacensis Vicarius, et Berofinus Canonicus Aquil. Vicedominus Rev. Patris D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquil. Patriarche, ac ejusdem Domini procuratores generales, procuratorio nomine ipsius D. Patriarche, et pro eo, dederunt, concesserunt et vendiderunt, locationis titulo, D. Magistro Johanni medico Aquil. ibidem present', ac suo, et D. Bertholini de Urbino Civis et habitatoris Aquil. nomine recipientis, et pro eorum heredibus, aut cui, aut quibus dederint et concesserint, Mutam Aquilegensem ad ipsum D. Patriarcham et Ecclesiam Aquil. spectantem, cum omnibus juribus et consuetudinibus ad ipsam Mutam spectantibus ac pertinentibus, et hactenus observatis. Incipiendo a die septimo proximo futuro mensis Augusti, usque ad unum annum proximum sequentem continuum et completum, habendam, tenendam, utendam et fruendam. Et hoc, pretio, seu ficto ducentarum Marcharum denariorum frixachensium novorum

Aquil. monete; quam quidem pecuniam dictus magister Johannes pro se et D. Bertholino predicto, ac per se et eorum heredes stetit, et promisit stipulatione Solempni dare et solvere eidem D. Patriarche, aut procuratoribus antedictis in terminis infrascriptis, videlicet in principio exactionis predicte Mute, Marchas quinquaginta, et deinde exactis quatuor mensibus, alias marchas quinquaginta; et demum in quolibet termino quatuor mensium quinquaginta marchas usque ad solutionem integram et completam; cum omnibus dampnis, interesse, et expensis faciendis et substinendis a quolibet predictorum in anno pro ipsa pecunia petenda et exigenda, sive ejus occasione. Hoc adjecto, quod si Muta predicta non haberet cursum suum, ut nunc habet, per Civitatem Aquil. quod pro rata temporis multi aut modici in quo dicto cursu deficeret, debeat defalcari de pretio ipso, et reduci pro illo tempore ad pretium centum Marcharum. Si vero deficeret cursus presens pro toto anno, et remaneret Muta ipsa in cursu veteri, dicti procuratores Mutam ipsam prefatis conductoribus dederunt pro centum marchis solvendis particulatim temporibus antedictis, cum illis conditionibus atque pactis, quibus alias per ipsum D. Berofinum vendita et locata fuit. C. F. o.

N. 410.

1325 9 *Agosto Udine.*

Presentazione dell' Abbate Eletto di Sesto.

Gabriele da Cremona Not.

Die nono mensis Augusti, Utini in Castro et Palatio Patriarchali. Presentibus ven. viro D. Berofino Canonico

Aquil. Vicedomino D. Patriarche infrascripti, ac nobilibus viris D. Nicolao de Silvarolo, Francisco de Sbrolavacca, Hermano de la Frattina, ac Lanzelotto not.º filio q.^m Philippini de Mantua testibus.

Discretus vir D. Presbiter Philippus Vicarius plebis de Laurenzaga sindicus, procurator, et nuntius specialis Religiosorum virorum fratris Nicolai yconomi, et fratris Leonardi Monachorum Monasterii S. Marie Sextensis Aquil. Diocesis ad hoc specialiter constitutus, prout constat publico Instrumento scripto manu Lanzalotti notarii filii q.^m Philippini de Mantua, procuratorio nomine antedicto, presentavit et dedit ven. viro D. Fr. Johanni Abbati Monasterii Rosacensis Vicario Rev. Patris D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquil. Patriarche, electionem, et electionis decretum factum de Religioso viro fr. Ludovico monacho prefati Monasterii Sextensis, et Electo in Abbatem Monasterii antedicti vacantis, petens humiliter et instanter ab ipso D. Vicario, ut ipsam electionem, tamquam Canonicam et concordem, confirmare dignaretur. Qui D. Vicarius respondit, quod ad confirmationem et Edictum proponendum, seu aliquam aliam examinationem procedere nolebat, nec poterat, nisi predicta significaret D. Patriarche predicto. Et tunc juxta responsionem et ordinationem ipsius procedet in dicto negotio, et faciet quod esset faciendum de jure. C. F. o.

N. 411.

1325 10 *Agosto Cividale.*

Indenizzazione chiesta ai Sig.i di Villalta dal Doge di Venezia.

Stefano da Cividale Not.

Die decimo intrante Augusto. Walterus filius D. Angeli de Venetiis in contrata S. Cantiani presentavit ex parte D. Johannis Superantii Ducis Venetiarum Venerabili viro Fratri Johanni Abbati Rosacensi, Rev. in Christo Patris D. D. Pagani Dei et Apostolica gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche, quasdam litteras clausas cum spalo bulla plumbea pendenti, inter cetera continentes supra infradictam restitutionem ballarum acceptarum per illos nobiles viros dominos de Villalta, que dicebantur pertinere D. Petro Tutori de Venetiis de contrata S. Leonis.

Actum in Civitate Austria Aquilegensis Diocesis. In Curia Patriarchali. Presentibus nobili viro D. Odorlico Longo q.m D. Johannis de Civitate, D. Saglino de Parma Castaldione Civitatis, Alberto ejus fratre, et Jacobino de Trivis de Tergeste testibus, et aliis. A. N. U. o.

N. 412.

1325 23 *Agosto Cividale.*

Requisizione e protesta del Vescovo di Concordia.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die vigesimo tertio mensis Augusti, in Civitate Austria, in Patriarchali Palatio. Presentibus ven. viris D. D.

Guillelmo Aquilegensis, Guidone Civitatensis Ecclesiarum Decanis, Philippono de la Turre Preposito Civitatensi, ac Nobilibus viris D.D. Thomasutto de Cucanea, Paulo Bojani, Folcherio de Savorgnano, Odorico Longo, Philippo q.m D. Concii, Philippo de Portis de Civitate Austria predicta testibus, et aliis pluribus.

Ven. Pater D. Articus Dei gratia Episcopus Concordiensis coram ven. viro D. Fr. Johanne Ab. Monasterii Rosacensis Vicario Rev. Patris D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia, S. Sedis Aquilegensis Patriarche dixit, et obtulit discreto viro Hendrico dicto Sbrulio de Cormono procuratori, ut dicebat, et ut confitebatur Franciscus Not. de Rosacco ibidem presens de procuratione hujusmodi se contraxisse, et debere conficere publicum Instrumentum Magnifici D. D. Federici Comitis Vegle, ad infrascripta specialiter constituto, quod paratus erat, et est, et ex nunc prestare volebat eidem Hendrico bonam et ydoneam securitatem quinque millium librarum denariorum Veronensium parvorum, juxta pacta et promissiones factas per D. Episcopum antedictum; Rogans et requirens ipsum Hendricum procuratorem instanter, et instantissime, quatenus velit securitatem ipsam, procuratorio nomine antedicto, recipere. Qui Hendricus procurator predictis respondit, et dixit, quod juxta commissionem sibi factam paratus erat, et est securitatem predictam recipere per modum depositi et Sacramenti, et aliter non; petens sibi dari in securitate ipsa certas personas de quibus dicebat se habere Commissionem specialem, videlicet dominos Pileum de Prata, Manfredum et Brissaliam de Porciliis, Nicholaum de Castello, illos de Savorgnano, illos de Coloreto, illos

de Pertenstain, illos de Villalta, et illos de Cucanea, aut aliquos ex nominatis predictis, vel alias sufficientes personas que sibi placerent. Et tunc D. Episcopus predictus dixit, et obtulit se securitatem bonam ed idoneam facere, sicut continetur in pactis per sufficientes personas, nominans dicto Hendrico Procuratori dominos de Prambergo, filios q.m D. Guecelli de Prata, dominum Paleam de Varmo, dom. Federicum de Pers, habitatores de Cordevato, habitatores de Meduno, illos de Toppo, Federicum et Nicolaum fratres de Forgaria, Stephanum de Pinzano, illos de Brazacho et Arnoldum de Vendoi, dicens quod isti sufficientes essent in omnibus locis de mundo pro rata, et multo majori securitate, et quod non tenebatur nec tenetur ipsam securitatem prestare per modum depositi et Sacramenti, sicut constat per publicum Instrumentum ibidem lectum, factum manu Quirini de Portugruario not. Ad que dictus Hendricus procurator respondit, quod de predictis nominatis per dictum D. Episcopum nolebat primo illos dominos de Prampergo, quia specialiter habebat in mandatis quod nullum ex ipsis reciperet, nec etiam volebat Stephanum de Pinzano, quia non habebat in commissione accipiendi ipsum. Reliquos vero nolebat quia non sibi placebant. Et tunc sepe fatus D. Episcopus protestatus fuit et dixit, quod secundum pacta, et ea que tractata fuerunt et completa in instrumento pacis predicte paratus est securitatem prestare predictam, bonam, idoneam, et sufficientem, sicut in ipso Instrumento continetur, nec contra ipsa intendit modo aliquo facere, aut venire.

Eadem hora, in presentia predictorum. De voluntate prefati D. Episcopi et Hendrici procuratoris predicti lecta

et abscultata fuerunt Instrumenta pactorum predictorum, confecta in Concordia per Franciscum Notarium de Rosaceo ibidem presentem, et per Quirinum notarium de Portugruario; et inventa fuerunt dicta Instrumenta in omnibus concordari, de quorum concordatione rogavit et requisivit me D. Episcopus antedictus, ut presens conficerem publicum instrumentum prefata pacta continens: contentum fuit, et confectum quoddam alium instrumentum quod idem Franciscus legit ibidem, sicut notatum erat in suis scripturis continens, quomodo idem D. Episcopus dixerat et promiserat prefatam securitatem facere per modum depositi, et plura alia que idem D. Episcopus falsa esse dixit, et omni prorsus veritate carere, dicens et protestans iterato, quod paratus est facere securitatem bonam et idoneam, sicut promisit et debet, et sicut in instrumento predicto pactorum concorditer per utrumque notarium confecto et lecto ibidem, plenius continetur. C.F.o.

N. 413.

1325 8 *Settembre Cividale.*

Super eo quod sal, oleum et alie mercationes non reponantur in villis.

Codice Belgrado.

Die VIII. intrante Septembri. Ordinatum fuit per Consilium et firmatum, quod nullus incanipet, seu reponat in villis de quibus fit custodia Terre Civitatis sal, oleum,

vinum forense, nec alias mercationes, nisi in civitate, aut Burgis, et qui contra fecerit perdat ipsum sal, oleum et mercationes de quibus extrhatur et solvatur prius Dacium Dacianis ad duplum, et residuum dividatur inter Commune et accipientem. Quicumque vero de vicinis et de districtu Civitatis conduxerit sal, oleum extra Civitatem versus .... et Tulminum, solvat Communi mediam Marcham, et Dacianis dacium duplicatum. o.

N. 414.

1325 15 *Settembre*, *Aquileja*.

Pagano lascia al di lui Vicario la cura di esaminar l'elezione dell' Abbate di Sesto, ed ove la trovi regolare, di confermarla.

Gabriele da Cremona Can. P.

In nomine Domini amen. Anno ejusdem Nativitatis M. ccc. xxv. Indic. VIII. die xv. mensis Septembris, Aquilegie, in Curia Palatii Patriarchalis. Presentibus discretis viris Guillelmo de Victuono Gastaldione S. Viti, Castellino de Cumis habitatore dicti loci, Mafeo q.m Blaxii not. Aquil. Petrobono qui fuit de Bononia et habitat Aquilegie testibus, et aliis.

Accedens ad presentiam ven. viri D. Fr. Johannis Abbatis Monasterii Rosacensis Vicarii Rev. Patris D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia, S. Sedis Aquil. Patriarche, Hermannus filius D. Jacobi dicti Fantussii della Frattina Sindicus, procurator et nuncius specialis, ut asse-

rit, religiosorum virorum fratrum et Conventus Monasterii S. Marie Sextensis ordinis S. Benedicti Aquil. Diocesis, nec non Religiosi viri fratris Ludovici monaci ejusdem Monasterii Sextensis, et electi in Abbatem Monasterii predicti, presentavit et dedit eidem D. Vicario quamdam commissionem ex parte D. Patriarche predicti, cujus tenor inferius annotatur, nec non electionem, et electionis decretum facte de Fratre Ludovico predicto, electo in Abbatem Monasterii predicti Sextensis, petens humiliter et instanter ab ipso D. Vicario electionem hujusmodi, juxta commissionem sibi factam, tanquam canonicam confirmari. Qui D. Vicarius visa et lecta commissione predicta, respondit et dixit, quod in hoc faciet quod esset faciendum de jure, mandans quod fiat, et proponatur Edictum juxta Constitutionem et formam Constitutionis Sanctissimi Patris D. Bonifacii pape VIII. Tenor autem Commissionis predicte talis est.

Paganus Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquil. Patriarcha, dilecto nobis discreto viro Fr. Johanni Abbati Monasterii Rosacensis, generali Vicario nostro, salutem in Domino sempiternam.

Ex parte Capituli et Conventus Monasterii S. Marie de Sexto Ordinis S. Benedicti nostre Diocesis significatum nobis nuper extitit quod vacante pridem ipso Monasterio per obitum bone memorie Armanni olim Abbatis ejusdem, ydem Capitulum et Conventus, die ad hoc statuta, convenientes in unum pro futuri Abbatis electione tractanda, discretum virum fratrem Ludovicum de la Frattina ejusdem Monasterii monachum, prudentem et honestum, in Sacris Ordinibus constitutum, et in spiritua-

libus et temporalibus circumspectum, et in eodem Monasterio diu laudabiliter conversatum, regularemque vitam expresse professum, et alias ydoneum scientia, moribus et etate per formam compromissi in suum, et ejusdem Monasterii Abbatem unanimiter et concorditer elegerunt. Idemque Electus debito tempore electioni de se facte consensit, unde a nobis per procuratores idoneos, qui decretum Electionis hujusmodi, et alia que circa eam acta sunt presentarunt, tam ex ipsorum Capituli et Conventus, quam Electi predicti parte humiliter extitit suplicatum, ut electionem jam dictam confirmare benignius dignaremur. Quia igitur de meritis eligentium et Electi, et aliis que circa electionem hujusmodi inquirenda et excutienda sunt inquirere serio et excutere non valemus, discretioni vestre, de qua in hiis et aliis plenam in Domino fiduciam obtinemus, presentium tenore committimus et mandamus, quatenus inquisita super eis diligentius veritate, si electionem ipsam inveneritis tam ex parte eligentium et Electi, quam ex forma ipsius rite et canonice celebratam, et quod nihil obstet canonicum, eam vice nostra, servatis juris solempnitatibus, confirmare curetis. Inducentes Electum ipsum post confirmationem hujusmodi in ipsius Monasterii corporalem possessionem, et defendentes inductum, ac facientes ei ab omnibus ejus subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi. Sibique de Abbatie ejusdem fructibus, redditibus, proventibus, et juribus universis integre responderi. Contradictores et rebelles auctoritate nostra per censuram Ecclesiasticam compescendo. Ceterum si eumdem Electum, ut premittitur, confirmari contingat, faciatis ei per aliquem Episcopum Catholicum gratiam et commu-

nionem Apostolice Sedis habentem, juxta formam Ecclesie munus benedictionis impendi; recepto ab eo, pro nobis in forma solita fidelitatis debito juramento, quod per manum publicam confectum, faciatis in Archivio Ecclesie nostre servari.

Datum Placentie IV. Kaleudas Septembris, anno Dominice Nativitatis millesimo trecentesimo vigesimo quinto. Indictione VIII. C. F. o.

N. 415.

1325 15 *Settembre Aquileja.*
Editto intorno all' Elezione dell' Abbate di Sesto.

Gabriele da Cremona Not.

Fr. Johannes Ab. Monasterii Rosacensis Vicarius Rev. Patris D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquil. Patriarche, universis et singulis Fratribus et Conventui Monasterii S. Marie Sextensis, Ordinis S. Benedicti, Aquilegensis Diocesis, ceterisque, et omnibus quorum interest ad quorum notitiam presens edictum pervenerit, salutem in Domino fructuosam.

Notificamus vobis tenore presentium, quod discretus vir Hermannus natus Jacobi dicti Fantussii de la Frattina Sindicus, procurator, et nuncius specialis Fratrum et Conventus Monasterii predicti Sextensis, ad presentiam nostram accedens, electionem, et electionis decretum facte de religioso viro fr. Ludovico de la Frattina Monacho Monasterii predicti Sextensis, et in Abbatem ejusdem Mo-

nasterii noviter electo per compromissum factum, nemine discrepante, in discretum et religiosum virum fratrem Peregrinum Monachum Monasterii Sumaquensis Ordinis S. Benedicti, presentavit et dedit; eamque a nobis instanter petiit, juxta commissionem nobis factam per D. Patriarcham predictum, utpote Canonicam, confirmari. Nos autem Constitutionem Sanctissimi Patris D. Bonifacii Pape VIII. super hujusmodi electionibus editam, prout tenemur, observare volentes, presens Edictum in predicto Monasterio publice legi providimus coram vobis. Mandamus igitur, ac publice, et solempniter omnes et singulos vestrum, ac alios, aut alias quascumque personas semel, secundo, et tertio peremptorie presentium tenore requirimus et monemus, qualenus si quis vestrum, aut alius quicumque vult predicte electioni se opponere, aut contra personam electam rationabile quidquam obiicere, aut sua crediderit interesse, sexta die post publicationem presentium et monitionem nostram hujusmodi, et in quolibet alio termino statuendo in ipsa contradictione et objectione usque ad diffinitivam sententiam persisturus per se, aut per procuratorem legittimum, in Civitate Austria compareat coram nobis, dicturus et objecturus quidquid voluerit, et poterit in premissis. Alioquin, aliquibus nec monitis, nec citatis ulterius in prefate electionis negotio, sicut suadebit justitia procedemus. De presentatione vero presentium, quas registrari fecimus et nostri sigilli impressione muniri, relationi latoris earum nuncii nostri jurati sine alia probatione dabimus plenam fidem.

Datum Aquilegie, in Patriarchali Palatio, die xv. mensis Septembris. Anno ut supra. C. F. o.

Die et loco predictis. Presentibus discretis viris D.D. Bertholino de Urbino Potestate Aquilegensi, Magistro Johanne medico Aquilegensi, Guilelmo de Victuono Gastaldione S. Viti, Petrobono de Bononia habitatore Aquilegensi testibus, et aliis.

Coram venerabili viro D. Fratre Johanne Vicario predicto juravit ad Sancta Dei Evangelia Franciscus de Bagnarola Decanus Monasterii Sextensis predicti, quod ad Monasterium predictum personaliter accedet, ac yconimo et Fratribus ejusdem Monasterii Edictum predictum fideliter et legaliter presentabit, illudque ibidem, omnibus presentibus qui voluerint interesse, faciet publicari, et de presentatione et publicatione ejusdem ipsi D. Vicario faciet relationem fidelem.

Die xxiv. mensis predicti, Civitati. In Curia Palatii Patriarchalis. Presentibus discretis viris Domino Presbitero Nicola Plebano Plebis de Flambri, Simbaldino Clerico Papiensi, Johannolo de Concoricio familiare D. Patriarche predicti, et Thomadello de Civitate predicto testibus. Accessit ad presentiam D. Vicarii predicti Franciscus de Bagnariola prefatus, et retulit se per Sacramentum, quod fecerat die lune xvi. dicti mensis, presentasse yconomo et Fratribus Monasterii Sextensis, et die martis sequenti illud in Ecclesia in celebratione Misse in Ecclesia dicti Monasterii legi et publicari fecisse, ac omnibus astantibus vulgariter exponi, et demum dictum Edictum super Altare posuerit, ubi stetit et remansit, et adhuc est, sicut credit. C. F. o.

N. 416.

1325 20 *Settembre Aquileja.*

Il Vicario del Patriarca Pagano protesta contro il giudizio pronunziato dal Podestà e Giudici d' Aquileja in favore di Zubano da Fiumicello.

Gabriele da Cremona Can. P.

In nomine Domini Amen. Anno Domini Millesimo Trecentesimo Vigesimo quinto. Indictione Octava. Die xx mensis Septembris, Aquilegie in Curia Patriarchalis Palatii. Presentibus nobili viro D. Phebusino de la Turre, D. Lauterio Vicario, et Canipario D. Patriarche infrascripti, Francischino filio D. Jacobi de la Pola de Mediolano, Johanne de Concoricio D. Vicarij infrascripti domicello, et aliis testibus. Venerabilis vir D. Frater Johannes Abbas Monasterii Rosacensis Vicarius Reverendi Patris D.D. Pagani Dei, et Apostolice Sedis gratia, Sancte Sedis Aquilegensis Patriarche, petiit et requisivit instanter D. Bertholinum Potestatem, Judices, et Consilium Aquilegie ibidem presentes, quatenus Zubanum de Flumisello in ipsius et Gastaldionis sui esfortia constitutum, propter homicidium, quod dicitur commisisse, et propter furta alia, que dicebatur fecisse, juxta confessionem ipsius, prout justitia requireret, secundum conscientiam eorum, Deum, jus, et honorem Domini habentes pre oculis, sententiare et judicare deberent. Qui Potestas, Judices, et Consilium sibi

legi fecerunt confessionem ipsius. Et quia a justitia deviari videbantur non sententiando ipsum secundum Excessus commissos per ipsum: idem D. Vicarius protestatus fuit de injuria facta D. Patriarche in non observando justitiam, et de jure non observato, et de justitia executioni non missa: relinquens eam, quam meruerunt penam arbitrio D. Patriarche, prout sibi placuerit. C. P. G. c.

N. 417.

1325 27 *Settembre, Sesto.*

Conferma dell' elezione dell' Ab. di Sesto.

Gabriele da Cremona Can. P.

Die xxvii. mensis Septembris. Venerabili et religioso viro D. Fr. Ludovico de la Frattina monacho monasterii S. Marie Sextensis, ordinis S. Benedicti Aquil. Diocesis electo in Abbatem ejusdem monasterii, ac fratribus et monacis dicti loci simul, cum Electo suo predicto coram ven. viro D. Fr. Johanne Ab. Monasterii S. Petri Rosacensis, Vicario Rev. Patris D. Pagani Dei et Apostolice Sedis gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche ad infrascripta specialem commissionem habente a Domino Patriarcha predicto, constitutis. Et electionem, seu provisionem de ipso Fratre Ludovico factam ad Abbatiam Monasterii predicti per compromissum unanimiter celebratum per fratres et Monachos dicti loci in religiosum virum fratrem Peregrinum Monachum Mona-

sterii Sumaquensis ejusdem Ordinis, prout constat publicis instrumentis confectis per Lanzalotum not. q.m Philippini de Mantua, visis et lectis, instanter petentibus ab ipso D. Vicario auctoritate commissionis predicte utpote canonicam confirmari: idem D. Vicarius Electionem et provisionem predictam, juxta commissionem sibi factam, prout de jure debebat, ac personam electam diligenter examinare curavit. Et quia electionem ipsam, debita et diligenti examinatione premissa, invenit canonicam, et de persona ydonea et sufficienti canonice celebratam; post Edictum emissum solempniter, juxta Constitutionem Sanctissimi Patris D. Bonifacii Pape VIII. super hujusmodi electionibus editam, ut si quis vellet predicte electioni se opponere, aut contra personam electam rationabile quidquam obiicere, infra certum tempus, coram ipsius D. Vicarii presentia compareret, et nullo in termino, ac etiam post plures dies post terminum, contradictore comparente; ipse D. Vicarius, auctoritate, commissionis predicte, ne defectu regiminis dictum Monasterium nimiam in spiritualibus et temporalibus lesionem incurreret, eletionem ipsam, tamquam Canonicam, confirmavit, ac ipsum D. Fratrem Ludovicum Electum predictum de Abbatia et regimine dicti Monasterii S. Marie Sextensis cum omnibus juribus spiritualibus et temporalibus ad ipsum Monasterium spectantibus, per suum biretum presentialiter investivit. Curam, regimen et administrationem Monasterii prefati pleno jure committens eidem, ac mandans sibi de fructibus, redditibus, proventibus, juribus, et honoribus universis ad ipsam Abbatiam et Monasterium spectantibus de cetero responderi. Eique per

fratres et subditos dicti loci, tamquam et Prelato suo et dicti Monasterii, reverentiam et obedientiam debitam exhiberi. Quibus sic solempniter adimpletis, prefatus D. Frater Ludovicus Abbas Electus et confirmatus fidelitatis debite solitum et debitum juramentum prestitit in hec verba = Juro ego Fr. Ludovicus della Frattina Abbas electus et confirmatus Monasterii S. Marie Sextensis, Ordinis S. Benedicti, Aquil. Diocesis, quod ab hodierna die in antea ero fidelis et obediens S. Romane Ecclesie, et D. meo Patriarche predicto et ejus Successoribus canonice intrantibus: non ero in consilio aut facto ubi vitam perdant aut membrum, aut capiantur mala captione: consilium vero quod mihi credituri sunt, in eorum dampnum, me sciente, nemini pandam: Patriarchatum Aquilegensem et ejus jura, adjutor eis ero ad retinendum et defendendum contra omnem hominem, salvo Ordine meo. Nuncios Sedis Apostolice et Patriarcharum Ecclesie Aquil. eundo et redeundo benigne recipiam et tractabo, juxta possibilitatem meam. Possessiones vero ad Monasterium meum pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, aut alio modo alienabo, inconsulto Domino Patriarcha, et absque ejus licentia speciali. Sic Deus me adjuvet, et hec Sancta Dei Evangelia.

Post hec autem sepedictus D. Vicarius volens exequi commissionem predictam, eumdem dominum Abbatem Sextensem instalavit in Choro Monasterii predicti, et ipsum in corporalem possessionem posuit et induxit. Ac tunc Fratres et Monaci dicti loci, et subditi residentes ibidem, eidem D. Abbati, tamquam Prelato et rectori suo,

et quilibet eorum per se flexis genibus, prestiterunt obedientiam et reverentiam manualem.

Acta sunt ista in Monasterio predicto Sextensi, in choro Ecclesie. Presentibus ven. viris D. Frat. Brancha Abbate Monasterii Sumaquensis, Francisco de la Turre Canonico Aquilegensi, Macio Canonico Concordiensi, Johanne Plebano Plebis de Azano, ac Nobilibus et discretis viris dominis Gerardo, nato D. Uezelonis de Camino, Bertholo et Johanne de Sbrolavacha, Nicholao de Silvarolo, Mastino de Miduna, Philippo de Larenzaga, Henrico de Gruario, Folchmaro, Nicholao et Jacobo de Panigali, et aliorum quam plurium tam Clericorum, quam laycorum multitudine copiosa. C. F. o.

N. 418.

1325 6 *Novembre. Uruspergo.*

Vendita del Castello di Uruspergo.

Stefano da Cividale Not.

Die sexto intrante Novembri. Nicholaus q.m Guillielmus Galangani de Civitate Austria commorans Uruspergi fecit, constituit et ordinavit D. Johannem q.m D. Picossii, Federicum ejus fratrem, et Rantholphum ejus nepotem, et Presbiterum Andream fratrem ipsius D. Johannis de Aquilegia, Philippussium q.m D. Conradutii, et Galutinm eorum consanguineum de Civitate commorantem Uruspergi, licet absentem tanquam presentem, et Wellum de Paguis cum ipso Nicholao commorantem, presentes et hoc mandatum sponte suscipientes suos veros et certos nuntios, missos et procuratores legitimos et speciales, et negoticrum gestores, et quemlibet eorum in solidum ita

quod non sit potior conditio etc. in omnibus suis causis et negotiis que habet et habiturus est, seu posset habere, cum nobili viro D. Johanne de Villalta, et cum nobili viro D. Peglo de Prata et Wecellone q.m Avenussii de Prata, occasione trecentarum et decem Marcharum denariorum Aquilegensium, et occasione et nomine Castri sive loci de Uruspergo, quod Castrum de Uruspergo prefatus D. Johannes pro se, et D.D. Odorlico, et Henrico de Villalta vendiderat dicto Philippussio et Johannino q.m Virgilii recipientibus pro se ipsis et D. Nicholao pro mille marchis denariorum Aquilegensium, et occasione pactorum habitorum inter eos de dicto Castro, ut continetur manu Manfei Notarii de Aquilegia, et occasione bonorum suorum que obligaverat nomine venditionis ipsi D. Peglo, aut alterius occasione quacumque pertinenti et spectanti eidem Nicholao pro dicto Castro Uruspergi, contra quascumque alias personas, ad eundem et comparendum Strassoldi, et videndum fieri solutionem dictarum trecentarum et decem Marcharum denariorum in manibus Dominorum de Strassoldo, ut contineri dicitur per manum dicti Manfei Notarii de Aquilegia publico Instrumento, ad petendum, opponendum etc. Promittens prefatus Nicholaus etc. cum obligatione etc.

Actum in Castro Uruspergi predicto. Presentibus Menuto q.m Odorici de Rosacio, commorante Uruspergi, Paulo q.m Marini de Pyone sub dicto Castro, Aynrico de Pagnis commorante cum ipso Philippussio, Justino q.m Chuti de S. Zenone de supra Judrium commorante Civitate testibus, et aliis. A. N. U. o.

N. 419.

Monete ch' erano in corso nel Patriarcato dal 1283 *al* 1353, *e loro valore ragguagliato a quello delle monete d' oggidì, giusta i principj stabiliti dal Padre de Rubeis e dal Liruti.*

TAVOLE TRACCIATE

DAL PROF. AB. FRANCESCO GIAVI

TAVOLA I.

Anno 1285	Valore in moneta veneta dell' anno 1285						Ragguaglio in moneta d'oggidì						
							Venete					Austriache	
	Lire	Decimali di lira	Soldi	Decimali di soldi	Piccoli	Decimali di piccoli	Lire	Decimali di lira	Soldi	Denari	Decimali di denari	Lira	Decimali di lira
Un piccolo veneto - - - -	—	—	—	—	—	96875	—	0309	—	7	416	—	017659
Un soldo, o veronese - - - -	—	—	—	96875	11	625	—	3708	7	4	992	—	211914
Un denaro aquilejese, o frisachese -	—	—	—	—	13	5625	—	4326	8	7	824	—	247231
Un grosso - - - - - -	—	—	2	—	7	—	—	9889	19	9	436	—	5651
Una lira di 20 soldi veneti, o veronesi	—	96875	19	—	3	18	7	41699	8	4	0776	4	2383
Una lira di 20 denari aquilejesi -	1	—	2	—	7	24999	8	6532	13	—	768	4	94466
Un soldo di grossi, composto di gr. 12	1	—	11	—	—	—	11	8672	17	4	128	6	78125
Una lira di grossi, composta di 20 soldi di grossi - - - - -	31	—	—	—	—	—	237	34375	6	10	505	135	625
Un ducato, o zecchino, o fiorino d'oro	3	—	2	—	—	—	23	7344	14	8	256	13	5625
Un ducato, o zecchino, o fiorino di denari aquilejesi, composto di denari 64	3	—	12	—	3	9984	27	69	13	9	60	15	8229
Una marca di soldi, composta di soldi 160 - - - - - -	7	75	15	—	—	—	59	3344	6	8	256	33	90625
Una marca di denari aquilejesi, composta di denari 160 - - -	9	—	—	—	9	9998	69	2253	4	5	592	39	55726
Un fortone di soldi, composto di sol. 40	1	—	18	—	9	—	14	83396	16	8	1504	8	47656
Un fortone di denari, composto di denari 40 - - - - -	2	—	5	—	2	4999	117	3063	6	1	502	9	8893

TAVOLA II.

Anno 1351	Valore in moneta veneta dell'anno 1351						Ragguaglio in moneta d'oggidì						
							Venete					Austriache	
	Lire	Decimali di lira	Soldi	Decimali di soldi	Piccoli	Decimali di lira	Lire	Decimali di lira	Soldi	Denari	Decimali di denari	Lire	Decimali di lira
Un piccolo veneto - - -	—	—	—	—	1	—	—	0319	—	7	65625	—	018229
Un soldo, o veronese - - -	—	—	—	—	12	—	—	3828	7	7	875	—	21875
Un denaro aquilejese, e frisachese -	—	—	1	—	2	—	—	4466	8	11	1876	—	255206
Un grosso - - - - -	—	—	2	—	8	—	1	0208	—	4	992	—	5833
Una lira di 20 soldi veneti, o veronesi	1	—	—	—	—	—	7	65625	13	1	50	4	375
Una lira di 20 denari aquilejesi -	1	—	3	—	4	—	8	9323	18	7	752	5	10417
Un soldo di grossi, composto di gr. 12	1	60	12	—	—	—	12	25	5	—	—	7	—
Una lira di grossi, composta di 20 soldi di grossi - - - -	32	—	—	—	—	—	245	—	—	—	—	140	—
Un ducato, o zecchino, o fiorino d'oro	3	20	4	—	—	—	24	50	10	—	—	14	—
Un ducato, o zecchino, o fiorino di denari aquilejesi, composto di denari 64	3	—	14	—	8	—	28	5833	11	7	992	16	3333
Una marca di soldi, composta di soldi 160 - - - - - -	8	—	—	—	—	—	61	25	5	—	—	35	8333
Una marca di denari aquilejesi, composta di denari 160 - - -	9	—	6	—	8	—	71	4584	9	2	016	40	—
Un fortone di soldi, composto di sol. 40	2	—	—	—	—	—	15	3125	6	3	—	8	75
Un fortone di denari, composto di denari 40 - - - - - -	2	—	6	—	8	—	17	8646	17	3	504	10	2083

TAVOLA III.

Anno 1353	Valore in moneta veneta dell'anno 1353						Ragguaglio in moneta d'oggidì — Venete					Ragguaglio in moneta d'oggidì — Austriache	
	Lire	Decimali di lira	Soldi	Decimali di soldi	Piccoli	Decimali di piccoli	Lire	Decimali di lira	Soldi	Denari	Decimali di denari	Lire	Decimali di lira
Un piccolo veneto - - -	—	—	—	—	1	03125	—	03299	—	7	9176	—	01885
Un soldo, o veronese - - -	—	—	1	03125	12	375	—	39476	7	10	7424	—	225898
Un denaro aquilejese, o frisachese -	—	—	1	—	2	4375	—	460556	9	2	53344	—	263181
Un grosso - - - - - -	—	—	2	—	9	—	1	0527	1	—	648	—	601528
Una lira di 20 soldi veneti, o veronesi	1	03125		—	7	50	7	89525	17	10	86	4	51172
Una lira di 20 denari aquilejesi -	1	203125	4	0625	—	—	9	211434	4	2	74416	5	263675
Un soldo di grossi, composto di gr. 12	1	65	13	—	—	—	12	6324	12	7	776	7	21875
Una lira di grossi, composta di 20 soldi di grossi - - - -	33	—		—	—	—	252	65625	13	1	50	144	375
Un ducato, o zecchino, o fiorino d'oro	3	30	6	—	—	—	25	265625	5	3	75	14	4375
Un ducato, o zecchino, o fiorino di denari aquilejesi, composto di denari 64	3	85	17	—	—	—	29	476528	9	6	36672	16	8437
Una marca di soldi, composta di soldi 160 - - - - -	3	25	5	—	—	—	63	16531	3	4	375	36	09375
Una marca di denari aquilejesi, composta di denari 160 - - -	9	625	12	—	6	—	73	691475	13	9	954	42	10934
Un fortone di soldi, composto di sol. 40	2	0625	1	—	3	—	15	791	15	9	84	9	0234375
Un fortone di denari, composto di denari 40 - - - - -	2	40625	8	—	1	50	18	422869	8	5	48856	10	5273

UDINE
DALLA NUOVA TIPOGRAFIA
di Onofrio Turchetto
1845